



BIBLIOTECA NAZIONALE
6
16 H
28
VITTORIO EMANUELE

C. PLINII SECVNDI NOVOCOMENSIS Liber de Viris in re militari & administranda republica illustribus, à multis mendis repurgatus, & nouis Commētarijs nunc primùm per CONRADVM LYCOSTHENEM ita illustratus, ut ad omnes Romanorum historias plurimum lucis & utilitatis adferat.

VNA CVM EIVSDEM PLINII uita, Rerumq́; & uerborum omnium Indice copiosissimo.

AD LECTOREM.

Romanas acies, regumq́; illustria facta
Si cupis, hoc sumas fac breue Lector opus,
Quod breue sit quamuis, ingentia pondera rerum
Continet, & ueterum fortia facta uirûm.

Domus S. M.ae Magdalenae M. [illegible] Thomae

BASILEAE.

IN ZOILVM.

Prodesse uult Lycosthenes: quid inuides
Lycostheni, uolens nocere Zoile?
Mali quid optem tibi, nisi ut uiuas diu,
Viuens diu quo torqueare Zoile?
Mali quid optem tibi, nisi ut pereas citò,
Liuoris ut pœnas tui luas citò?


AD CLARISSIMOS ET NOBILISSIMOS VIROS, PHILIPPVM BECKLIN, & IACOBVM *eius filium, Mundatensis ditionis Praefectū, Conradi Vuolfhardi Rubeaquensis in Plinium Nouocomensem,*

PRAEFATIO.





LVCIVM Lucullum, hominem apud Romanos disertissimum, ideo in Asiam profectum, apud Ciceronē legimus, ut historias, fortiorūq; uirorum egregia dicta & facta, auocatus à ciuilibus negocijs, quietius euolueret: ubi perexiguo temporis interuallo in tantum eruditionis ac uirtutis fastigium euectus est, ut paulo pòst nō solum doctissimos Græco sermone libros de bello Marsico (cui ipse cum Sylla interfuit) cōscripserit, sed tantus etiam imperator factus sit, ut & Mithridates rex post Alexandrum maximus, hunc à se maiorem ducem cognitū, quàm quenquā eorum quos legisset, aut uidisset, ingenuè confiteretur. Non ignorauit profectò Lucullus, uir prudētissimus, quos fructus historiarū lectio, quas utilitates item uitæ legentibus suppeditaret. Posuerūt quippe hi-



pe historici tanquam in speculo, non solum uitam & diuersos hominũ mores, sed facta quoq;, consilia, euentus: ostendunt quibus artibus, qua disciplina, quibus moribus maxima quęq; imperia orta sint, & maximi imperatores nomen sibi immortale apud posteros pepererint: rursumq; qua uitiorum labe infecta amplissima regna corruerint, & ex summo in imum præcipitauerint, & alia innumera. quã ob causam Demosthenes nõ tantũ ad historiarũ lectionẽ alios sępenumero cohortatur, ut inde formarẽt iudiciũ, sed ipse quoq; Thucididẽ de bello Peloponnensium atq; Atheniensium scribentem, adeò familiarem legẽdo sibi fecit, ut octies eum descripserit: amauit non aliter Xenophontem Cicero, cuius historiam nil aliud quàm πολιτειῶν esse sciuit, quæ uarias constituendarum rerum formas adumbraret, in quę omnis posteritas tanquam in uitę exemplar inspicere deberet, ut inde non solum ætate iuniores ad uitam redderentur instructiores, sed senes quoq; uarijs cõsilijs & casibus edocerentur. Habet hæc ætas ex quotidiana rerum experientia multa, ut iunioribus exponat natu, quę non sine admiratione, arrectis circumstantium auribus, percipiuntur, inaudita prius: sed historiarũ lectio senibus longè præferenda est, quæ repetitis retro infinitis

tis annis, ita dicta & facta fortiũ uirorum re citat, ut præteritis seculis nõ tantum uixisse, sed ipsis quoq; rebus interfuisse uideamur. Tanto igitur senibus anteponendæ sunt historię, quanto plura negocia cõplectitur historia multorũ seculorum, quàm faciat etiã lõgißima hominis uita. Quid igitur utilius, quid iucũdius esse potest in omni mortaliũ uita, quàm uidere maiorũ nostrorum unum in locum digestos mores, consilia, & fortunas: exiguoq; tempore tantum legendo consequi, ut ab orbis exordio tibi uixisse uideare? Pulchrum est profectò, bonorũ uirorum uirtutes imitari: pulchrũ etiam est, ut uerißime Diodorus ait, ex aliorum erratis in melius instituere uitam. Sic Scipio se ueterũ imagines intuentem, ad uirtutem & præclara facinora suscipienda incitari dicere solebat, ne uideretur ignorare, hoc cõsilio scriptas esse historias, ut omnia humanorum officiorum exempla tanquã in illustri posita loco cernerentur: quæ si nihil ad erudiendos excitandosq; mortaliũ animos cõducunt, cur quæso Alexander Seuerus, Romanorum imperator, quoties sibi deliberandũ de negocio bellico foret, historiarum peritos in primis consuluit, ut suarum rerum euentũ ex aliorũ casibus colligeret? Cur ex paulo recẽtioribus Alfonsus senior, inuictißimus Calabrię

 dux,

dux, Antonio poetę & historico tam impense dedit operam, quàm ut hominem eruditũ & historiarum peritissimũ, aliquid ex prisco rum annalibus referentem audiret: qui licet ex multa historiarũ cognitione bellandi habitum sibi cõparasset, in nullam tamen expeditionem unquã profectus est, in qua libros Romanarum historiarũ non secum habuerit, in quibus tanquam in tabula uidit, Pauli Aemylij humanitatẽ & clementiam, Bruti & Torquati seueritatem, Cassij constantiã, Catonis sanctitatem, Fabij & Reguli fidem: Scipionis Aemyliani, Attilij Reguli, Fabricijq́ꝫ continentiam, cunctationem Fabij, Camilli celeritatem. Vidit prætereà Tarquinij Superbi, Claudij Neronis, ac C. Cæsaris in occultandis consilijs prudentiã: Scipionis Africani, M. Catonis, & C. Marij in explorãdis hostium consilijs, & insidijs solertiam: Quinti Metelli, Liuij Salinatoris, & Cnei Pompeij in ordinanda acie studium: Papyrij Cursoris, Attilij Glabrionis, & Valerij Leuini in acie hostium turbanda astutias. Vidit & alia infinita domi et foris profutura, quibus Ro. historię ita scatent, ut dignę semper præ cæteris habitæ sint, ut nunquam de manibus deponantur. Græcorũ quidem historias multi doctissimè cõscripserunt: sed in his maior dicendi ueritas interdũ requiritur, cum uideamus

mus quantum in una sæpenumero recitanda historia discrepent, & quàm turpiter sedent, dum alter alterius mendacia refellere nititur. Reprehendit enim Ephorus Hellanicum, Timæus Ephorũ: Polybius Philinum insectatur, Herodotum Halicarnasseũ quàm plurimi fabulatorem magis quàm historicũ iudicant, Diodorũ Siculum Plinius primùm apud Græcos nugari desijsse scribit. quæ discrepantia inde nimirũ nata est, quod ab initio nullam ferè unquam curam Græciæ populi adhibuerunt, ut præclara suorum facinora scriberentur, ac posteris imitanda relinquerentur. Postea uerò cum doctorũ (quos Græcia semper habuit præ cæteris) uirorum copia esset, in tantam fandi licentiam inciderunt, ut cum maiorem rerum in Græcia gestarum partem ignorarent, ac proprijs affectionibus ducerentur, fabulas potius quàm historias scripserint. Et hinc nimirum Satyricus exclamat, Quicquid Græcia mendax audet in historia. & hinc etiam Fabius Quintilianus in Oratorijs suis institutionibus, Græcis historicis poeticæ similem esse licentiam ait. Vt nihil de Luciano dicam, qui Græcus non dubitauit eos τεράστια καὶ μυθώδη συγγεγραφότας uocare. Verùm hæc nõ ideo dico, quod cõtumeliosus in Græcos esse uelim, & ex manibus eorũ historias ideo abijciendas

 temerè

temerè putem, quod à ueritatis tramite interdũ aberrauerint. Non enim adeò à sensu hominis remotus sum, ut nesciã quid Grȩcis acceptum nobis referendum sit: à quibus, ut nil aliud dicam, quicquid præclarum est in omnibus ferè artibus & disciplinis, ad nos tanquam per manus translatum est: sed historias Grȩcas, quod ad fidem & primam historiæ legem attinet, cum Romanis simpliciter confero, qui adeò Spartam suam adornarunt, ut æquus rerum censor fateri planè cogatur, infucata, incorrupta, & integra omnia ut gesta sunt, literarum monumentis conscripta esse. Nec quidem iniuria, quum Romani tam studiosi suarum rerum ab ipso Vrbis exordio fuerint, ut unusquisq; ciuium domesticam rationẽ totius uitæ suæ per singulos dies annotare, legibus in id promulgatis iuberetur. Quæ res quum ex dignitate populi esse uideretur, in consulatu postea diurna senatus acta signabãtur, & deinde semper res illustres annalibus à Põtificibus (quibus domi tabulæ in id propositæ erãt) quotidiana uerò diurnis actis, literis mãdabãtur. quã deinde scribẽdi similitudinẽ pimũ secuti sunt, Piso, Fabius Pictor, & ille Cato, quem parẽs eloquentiȩ Cicero bonarũ artium magistrũ appellare ausus est, & quidam alij, quos hic cõmemorare non modò nimis longum, sed super-

superuacaneum quoq; & tędiosum esset, qui absq; ullis uerborũ ambagibus, colorumq́; ornamentis, infucato nitore, rerum à Romanis gestarum monumenta reliquerunt, eam magna cura & solertia historiæ legem obseruantes, quæ præcipit, ne quid historiographus falsi dicat, neu quid ueri dicere non audeat: quam postea legem Polybius, Dionysius Halicarnasseus, Titus Liuius, & alij multi, qui doctissimè Romanas res conscripserunt, sunt secuti. ad quos qui in legenda historia rerum ubertate iucundaq́; prolixitate delectantur, liberum omnibus aditum permittimus: quibus uerò grata est docta breuitas, habent Florum, qui redegit Liuij dulcissimum nectar in compendium: habent Sexti Ruffi uiri consularis de historia Romana epitomen: habent deniq; C. Plinium Secundum Nouocomensem, qui de Viris in re militari & Romanorũ republica administrãda illustribus cõscripsit libellũ, quo συλλήβδην, & uno quasi fasce quicquid apud alios omnes copiosissimè posteris traditũ est, ita complectitur, ut idem possim de Plinio loqui, quod in Iliade Homerus de Menelao, quem pauciloquũ quidẽ esse dicit, multa tamẽ paucis complectẽtem. Verũ nudis planè uerbis, & absq; omni orationis uoluptate illustres uiros hic descriptos esse ais? Respondeo id

quod res est, Plinium hic non respexisse orationis suæ ornatum, eamq; uenustatem uerborum, quam in Epistolis suis, & Traiani imperatoris panęgyrico abundè satis ostendit: sed doctam potius breuitatem, qua hominum memoriam alijs etiam rebus occupatam iuuare uoluit, dum historias fusissimè ab alijs tractatas, unico interdum uerbo in lectoris memoriam reuocat. Dignus igitur est, ut ob concinnam illam breuitatem non legatur modò, sed euoluatur, obuijsq; amplectatur ulnis. Quod ut frequentius in posterum fieret, collatis quotquot inuenire potui, exemplaribus, & alijs quoq; historicis, ex quorũ fonte hæc quæ Plinius habet, fluxisse putabã, ab infinitis mendis & erroribus repurgaui, & quãtum fieri potuit, in integrum restitui: quod ij demum intelligent, qui cum ueteribus nostrum exemplar conferent. Porrò ne Laconica & spaciosa autoris breuitas, nebulas ignorantiæ lectoribus offunderet, annotatiunculas primùm scripsi, quibus breuiter indicabam, ubi'nam locorum historiæ à Plinio obiter delibatæ, multò fusius & copiosius apud alios, quicunque de Romanorum historia scripserunt, & Dei optimi maximi benignitate ad posteros uenerunt, citra omnem laborem & tędium inuenirentur: uerùm dum obiter, & ueluti per tran-

sennam

ſennam diſsidentes etiam hiſtorias conciliare cuperẽ, Annotatiunculas in commentarij magnitudinem ſubitò excreſcere uideo, in quibus multas Romanorum leges, cæremonias, ritus, conſuetudines, & alia infinita, quæ hiſtorias & præſertim Romanas legentibus ſæpenumero occurrunt, explanauimus: & ita quidem, ut non modò concinnam Plinij breuitatem fuſius explicent, ſed methodi, aut potius indicis uice ad reliqua Ro. hiſtoriæ à quocũq; ſcriptæ ſint monimenta probè intelligenda uſui eſſe, & plurimũ utilitatis afferre poſsint. Sed ne qui cauillentur fœtus meos mihi blãdiri, non inficiabor, me pleraq; fruſtillatim ex autoribus collegiſſe, ut Plinianæ lectioni lucem aliquam adferrem, in qua ſæpenumero breuitas obſcuritatem non exiguam parit. ideóque præter colligendi laborem nil mihi hic tribuo: qui ſi proderit hiſtoriarum ſtudioſis, quibus hæc ſcripſi, ſatis laudis & fructus me accepiſſe putabo. Contrà uerò, ſi quid per incuriã & inſcitiam mihi lapſum eſt non uſqueadeò elimatum, primùm Quintilianum audiant, qui inter Grammatici uirtutes collocat, quædam neſcire: deinde ſi iniquiores ſunt, hominem me eſſe ſciant, errorem'q; condonent, donec admonitus ab hiſce me erroribus liberem. Non enim tam

ἄτευτος

ἄτεκτος ἀνθρώποις προσηγορήμασιν ſum, ut bonorum uirorum admonitionem non amicè ferã, & melioribus inſtitutus à ſententia mea non lubens decedere cupiã. Non defuit ſanè cæteros iuuãdi conatus, licet euentus pro uotis non reſpondeat. Ingenuè enim quod res eſt fateor, cõmentarijs meis quædam ineſſe hiulca & imperfecta: quæ ſi doctorum calculis non probantur, noſtri ingenij infelicitas, & curta Muſarum noſtrarum ſupellex illud fortaſsis efficiet, ut doctior aliquis prouocatus, id feliciter præſtet, quod ego uiribus ingenij deſtitutus præſtare non potui. Verùm cum plurimum in omni negocio proſit, eorum hominum fauorem & gratiam emereri, qui quòd generis & imaginum ſplendore reliquis præſtant, eò etiam aliorum ſtudia & honeſtos conatus prouehere poſsũt: tum hac maxime tempeſtate, qua omnia bonarũ artium ſtudia non cõtemnuntur modo, ſed pedibus etiam imperitorum hominum conculcantur, inprimis circũſpiciendum eſt, ubinam exulantibus & profligatis noſtris ſtudijs patronos ac defenſores idoneos inueniamus. Si enim unquam literæ magnorum atq; potentum hominum auxilio eguerunt, hoc per Herculem iniquiſsimo tempore, illorum opem maximè implorare uidentur, quo nihil tam bonum, nil tam honeſtũ, nil

tam

tam membris omnibus absolutum est, quin Momi inueniãtur, qui iniquè reprehendãt, lacerẽt, & quasi Hiberas nænias, Aegyptiaq́ portenta, nõ ad Cynosarges modò, sed Charontis ianuam abijciendũ putent. Quorum perniciosa iniquitate motus, cum cogitarem ubi'nam terrarũ mei in Plinium laboris defensores & propugnatores conciliarem, ad uos potissimũ BECKLINI, omniũ nobilissimi, lucubratiũculas meas mittendas, uestriq́ nominis auspicio in publicũ edendas putaui: adductus nõ solũ patriæ meæ, cui uos Deus opt. max. gubernatores constituit, pietate, & singulari ista humanitate & benignitate qua me & parẽtes meos hactenus prosecuti estis, uerùm ea etiam opinione quæ apud me est, de studio & egregia uestra ad bonarum artium studia promouenda uoluntate, ex quibus ueram illam nominis uestri clarissimi nobilitatẽ comparastis. Primũ enim, PHILIPPE generosissime, licet eo genere prognatus, ijsq́ imaginibus clarus fueris, ut nullius superiorum, aut etiam priscorum hominũ nobilitati facile cedas: illum tamen generis splendorẽ cum uirtute semper coniungendum putasti. tanta enim in iuuenili tua ætate diligentia in bonis literis uersatus es, ut quod ad ueram & solidam uirtutem attinet, id omne & indefesso studio ac la-

bore

bore tibi comparaueris: unde eo maiorem laudem & gloriam cōsecutus es, quod hunc discendi laborem, à quo pleriq; tuæ sortis & conditionis homines partim cōtemptu, partim desidia & ocio declinant ac fugiunt, tu in tanto maiorum splendore suscipiendum & persequendum tibi putasti: & quod hac nostra tempestate rarissimè contingere uidemus, cum summo genere summam illam doctrinam coniunxisti: qua adeò excellis, ut nobilitatem generis non adornasse, sed plurimum etiā auxisse meritò dici possis. Quemadmodum enim in excellentioribus picturis, colorum splendor & harmonia multum gratiæ addit, ipsumq; totum argumentum & artificis uirtutem illustriorem reddit: ita ipsa quoq; uirtus, si cum generis ac uitæ nobilitate coniuncta, & externis illis fortunæ dotibus illustrata sit, multo excellentior & admirabilior apparere solet. quæ in te ita quoq; emicuit, ut præ cæteris in Argentinensium republica florentissima ante annos aliquot euectus, & ad præclara urbis munera atq; officia adhibitus sis: quibus sine dubio & hodie magna cū laude & reipublicæ emolumento præesses, si Deus ter maximus non aliò te uocasset. Et tu sanè, IACOBE nobilissime, dum parētis tui (quē pietate, quam progenitoribus debemus, motus, honestis-

simè

fime ad omnis uirtutis exemplar iam tecum foues) ueſtigijs inſiſtis, eiuſdemq́ uirtutes (quibus nomen ſuum poſteris conſecrabit) ſedulò imitaris, dignus habitus es, ut poſt multa egregia facta, à Reuerēdiſsimo Argentinenſium epiſcopo Mundatenſis ditionis præfecturam acciperes: cui aliquot iam annos tanta prudentia ſimul & humanitate præfuiſti, ut plenis non ſubditorum modò, ſed exterorum quoque, ad quos fama uolauit, faucibus lauderis. nec quidem iniuria: uidēt enim, ni Tireſia & Hypſea cæciores eſſe uelint, quod omnes neruos in hoc intendas, ut quantum cæteros excellis generis nobilitate, tantundem & uirtutibus eos pręcedas, & uiuum ſis exemplar, quod ſubditi omnes intueantur. His & alijs quibuſdā uirtutibus, quibus unà cum patre honeſtiſsimo ſene excellis, in eam opinionē adductus ſum, ut planè mihi perſuadeam, eam potiſsimum ob cauſam à Deo opt. max. Rubeaquenſibus uos datos: primùm ut ij ſitis, quorum ductu leges urbis ſaluberrimę reuiuiſcant, ciues in perpetua obedientia qua Deo ſimul ac magiſtratui legitimo obligati ſunt, cōtineantur: & ea ciuitas quæ omniū antiquiſsima eſt, in priſtinā illā dignitatē optima gubernatione reſtituatur. Accipite igitur, uiri omniū nobiliſsimi, quicquid eſt munuſculi, mei in uos dulciſsimāq́ patriam

patriam amoris euidentiſsimũ teſtimoniũ. Quod ſi hunc meũ laborem, ingenioliq́ꝫ mei fructũ uobis non ingratum fuiſſe ſenſero, diuino numine cœptis meis aſpirãte, dabimus fortaſsis & uobis & ſtudioſis omnibus multo gratiora. Valete Mœcenates optimi, ad Neſtorea uſqꝫ tempora: & Rubeaquenſium ſalutem, ut hactenus, ita in poſterum quoqꝫ pro uirili promouete. Baſileæ, apud ſanctũ Leonardum: prid. Cal. Septembris,

M. D. XLVII.

C. PLINII NOVOCO-
mensis uita, ex eius epistolis, breuiter à Conrado Lycosthene excerpta.

CAIVS Plinius iunior, ex Como nouo Italiæ Transpadianæ oppido natus, patrem habuit Cæcilium, uirum eo tempore pietate simul & eruditione in primis clarum: auunculũ uerò, Plinium Veronensem, græcæ & latinæ linguæ peritissimum: (cuius triginta septem Rerum naturaliũ libri tanto studio & labore cõscripti sunt, ut doctorum omnium calculis digni iudicati sint, qui ob multifarias historiis ex Græcis simul & Latinis philosophis depromptis, raræq; eruditionis thesaurum, non obiter tantum legantur, sed euoluantur, omniumq; studiosorum assiduis conterantur manibus) à quo adoptatus, non tantum amplissimorum auunculi bonorum, sed studiorũ quoq;, ac nominis successor factus est. Puer adhuc, cum egregiã præ se ferret indolem, ut liberalibus artibus imbueretur, Fabio Quintiliano, omniũ fidissimo puerorũ informatori, & in oratoria professione nulli secũdo, datus, artes humaniores mira ingenij fœlicitate perdidicit. Aliarum disciplinarum auidus, paulo pòst Nicetem Smyrnæum sophistam, & præclarum eo tempore oratorem, audiuit: qui adeò ingenium ad utramq; rationem accommodabat, ut iudiciale sophistica quadam facultate exornauerit, sophisticum uerò & umbratile forensibus aculeis roborauerit, & cuius sententiæ ac paradoxa quasi bac- Plinius lib. 6. ad Fundanũ.

Lib.1.ad Artiũ Clemẽti. chantes Thyrsi, mellis lactisq; copiam præbere uidebantur. quibus artibus cum Plinium probè instituisset, annuente auunculo in Syriam tanquam ad præclarißimarum artium omnisq; philosophiæ mercaturam misit, ubi Euphratem philosophum naturæ arcana explicantem audiuit. Verùm cum post multas doctißimorum uirorum lectiones, iam sine cortice natare didicisset, & optimos quosque sibi autores legendos proposuisset, Liuium tamen Romanæ historiæ antesignanum & principem cum toties à Quintiliano præceptore laudibus celebrari audiuisset (qui Patauinũ in concionibus suprà quàm narrari potest eloquentißimũ uocare solitus est, & ob id inter cæteros scriptores in scholis quàm diligẽter legendũ in oratorijs suis institutionibus præcipit) eius historias lactea eloquentia descriptas, rarò de manu deposuit, ex quibus eam etiam hausit eloquentiam, quam in doctißimis suis epistolis & Traiani imperatoris Panegyrico, magno uerborum & sententiarum ornatu, orationisq; fœcunditate abundè satis ostendit. Græca in Latinam, nostra in Græcam transferens, ingenium exercuit. Ad poeticæ studium furore quodam naturali raptus, comœdias aßiduè audiuit, inspexit mimos, legit Lyricos: quibus adolescentiæ studijs cum animum excoluisset, iamq; ad grauiora altioraq; studia animum intenderet, undeuigesimo ætatis suæ anno dicere in foro cœpit, ac in senatu plures grauißimasq; causas magno audientium stupore egit. Beticis namq; contra Bebiũ Massam, & ijsdem de Cæcilio

Lib.7.ad Priscum.

Lib.1.ad Quadratum.

cilio Claßico quærentibus aſtitit. Marium Priſcum repetundarum accuſauit, Iulium Baſſum & Vareum in capitalibus cauſis defendit & liberauit. Si quid uerò temporis à ciuilibus negocijs, quibus totum iam intenderat animum, ſuffurari potuit, colendis agris conſumpſit: priſcos illos Romanos, Numã Pompilium, C. Licinium, Catonem, Cincinatum, Piſones, Fabios, Cicerones, aliosq; uirtute claros uiros imitatus, qui in magno honore conſtituti, uites putare, ſtercorare agros & irrigare nequaquam turpe & inhoneſtum putarunt. Laurentinum ſuum rus, & alterum in Thuſcis (in quo templum principum ſtatuis mirificè ornatum ædificauit) doctißimis epiſtolis celebrauit, ut agriculturæ ſe ſtudioſißimum oſtenderet. Cui cum uenatio cognata eſſet, ſæpenumero calores, pluuias, ſudorem, frigora, niues, & id genus alia compluſcula, quæ uenatoriæ uoluptates continent, perpeſſus, ad uenabula ſedens, ſpumantes, & à canibus in furorem conuerſos apros propria manu confodit. Ad adminiſtrandam Rempublicam aptißimus iudicatus, celeriter ad ſummos honores, ampliſsimasq; in urbe dignitates euectus eſt. Æmyliæ namq; uiæ, quæ ab Æmylio Scauro poſt Ligures bello ſubactos, à Placentia Ariminum uſq; ſtructa & ſtrata erat, curam adminiſtrauit. Quæſturam cum Caleſtrio Tirone, cum quo ſtipendia antè fecerat, & Præturam cum eodem conſecutus eſt. Cornutum Tertullum, præfectus ærarij ſalutatus, collegam habuit. In Pontum & Bithyniam miſſus procon-

Lib. 2. ad Minutium.
Lib. 10. epiſtola 8.
Lib. 1. ad Tacitum.
Lib. 5. ad Põtium.
Lib. 7. ad Fabatum.
Lib. 5. ad Põtium.
Lib. 3. ad Macrinum.

ſul, non minorem prudentiæ, quàm moderationis & diligentiæ gloriam retulit. Cõſulatum ſumma fama, pariq; integritate cum Tertullo, amicitiarum familiaritate ſemper cõiunctiſsimo, geſsit. In auguratu ſacerdotio priſco, quod uiuenti nunquam adimebatur, Iulio Frontino uiro principi ſucceſsit. quibus, alijsq; multis dignitatibus, cum ſua induſtria Romanorum Rempublicam mirum in modum auxiſſet, in tantam apud bonos & claros uiros exiſtimationem uenit, ut iuueni ex clariſsimis familijs in urbe uxores offerrent. Habuit autẽ duas, ex quibus poſterior erat Calphurnia, Pompeiæ clariſsimæ fœminæ filia: cum qua multos annos honeſtiſsimè, ſine prole tamen, uixit. Vitæ ſuæ innocentia, & omni ſcientiarum eruditione principum multorum animos ſibi conciliauit: in primis tamẽ Traiani, inuictiſsimi imperatoris, à quo non tantum ſibi ipſi, ſed amicis quoq; multa impetrare potuit. Voconio quippe Romano, condiſcipulo & cõtubernali ſuo, multas dignitates: Accio Suræ præturam: Harpocrati Itraliptæ peregrinæ conditionis homini, Chryſippo Mithridatis, Stratonitæ Epigoni, et uxori Chryſippi, Poſthumij demùm Marini propinquis aditum in urbem impetrauit: libertis Antoniæ Maximillæ ornatiſsimæ matronæ, præterea Hediæ, Antoniæ, Harmeridiq; citra omnem difficultatem ius Quiritum obtinuit. Facultates ſuas, quas partim hæreditario iure à parentibus & auunculo, partim Traiani mecœnatis ſui munificentia habuit, ab omni alienus auaritia bene meritis, & quouis præmio

Lib. 4. ad Arrianum.

Ad quam ſcribit lib. 6.

Lib. 10. epiſt. 4.

Lib. 10. epiſt. 12.

Lib. 10. epiſt. 10. & 11.

Lib. 5. epiſt. 5.

Lib. 10. epiſt. 5.

mio dignis, summa liberalitate distribuit, & erogauit. His Caninium Ruffum municipem suum, studijs iam ualedicentem, ad artes, humanioraq; studia reuocauit. Valerium Martialem poetam secedentem ab urbe, honestißimo uiatico iuuit. Romano condiscipulo tria millia nummûm ad equitis facultates implendas obtulit, & dedit. Fabium Quintilianum primæ pueritiæ præceptorem, senem iam, & pecunia carentem, dote, & omni impensa maritandæ filiæ necessaria ornauit, & quinquaginta millia nummûm, ut secundum mariti conditiones uestitu simul ac comitatu instrueretur, quasi parens alter contulit. Vt ad bonarum artium studia iuuentutem incitaret, in municipio suo bibliothecam optimis libris refertam, ad communem studiosorum usum dedicauit: annuos sumptus in alimenta ingenuorum erogauit, amplißimaq; præceptoribus constituit stipendia. Gentilis licet fuerit, Christianorum tamē in maxima persecutione acerrimus propugnator extitit. Cum enim uarijs tormentis eos qui in Christum crederent, cruciari uideret, ut à fide desciscerēt, misericordia & interemptorū multitudine motus, eos apud Traianū defendit, dum scribit, nihil omnino sceleris in his deprehendi, aut quippiam committi quod Romanis legibus contrarium esset: quandoquidem adulteria, & cætera eius notæ crimina illicita arcerent, et tantū antelucanos hymnos Christo cuidam Deo canerēt. Ob morum studiorumq; similitudinem præcipuè uiros doctrina excellentißimos sibi amicitiarum societate deuinxit. ex

Lib. 1. epist. 3.

Lib. 4. ad Priscum.

Lib. 1. ad Romanum.

Lib. 6. epist. penult.

Lib. 1. ad Pōpon. Satur.

Euseb. lib. 3. cap. 32. Ecclesiast. histor.

Lib. 6. ad Caninium. poetis quidem Virginium Romanum, hominem (ut
Lib. 3. ad Caninium. ipse appellat) probitate morum, ingenij elegantia, o-
Lib. 4. ad Priscum. perumq; uarietate monstrabilem: Valerium Martia
lem, Epicuri sectatorem: & Silium Italicum, in car-
mine heroico post Vergilium facile principem. Ex
Lib. 3. ad Sueton. historicis uerò, Suetonium Tranquillum, & Corne-
Lib. 1. lium Tacitum: Iurisperitis autem, Pomponium Satur
Lib. 7. ad ninum causidicum, Arrianum, Titum, Aristonem, &
Falconem, & Cornelium Minutianum, rectißimos iudices, & for-
lib. 5. epist. 1. tißimos aduocatos: quos sæpe cum Frontino, si quan-
do de rebus arduis agendum esset, cõsuluit. Inter præ
Lib. 5. ad Paul. dilectos autem libertorum suorum, præcipuè Zosi-
mum, hominem ut probum & officiosum, ita maxi-
mè literatum, habuit. Vt nomen suum immortalitati
consecraret, non tantum Cornelij Taciti historijs lau
dari uoluit, sed ipse quoque multa scripsit, quæ tamen
Lib. 4. ad Pontium ad posteros non uenerunt: utpote Tragœdiam Græ-
Lib. 5. ad Aristot. & lib. 7. ad Pont. cam, De maris Icarij tempestatibus elegos, Hendeca-
syllabarum librum, Demõstratiuas orationes, in qui-
Lib. 1. ad Arrianum. bus Demosthenem summum oratorem secutus est: De
Heluidij ultione libros aliquot, quos Quadratus stu-
diosißimè semper legere solitus est. & multa quidem
alia, quæ temporis iniuria, magno Musarum mœro-
re ita interierunt, ut ne fragmenta quidem hodie ex-
tent. Ex his tamen omnibus singulari diuini numinis
beneficio ad posteros uenerũt, decem epistolarum li-
bri Demosthenica eloquentia scripti, Libellus de ui-
ris in re militari & administranda Republica illu-
stribus, & Panegyricus Traiani Romanorum inui-

ctißimi

ctissimi imperatoris, qui post Neruam, iuxta Eusebij supputationem, usque ad annum Christi saluatoris nostri CXIX. regnauit: quo tempore, uel paulo pòst, Plinium nostrum è uiuis exemptum esse, conijcere & diuinare licet.

FINIS.

COMI IN EXTERIO- re structura templi Maximi.

C. PLINIO L. F. O. V. F. CAECI-LIO SECVNDO. COS. AVG. CV-RAT. TIBER.

MEDIOLANI IN AE- de D. Amb. in arca lapidea ex tabulis confractis.

C. PLINIVS. L. F. O. V. F. CÆ-CILIVS AVGVR LEGAT. PRO PR. PROVINTIÆ. PON. CON-SVLARI POTESTA. IN EAM PROVINTIAM ET IMP. CÆSAR. NERVA TRAIANO AVG. GER-MAN. CVRATOR ALVEI TIBE-RIS ET RIPARVM ET PRÆF. AERA. SATVRNI PRÆF. AERA-RI. MIL. QVAESTOR IMP. SEVIR EQVITVM TRIB. MI-LIT. LEG. VI. GALLICAE. XVIR STLITIB. IVDICAND. ADIECTIS THERM. INORNATVM HS. CCC. ET HOC AMPLIVS IN TVTELA.

HS. CC. T. F. I. ET IN LIBER. TOR. SVORVM NOMIN. HS. XVIII. LXVI. D. CLVI. REI. IN. CREMEN. POSTEA AD EPV. LVM. PLEB. VRBAN. VOLVIT PERTINERE HOC AMPLIVS DEDIT. IN ALIMENTA PVERO. RVM ET PVELLARVM. PLEB. VRBAN. HS. CCC. IN TVTELAM BIBLIOTHECÆ. HS. C.

IN SEMIDIRVTA AE. de D. Iuliani apud Fegium agri Mediolanens.

C. PLINIO L. F. O. V. F. CÆ. CILIO SECVNDO COS. AVGVR. CVR. ALV. TIBER. ET CLOAC. VRB. PRÆF. ACR. SAT. PRÆF. AER. MILI. Q. V. IMP. SEVIR. EQ. R. TR. M. LEG. VI. GALL. XVIRO. STLIT. IVD. FL. DIVI. T. AVG. RCBLIENS.

AV.

AVTORES QVORVM TESTIMOnio his Commentarijs usi sumus.

Aelianus
Aeschylus
Aeschines
Aesopus
Agathillus
Agathocles
Alexander ab Alex.
Alexarchus
Alsius
Ammianus Marcellinus
Antigonus
Antidamus
Antoninus Flor.
Aphthonius
Apollonius
Apuleius
Appianus
Appion
Aratus
Aristobolus
Aristoteles
Arrianus
Artemidorus
Asconius Pedian.
Athenaeus
Atteius Capito
Aulus Gellius
Aurelius Augustinus
Baysius
Baptista Aegnatius
Baptista Fulgosus
Bap. Mantuanus
Berosus
Boccatius
Boethius
Brusonius Contursinus
Coelius Rhodiginus
Caelius Sabinus
Caesar
Caius Piso
Calphurnius
Callius
Caßius Hemina
Caßiodorus
Censorinus
Cephalon Gergethius
Cicero
Cyprianus
Claudianus
Claudius Quadrigarius
Clitarchus
Coccius Sabellicus
Columella
Cornelius Nepos

Cornelius Tacitus
Crinitus
Curtius
Damastes Sigæus
Dares Phrygius
Demagoras
Demarathus
Demosthenes
Dictys Cretensis
Diodorus Siculus
Diogenes Laertius
Dionysius Chalcidensis
Dionys. Halicarnaseus
Dorotheus
Egesippus
Elisius Calentius
Ennius poeta
Ephorus
Eratosthenes
Euripides
Eusebius
Eustathius
Eutropius
Fabius Pictor
Fauorinus
Fenestella
Festus Pompeius
Florentinus iurisperitus
Florus

Frontinus
Fulgentius
Fulgosus
Gneius Gellius
Gratianus
Herodianus
Herodotus Halicarnaseus
Hesiodus
Hieronymus
Higinius
Hipponax Ephesius
Homerus (dunens.
Honorius Augustu.
Horatius
Iosephus Iudæus
Iouianus Pontanus
Iubas rex
Iulius Cæsar
Iulius Capitolinus
Iulius Cordus
Iulius Obsequens
Iustinus
Iuuenalis
Labeo Antistius
Lactantius
Laertius
Liuius
Lombardus de Syricho
Lucanus

Lucius Piso
Lucianus
Lucretius
Macrobius
Maphæus Vegius
Marcellus iurisconsul.
Marcus Varro
Marlianus
Massurius Sabinus
Martialis
Martianus
Maximus
Messala Coruinus
Minnernius
Nazarius
Nonius Marcellus
Oppius
Otho Phrisingensis
Paulus iurisconsultus
Paulus Orosius
Pausanias
Persius
Petrus Crinitus
Petrarcha
Philinus
Philostephanus
Pindarus
Piso Censorius
Pius Pont. Max.
Platina
Plato
Plinius Veronensis
Plutarchus
Polydorus Vergilius
Polybius
Pomponius Letus
Pomponius Mela
Pomponius Ruffus
Pontanus
Portius Cato
Priscianus
Procopius
Promathion
Propertius
Ptolemæus
Publius Victor
Quintilianus
Quintus Claudius
Raphael Volaterranus
Salustius
Sempronius Asellio
Sextus Pompeius
Sextius Syllas
Sextius Ruffus
Silius Italicus
Simulus poeta
Sisinius
Sophianus

Spell.

Speusippus
Statius
Stephanus de Vrbib.
Stephanus Niger
Stobæus
Strabo
Suetonius
Terentius Varro
Theocritus
Theophrastus
Thucidides
Timæus Siculus
Titus Castritius
Titus Calphurnius
Tubero
Tucitanus
Valgius Ruffus
Valerius Antias
Valerius Maximus
Vegecius
Velleius Paterculus
Vitruuius
Vranius
Vlpianus iurisconsultus
Vopiscus
Xenagoras
Xenophon
Zezes.

VIRORVM ILLVstrium, quorum uitæ à Plinio describuntur, Catalogus.

Aescu-

M,

L.Cor.


C. PLINII SECVNDI NOVOCOMENSIS, de Viris illustribus Liber.



DE PROCA ALBANORVM REGE. Caput primum.



Roca rex Albanorum Amulium & Numitorem filios habuit, quibus regnum annuis uicibus habendum reliquit, & ut alternis imperarent. Sed Amulius fratri imperium nõ dedit. Et ut eum sobole priuaret, Rheam Syluiam filiam eius, Vestæ sacerdotẽ prefecit, ut uirginitate perpetua teneretur: quæ à Marte compressa, Romulum & Remũ edidit. Amulius ipsam in uincula compegit: paruulos in Tyberim abiecit, quos aqua in sicco reliquit. Ad uagitum lupa accurrit, eosq; uberibus suis aluit. Mox Faustulus pastor collectos Accæ Laurentię coniugi educãdos dedit.



al. tradidit † dedit. Qui postea Amulio interfe
conquidolgio cto, Numitori auo regnum restitue-
runt. Ipsi pastoribus coadunatis ciui
tatem condiderunt, quã Romulus
augurio uictor, quod ipse XII. Re-
mus VI. uultures uiderat, Romã uo
cauit. & ut eam prius legibus, quàm
mœnibus muniret, edixit, ne quis
uallum transiliret: quod Remus irri
dens transiliuit, & à Fabio Celere
centurione rastro fertur occisus.

IN CAPVT I.

Scripturus de uiris in re militari, & administrã da Romanorum Republ. illustribus, haud incommodè à Romulo, eius parentibus, adeoq; primo urbis exordio, libellum auspicatur: Laconica breuitate perstringens ea, quæ copiosè scripta sunt apud Aristidem Milesium de Rebus Italicis, Dionys. Halicar. lib. 1. Plutarch. in Romulo, Liuiũ lib. 1. Dec. 1. Florum lib. 1. cap. 1. Iustinum lib. 43. Messalam Coruinũ de progenie Augusti, Orosiũ lib. 2. cap. 4. Eutrop. libro 1. cap. 4. Antoninum Tomo 1. tit. 4. cap. 1. § 25. Sabellicum libro 2. Ennead. 2. Rapsod. Franciscũ Petrarchã cap. 1. Epitomes, Marlianũ Mediolanen. lib. 1. cap. 2. Topographiæ, et alios qui suis locis postea citantur.

Proca rex Albanorum.] In ordine decimusquartus, cuius meminit Vergilius lib. 6. Proximus ille Proca Troianæ gloria gentis, &c. Ex Liuio autem constat hunc Procam Auentini fuisse filiũ, & regnasse apud Albanos annis 23. ante Vrbem conditam 24.

Albanorum.] Quos à Colchide, ab occasu dirimunt Iberi, immanibus montibus clausos. De quibus lege Strabonem lib. 11. Plinium lib. 3. cap. 5. Melam libro 3. cap. 5. Gellium lib. 9. cap. 4. Cæliũ Rhodig. lib. 18. cap. 27. & lib. 17. cap. 19.

Amulium & Numitorem.] Romuli & Remi genealogiam pete ex Liuio, Floro, Eutrop. lib. 1. cap. 1. 2. & 3. Ouidio lib. 4. Fastorum, Principiumq; sui generis, &c. Martian. lib. 1. ca. 2. Topog.

Regnum annuis uicibus habend.] Eutropius cap. 3. ait, testamentum filijs suis reliquisse Procam, ut unus pecuniam protinus, alter regnum susciperet: & sic Numitorem pecuniam, Amulium autem regnum obtinuisse, in quo regnauit annos 43.

Imperium non dedit.] Vnde Liuius scribit, plus Amulij fratris uim, quàm patris ultimam uoluntatem potuisse.

Vt eum sobole priuaret.] Vt fratri omnem regni spem adimeret, Lausum quoque filium, quem Dionysius Egestum, Plutarchus capite

69. Paral. Aenitum, Eutropius Sergestum uocat, in uenatione clàm occidit.

Rheam Syluiam.] Plutarchus & alij quidam uocant Iliam Rheam, cuius uitam copiose describit Boccatius de Claris mulieribus, cap. 43.

Syluiam.] Syluiæ cognomen ab Ascanij filio, qui in syluis natus erat, accepisse constat, à quo omnes qui Albanorum regnum obtinuerunt, Syluij dicti sunt. Quanquam Vergilius in 6. regibus Albanis à Syluio Posthumo hoc cognominis datũ putet: Syluius Albanum nomen, &c.

Vestæ sacerdotem.] Plutarchus in Parall. Iunoni dedicasse ait. Fuit autem Vesta Saturni ex Ope filia, dea uirginitatis, cui Aeneas post Troianũ incendium, condito Lauinio ædem sacrauit. Postea Ascanius condita Alba, templum quoque in montis Albani uertice dicauit. De qua re Plinius libro 16. cap. 2. libro 28. cap. 2. libro 34. cap. 5. Cicero libro 2. de Natura deor. Gellius libro 1. cap. 12. Fenestella capite 6. Pomponius Lætus cap. 6. de Romanorum sacerdotibus. Alexander ab Alexandro libro 5. cap. 12. Cælius Rhodigin. libro 15. cap. 16. 17. & 18. Flauius Blondus libro 1. Romæ triumph. Seruius in libro 11. Aeneidos, Finitimos, &c. Ouidius libro 6. Fastorum, Vesta faue, &c. Lucretius libro 2. Quare magna, &c.

Præfecit.] Notandum hoc loco, sub pietatis cortice

cortice regnandi libidinem latuisse.

A Marte.] *Iouis & Iunonis, uel ut Ouidius fingit, Iunonis tantum filio, & belli deo.* De *uiolata autem filia, multæ sunt authorum opiniones, quæ ex Promathione extant apud Plutarchum, Dionysium, & Sabellicum. Dubium tamen non est à Marte compressam uirginẽ, ideo finxisse ueteres, ut minor turpitudinis nota esset, & humanus quoque animus diuini stirpis fiducia res magnas audacius aggrederetur. Martis congressum graphicè depingit Naso libro 3. Fastorũ, Ventum erat ad mollem, &c. Cicero uerò libro 1. de Nat. deor. ut fabulosum deridet.*

In uincula compegit.] *Quidam, uirgis prius cæsam, & deinde secundum legem delinquentium Vestalium uiuo corpore sepultam esse prodiderunt. De qua lege & consuetudine Plutarch. § 96 Problematum, Lætus § 23. Alexand. ab Alex. libro 5. cap. 12. Cælius libro 17. cap. 19. et qui paulo antè citati.*

Tyberim.] *Flumen quindecim ferè millia passuum ab Alba profluentem, quod prius ab aquarũ colore Albula uocabatur, deinde à Tybri Tuscorum rege ibi occiso Tyberis. Vide Plin. libro 3. cap. 5. libro 36. cap. 9. Cornel. Tacitum libro 1. Annalium. Volaterr. libro 38. cap. 1. Paralip. Vergilium libro 8. Tum reges, &c. Ouid. libro 2. Fastor.*

Albula quę Tyberis, &c. et lib. 4. Cũq; patris, etc.

Abiecit.] Fabius Pictor & Dionysius, famu-lis exportandos dedisse scribunt, more ueterum gentilium, qui infantes, de quorum uita, moribus, rebus denique gestis sinistra habuerunt præsagia, clàm exposuerunt, quò futurum euitaretur ma-lum. quorum catalogum lege apud Higinum fabu la 252. Sabellicum libro 1. cap. 1. Exemplorum. Romuli autem & Remi expositionem eleganter describit Naso libro 2. Fastor. Is iubet auferri, &c. & lib. 3. Amne iubet, &c.

Aqua in sicco reliquit.] Vnde discendũ, fatũ in euitabile, & diuini numinis prouidentiã, q̃ facil-lime omniũ tyrannorũ superare uim, et potentiã.

Lupa accurrit.] Lupam uoracißimum ani-mal, infantibus ubera præbuisse scribunt, Fabius Pictor, Lucius Cincius, Portius Cato, Calphurnius Piso, Dionys. Halicar. Plutarchus, Florus, Higinus fab. 252. Vergilius lib. 8. circa finem, Fecerat et ui ridem, &c. Propertius lib. 2. Eleg. 6. Cur exem-pla petam, &c. Ouidius lib. 2. Fastor. Venit ad ex positos, &c. & lib. 3. à prin. Lacte quis infantes, &c. Testatur quoq; lupæ huius statua in templo Romuli, de qua Pompon. Lætus f. 99. Marlian. li bro 2. cap. 7. & libro 2. cap. 12. Dionys. lib. 1. Sed fabulosa hæc uidentur Liuio, Eusebio in Chro. La-ctantio lib. 1. cap. 20. Diuinarũ instit. Eutropio et

alijs,

alijs, asserentibus Laurentiã pastoris uxorem, ob corporis quæstum lupam, hoc est meretricẽ fuisse, quæ geminos educandos susceperit. Vnde et hodie meretricũ cellulæ lupanaria dicuntur. Picum etiã auem Marti sacratam infantibus cibum dedisse legimus apud Plutarchum, & Ouidium lib. 3. Fast.

Vberibus.] Sub arbore uidelicet Ruminali, à qua Romulum deinde dictum quidam putauerũt. De qua Plinius lib. 15. cap. 18. Plutarc. in Romulo. Tacitus lib. 4. Annal. Publ. Victor de regionibus urbis, Reg. 8. Lætus § 28. Marlian. lib. 2 cap. 13. Ouidius lib. 2. Fastor. Arbor erat, &c. Hanc autẽ arborem annis 840. & amplius uirentem, ad Neronis usque tempora in Comitio seruatam, scribit Cælius lib. 11. cap. 12.

Faustulus pastor.] Dionysius subulcorum regiorum magistrum, Plutarchus uerò Amulij seruum fuisse putat. Quisquis autem fuerit, statuam Romæ meruit, teste Marliano libro 3. cap. 17. Topographiæ.

Accæ Laurentiæ.] A qua Romulus deinde post aliquot annos spicea coronatus est, ut apud Plinium libro 15. cap. 18. legimus. & cuius sepulchrum in Velabro, Valerius Antias, & Marlianus libro 4. cap. 4. fuisse ferunt. Verùm quæ Romanorum historiæ de immoderata huius mulieris libidine scribunt, ad Floram insignem Ro-

manorum meretricem referre uidetur Boccatius *de Claris mulieribus cap. 62.*

Amulio interfecto.] *Apud Albam uidelicet, ubi ob* Remum *abductum mota erat seditio*. De e-*ius morte tum alij, tum* Ouidius *libro 3. Fastorum,* Romuleoq; *cadit, &c.*

Pastoribus.] *Quibus cum educati erant gemini fratres.Ouid.libro 4. Fast. Contrahere agrestes, &c.*

Ciuitatem condiderunt.] Eo *uidelicet in loco, in quo expositi inuenti erant. Verùm quo anno fundamenta urbis iacta sint, dissentiunt mirum in modum* Græci *authores, quorum opiniones recitat Solinus capite 2.* Polyhistoriæ: *cuius opinionē de motu siderum in natalitio urbis die, refellit* Ioachimus *noster* Vadianus *in* Pomponij Melæ *libro 2. capite 1.Commentarijs.*

Romulus *augurio uictor.*] Romanorum *superstitionē in colligendis augurijs, leges apud* Dionysium *libro 2.* Plutarch*.§. 71.72.77.93. & 99.* Problem.*Ciceronem libro 1. de* Diuinatione. Val. Maxim.*lib. 2. cap. 4. & 5.*Pompon. Læt.*cap. 5.* Fenestellam *cap. 4. de* Roman. *sacer.* Blond.*lib. 1.* Romæ *triumph.*Petrarch.*libro 1.* Tract.*3. capite 2. & 3.*Rerum *memor.* Alexandrum *ab* Alexand. *libro 5. cap. 19.* Cælium *libro 7. cap. 29. libro 18. cap. 25. libro 17. cap. 27. libro 2. cap. 12. libro*

bro 16.cap.19.Gellium libro 13.cap. 14.libro 15. cap. 27. Ioannem Sarefberienfem in Polycratico,libro 1. cap. 13. Præfentis autem augurij meminit Ennius apud Ciceronem libro 1. de Diuinatione. Plutar. Problem. 91. Iulius Obfequens cap. 68. Prodig. Cælius lib. 27. cap. 8. Ouidius lib. 2. & 4. Faftorũ, Nil opus, &c. Statius libro 3. Thebaid. Hic honor, &c.

Ipfe.] In Palatium cum fuis afcendens, locum urbis longè eminentißimum.

Tantum fex.] Poftea quam Auentinum montem occupaffet.

Vultures.] In augurijs uulture plurimum ufi ueteres, cum auium ferè omnium innocentißimus, non ex his quæ feruntur aut plantantur, fed ex cadaueribus tantum fibi uictũ quærat: & hinc Herculem quoq; lætari folitum, apud Herodotum legimus, fi in re gerenda uultures fefe oftendiffent. de quorum augurio Cælius libro 28. cap. 8. & Ioannes Saresberienfis in Polycratic. libro 1. cap. 13. Natura uerò, Plinius libro 10. cap. 6. libro 20. cap. 7. Alexander ab Alexand. libro 5. cap. 13. Volater. libro 25. cap. 10. Barthol. Anglicus libro 11. cap. 35. de Rerum proprietatibus. Vectij uaticinium autem de Romani imperij perfeuerantia, ex uulturum duodecim uaticinatione, ex Varronis antiquitatibus refert Cælius Rhod. lib. 27. ca. 8.

Romam uocauit.] *Suo scilicet de nomine, ut canit Maro libro 1. Aeneidos, Romulus excipiet gentē, & Mauortia condet Mœnia, Romanos suo de nomine dicet, &c. Sed diuersas Cephalonis Gergethij, Agathilli, Demagoræ, Damasthenis, Calliæ, Agathoclis, Xenagoræ, Dionysij Chalcidensis, aliorumq; Græcorum, de nomine Vrbis opiniones, pete ex Plutarchi Romulo, Dionys. lib. 1. Solin. cap. 1. Polyhist.*

Vt primum legibus muniret.] *Nec enim aliunde magis florent Respub. quàm si legum uigeat authoritas: nec ibi tyrannis oriri potest, ubi ex arbitrio legum geruntur omnia.*

Edixit ne quis.] *Hanc legem ex honestatis fonte nequaquam fluxisse, Cicero lib. 3 Officiorū. 4. ostēdit copiosißime, cum magis utilitatis, quàm honestatis causa lata esse uideatur.*

Vallū.] *Alij scribunt, legē promulgasse Romulum, ne quis urbis mœnia, alij ne fossam quā ad lineamenta urbis aratro signauerat, transiliret.*

Irridens.] *Vel fratris in condenda lege stulticiam, uel inchoati iam operis inanes munitiones.*

A Fabio.] *murorum, ut Dionysius ait, præside: aut ut Plutarchus, Romuli duce. Alij Remum in contentione auguriorum interfectum, alij ab ipso Romulo confossum esse, memoriæ prodiderunt. Sed Plinio nostro astipulantur Plutarchus, Eutrop.*

Eutrop. Mes. Coruinus, & Ouidius libro 4. Fast. Hoc celer urget opus, &c. Sed quocunque demum casu interijt, nouae urbis munitionem, authore Romulo, suo sanguine consecrauit, ut canit Lucanus libro Pharsaliae 1. Fraterno primi maduerunt sanguine muri, &c. Horat. Od. 7. Epodon in fine, Scelusq; fraternae necis, &c.

Celere.] Hoc cognominis ideo datum Fabio uolunt, quod Remo occiso celerrimè in Hetruriā aufugit, ne à Remi fautoribus quoq; interficeretur. Sic enim à uelocitate Metellus Celer cognominatus est, ut legere est apud Plutarch. in Metello, & Caelium quoq; lib. 24. cap. 6.

Rastro.] instrumento rustico dentato, de quo Varro lib. 1. de re rustica. Dionysius & Eutropius rutro pastorali Remi caput percußisse, memoriae tradiderunt.

DE ROMVLO, PRIMO ROMANOrum rege. Cap. II.

Romulus asylum conuenis patefecit: & magno exercitu facto, cum uideret coniugia deesse, per legatos à finitimis ciuitatib. petijt. quibus negatis, ludos Cōsualia simulauit. Ad q̄s cum utriusq; sexus multitudo uenisset, dato suis signo, uirgi-

uirgines raptæ ſunt. ex quibus quũ una pulcherrima cum magna omnium admiratione duceretur, Thalaſſio eam duci reſponſum. Quæ nuptiæ quia feliciter ceſſerunt, inſtitutũ eſt, ut omnibus nuptijs Thalaſsij nomen inuocaretur. Cum fœminas finitimorum Romani ui rapuiſſent, primi Ceninenſes contra eos bellũ ſumpſerunt.† Aduerſum quos Romulus proceſsit, & exercitum eorũ ac ducem Acronem ſingulari prælio deuicit. Spolia opima Ioui Feretrio in Capitolio conſecrauit. Sabini ob raptas bellum aduerſus Romanos ſumpſerunt: & cum Romæ appropinquarent, Tarpeiam uirginem nacti, quæ aquæ cauſa ſacrorũ gratia hauriendæ deſcenderat: ei T. Tatius optionem muneris dedit, ſi exercitum ſuum in Capitoliũ † produxiſſet. Illa petijt, quod illi in ſiniſtris manibus gerebant, uidelicet annulos & armillas. Quibus doloſè repromiſsis, Sabinos in arcem perduxit,

al. aduerſus

al. perduxiſſet

xit, ubi T. Tatius scutis eam obrui præcepit. nam & ea in læuis habuerant. Romulus aduersus Tatiũ, qui montem Tarpeium tenebat, processit: ac in eo loco, ubi nunc Romanũ forũ est, pugnam conseruit. Ibi Hostius Hostilius fortissime dimicans cecidit, cuius interitu cõsternati Romani fugere cœperũt. Tunc Romulus Ioui Statori ædem uouit, & exercitus seu forte, seu diuinitus restitit. Tunc raptæ in mediũ processerunt, & hinc patres, inde coniuges deprecatæ, pacem conciliarunt. Romulus fœdus percussit, & Sabinos in urbẽ recepit, populũ à Curibus oppido Sabinorum Quirites uocauit. Centum senatores ab ætate Patres appellauit. Treis equitum centurias instituit, quas suo nomine Ramnenses, à T. Tatio Tatienses, à Lucomone Luceres appellauit. Plebẽ in triginta curias distribuit, easq; raptarum nomine appellauit. Cum apud Capreæ paludem exercitum lustraret, nunquã

† nunquam comparuit. Vnde inter Patres & populum ſeditione orta, Iulius Proculus uir nobilis in concionem proceſsit, & iureiurando firmauit, Romulum à ſe in colle Quirinali uiſum, auguſtiore forma, cũ ad deos abiret: eundẽq; præcipere, ut ſeditionibus abſtinerent, uirtutẽ colerent. futurum, ut omniũ gentiũ domini exiſterent. Huius autoritati creditũ eſt, ædes in colle Quirinali Romulo cõſtituta, ipſe pro deo cultus, & Quirinus eſt appellatus.

IN CAPVT II.

Aſylum.] *Primùm Cadmus, dum Thebas conderet, inter Græcos aſylum aperuiſſe fertur: ad quod fugientes ſine diſcrimine ſerui aut liberi, ab omni pœna tuti erãt. Nõnulli à prognatis Herculis, aſylum Athenis primo inſtitutum ferunt, ad quod à Patrib. oppreßis cõfugere fas erat: de quo Herodotus lib. 2. Poſt quod in Rhetæo littore fuit Aiacis aſylum, & in Sigæo Achillis, quorum exemplo Romulus ſuum aſylum aperuit, ad lucum opacum, & ualle inter Capitolium et arcem, cuius meminit Dionyſius lib. 2. Liuius lib. 1. Dec. 1. Florus lib.*

lib.1.cap.1. Lactantius lib.2.cap.7. Eutrop. lib.1. cap.4. Alexand.ab Alexand.lib.3.cap.20. Pomp. Lætus § 102 de Antiq. urbis, Marlian.lib. 2. cap. 4.& lib. 4.ca.9. Volater.lib.19.cap.2. Anthrop. Vergilius lib. 8. Hinc lucum ingentem, &c. Ouid.lib.3.Fast. Monte sub.Iuuenal.Satyr. 8. Nomē ab infami, &c. Propert.lib.4.Eleg.1. Buccina cogebat, &c. Horat.lib.1. Od.12. Romulidum post hos, &c. Hoc autem Romuli asylum malefaciendi ansam ratus, Tiberius postea irritum fecit.

A finitimis.] *Ceninensibus, Sabinis, Ostiensibus, Caietis, Viterbiensibus, &c.*

Ludos Consualia.] *Fuit Consus consilij deus, cuius ara in Circo maximo, undiq; aggesta humo abdita erat, quod arcanum esse consilium putarunt: quam aram, quum ludos celebrarent, omnibus adire fas erat: in qua Romani sacrificijs igneis, alijsq; solennibus festos agere dies assueuerunt, quæ feriæ publicæ dictæ sunt. Eo etiam tempore, hoc est octaua Sextilis, anno ab urbe condita quarto, equestres ludos Romulum instituisse ferunt, tametsi mense Martio primum Consualia instituta nonnulli testati sint. Erat autem is ludus, ut equi & muli iuncti & soluti in Circo maximo, magno spectantium studio currerent. qua de re Dionysius libro 2. Terentius Varro lib. 5. de Lingua latina, Pomp. Lætus § 24.*

Alexan-

Alexander ab Alex. libro 5. cap. 26. Blondus libro 1. Romæ triumph. Marlia. libro 4. cap. 12. Volater. libro 29. cap. 11. Ouidius libro 3. Fast. Festa parat Conso, etc. Notandum tamen plerosq; esse, qui dum dijs Laribus Romani ludos celebrarint, Romulum Sabinas rapuisse dicant.

Dato suis signo.] *Erat autem signum, aggrediendæ rei opportunitatem adesse, cum Romulus assurgens, purpuram in sinus contractam explicaret: ut apud Plut. legimus. Sextius uerò Syllas Carthaginensis Thalaßij nomen direptionis signũ fuisse prodidit.*

Virgines raptæ sunt.] *Qui fuerit raptarum numerus, inter authores discrepat. Quidam enim non ultra triginta fuisse tradunt, quæ curijs nomina dedêre. Nonnulli quingentas, pleriq; septem et uiginti, ut Valerius Antias. Alij sexcentas & tres supra octuaginta, ut Iubas & Dionysius. De hoc autem facto præter suprà citatos lege Orosiũ lib. 2. cap. 4. Plinium libro 15. cap. 29. Augustinum libro 2. cap. 17. & libro 3. cap. 13. Ciuitatis. Petrarcham libro 3. Tract. 1. cap. 1. Rerum memorabilium, Vergilium libro 8. Nec procul hinc, &c. Ouidiũ libro 3. Fastorum, Iamq; ferè, &c. Alexandrum ab Alexand. libro 5. cap. 26. Straboné lib. 5.*

Thalaßio.] *iuueni, ut Plutarchus ait, probo & splendido, Romuliq; duci.*

In

In nuptiis Thalaßij nomen inuocant.] Sicuti Græci ὑμὴν ὦ ὑμέναιε ὦ ὑμὴν, qui fœlices coniugio fuere. De qua Romanorum consuetudine uide Plutarchum quoq; in Cn. Pompeio, et Problemat. 30. Blondũ lib. 8. Romæ triumph. Alexã. ab Alex. libro 2. cap. 5.

Ceninenses.] Ceninam Italiæ ciuitatem inhabitantes, de qua Strabo, Plin. lib. 3. cap. 4. Solinus cap. 2. Volater. lib. 16. cap. 1. Geographiæ.

Acronem.] hominem uehementem, & rebus bellicis pariter audacem, qui magna militum copia in Romanum agrum impetum fecerat, de quo lege quoq; Valer. Max. lib. 3. cap. 2. §3. Volat. lib. 13. cap. 1. & lib. 19. cap. 2. Anthrop.

Singulari prælio.] Singularia certamina sunt, quibus tantum bini concertantes congrediuntur, Græci μονομαχίαν uocant. Quemadmodum in sacris literis fuit certamen Dauidis & Goliæ: apud Homerum Hectoris & Achillis, Glauci & Diomedis: apud Vergilium Daretis & Entelli, Aeneæ & Turni, &c.

Deuicit.] Et quatuor equorum curru triumphauit.

Spolia opima.] Opima spolia, uel ab opibus, ut ait Varro: uel ab inuicto opere, cum uictoribus tantum laudis accesserit, nomina sumpsere: seu quod fidei propius est, opima ampla dici, sicut opi

mam prædam, & opimum bouem dicimus. Quæ nisi duces, regesq́;, quorum auspicio res geruntur, suismet corporibus dimicantes, hostium ducibus detraxerint, necemq́; & exitium intulerint, haud quaquam opima dici uoluēre. Ter autem opima spolia delata sunt tantum. Primò à Romulo, deinde à Cornelio Cosso, tertiò à Claudio Marcello. *Qua de re* Plutarchus, & Alexander ab Alexand. *libro* 1. *cap.* 14.

Ioui Feretrio.] *Diuersas huius cognominis rationes adferunt. Feretrium enim adpellatum* Dionysius *scribit, à ferendis spolijs.* Plutarchus *à ferendo hoste, quasi ut dux ducem feriret, se propitio et iuuante effectum sit.* Oliuerius Arziganensis *in* Valerij Maximi *commentarijs, à feretro instrumento, quo spolia opima suspendebantur. Alij, quòd per eius sceptrum & silicem iurantes,* Romani *pacem referre soliti sint: de qua consuetudine* Alexand. *ab* Alexan. *loco citato.* De Romuli *uerò spolijs* Propertius *lib.* 4. Eleg. 10. Nunc *spolia in templo, &c.*

In Capitolo *consecrauit.*] Feretrij Iouis *templum fuit in uertice Capitolini montis, exiguum sanè & angustum, sed religione sanctissimum, cuius tecta multos post annos ob uetustatem, &* Romanorum *negligentiam collapsa, restituit* Augustus: *ampliauit etiam post* Romulum Ancus

Martius.

Martius.Vide Marlian.libro 2.cap.3.

Capitolio.] *Capitolium à capite hominis, à Tarquinio Prisco ibi inuento, dictum est: de cuius diuersis nominibus & structura, Plinius libro 19. cap.1.lib.7.cap.28.& lib.36.cap. 6.Marlian.lib. 2.cap.1.& 2.Pompon.Lætus § 4. de Rom. antiq. Publ. Victor de regionibus urbis, Reg.8.Alexand. ab Alex.lib.6.cap.11. Cælius lib.23.cap.6. & qui citantur infrà cap.8.*

Sabini.] *Italiæ populus à deorum cultu cognomen accipiens, quasi Sebini, ἀπὸ τοῦ σέβειν. uel à Sabo duce, ut est apud Silium Italicum libro 8. Ductorem gentis, &c. Vide Plinium lib.3.cap.12. & lib.36.cap.15.Volater.lib.6.cap.2.Alexan.ab Alex.lib.5.cap.26.Cælium lib.7.cap.9.& quæ infrà annotata sunt cap.6.*

Tarpeiam uirginem.] *Vestalem, quam Dionysius Spurij Tarpei Capitolij præsidis filiam: Antigonus uerò, & alij quidam, Sabinorum regis filiam fuisse tradiderunt. cuius factum describunt Aristides Milesius de rebus Italicis, Plutarch.cap.31. Paral. Valer.Maxim. libro 9.cap.6.§ 2. Volater. lib.19.cap.2.Verg.lib.8. Hinc ad Tarpeiam, &c. Ouid.lib.1.Fastorum, Vtq; leuis custos, &c.& lib. 14.Metamor. Munere regna, &c. Proper.lib.4. Eleg.4.& qui suprà à primi cap.principio citati.*

Aquæ hauriendæ gratia.] *Ad fontē uidelicet*

Vestalibus sacrum, ex quo aquam haurientes, sacrificia inundant, manus & pedes lauant, aditumq; aspergunt: qua de re Plutarch. in uita Numæ Pompilij. Qua ratione aũt, quibusúe cæremonijs aqua sacrificijs adhibita sit, docet Alexan. ab Alex. li. 4. cap. 17.

Hauriendæ.) Habebant, eodem teste, uas lato ore, ac fundo angusto, quo aquam haurirent: et ita quidem formatũ, ne stare ullo loco posset, quod quidem Flaminicæ uirgines, sacrorum ministræ, aut Vestalium famulæ manibus tenebant, sacrisq; faciendis adhibebant.

T. Tatius.] Sabinorum rex bellicosissimus.

Annulos & armillas.] Erant enim ea tempestate Sabini, ut apud Dionysium legimus, auriferi, atq; Hetruscis nihilo minus lauti. Apud Romanos autem, non omnibus, sed equestris ordinis militibus annulorum aureorum ius tributum est tantum, item senatoribus, & militiæ primoribus. Vide Plinium lib. 33. cap. 1. Alexand. ab Alex. lib. 2. cap. 29. Cælium lib. 6. cap. 12.

Armillas.] Armillæ ab armo dictæ, supremá brachij parte in humeros collumq; uergente, quã partẽ argenteis aureis'ue tegminibus fabrefactis milites ornabant: quod in statuis nunc marmoreis & alijs ueterum sculpturis apparet. Sic legimus quoq; apud Liuiũ in decimo, Papyrium Cursorem

sorem consulem, Papyriũ filium, item quatuor centuriones, manipulumq́; hastatorum armillis aureisq́; coronis donasse. Vide hac de re Blondum libro 6. Rom. triumphantis.

In sinistris manibus.] *Graecos olim annulos in digito qui minimo proximus est sinistrae manus habuisse legimus, quod insectis humanis corporibus olim, neruum quendam tenuißimum ab eo digito ad cor hominis tendere animaduerterint. Vnde, quod quasi connexus esse cum principatu cordis uideretur, hunc sinistrae manus digitum tali honore decorandum ueteres putarunt: cuius rei autor est Appion in libris Aegyptiacis, Gellius lib. 10. cap. 10. Plin. lib. 33. cap. 1.*

Quibus dolose repromißis.] *Tarpeiae uirginis factum alij in malam, alij in bonam partem interpretantur. Fabius Pictor enim, & Cincius, auri cupidine motam, illud quod sinistris manibus habebant, petijsse ferũt. Lucius uerò Piso Censorius clypeos, quos contra uim hostium sinistris manibus tenebãt, efflagitasse existimat, ut nudatos iam hostes suis interficiendos traderet. Vtrum autem uerius sit, ex eo colligimus, quòd nõ tantum honestißimè à Romanis, ut Plutarchus scribit, sepulta, uerùm etiam Tarpeius mons ab ea denominatus sit. Qua de re Plutarch. Dionys. & Marlian. lib. 2. cap. 1.*

Perduxit.] *Per Clusinae uidelicet Veneris*



templum. Simulus autem poeta delirans, opinatur Tarpeiam non Sabinis Capitolium prodidisse, sed Celtis, eorum regis amore incensam. Cuius opinionem refutare uidetur in Romulo Plutarchus.

T. Tatius.] Sabinorũ rex uel dux fortißimus.

Scutis.] Læuis enim manibus scuta ferre milites solebant, quibus ictus hostium auerterent. qua de re Cælius lib. 10. cap. 4. Blond. libro 16. Romæ triumph.

Obrui iußit.] Huc pertinent Octauiani Augusti, et Antigoni quoq; apophthegmata, qui dicebant, proditores quidẽ dum proderent amandos, post factum uerò summo odio prosequendos esse. Significantes, his qui proditione profuerunt, nihil deberi gratiæ, licet officium quod præstant, pro tempore gratum sit. Similem autem de pœna proditionis historiam ex Clitophonis libro rerum Gallicarum primo, leges apud Plutarchum cap. 30. Parall.

Nam & ea in læuis habuerant.] Sic fraus fraudem, dolus dolum ubiq; trudit.

Tarpeium montem.] De quo sontes præcipitabant: de cuius magnitudine & uarijs nominibus Pomp. Læt. § 101. Rom. antiq. Marlian. lib. 2. cap. 8. & lib. 2. cap. 1.

Vbi nunc forum Romanũ est.] Romanũ forũ, quod etiam Latinum uocabant, à radicibus Capitolij se-

lij secundum longitudinem usq; ad templum S. Mariæ Nouæ, quæ in Velia est, producebatur. Verùm eo tempore quò Romulus cum Tatio aduersus Sabinos pugnauit, fines multo angustiores habuit. non enim ultra primas Palatini radices progrediebatur, sed multos post annos ampliauit Augustus. Vide Marlian. lib. 3. cap. 15. Publium Victorem in Regione 8. urbis. Alexan. ab Alex. li. 2. cap. 12. Cælium lib. 28. cap. 10.

Ibi cecidit.] Apud portam ueterem Palatij quidam cecidisse scribũt: Plutarchus uerò apud Lacũ Curtiũ, qui fuit in medio foro iuxta Domitiani postea equũ. Vide Marlian. lib. 3. cap. 18. Topog. & P. Victorem in regione 8. Vrbis.

Hostius Hostilius.] Tulli Hostilij tertij Romanorum regis auus, & Hersiliæ maritus.

Ioui Statori.] Iouem Statorem pleriq; à stando dictum uolunt, id est erigendo. conciderant enim in ea clade planè Romanorum animi. Diuus autem Hieronymus contra Iouianum, quòd nunquam ociosus sedeat, sed ad ferendam opem omnibus paratus sit. Seneca uerò lib. de Beneficijs tertio, ideo quod eius beneficio stent omnia, Statoris nomen sibi uendicare existimat. De qua re Laurẽ. Valla lib. 5. cap. 6. Eleg. multa.

Aedẽ uouit.] In Palatini montis radicibus, è regione ædis Cõcordiæ, olimq; Ciceronis domus, quæ

iussu Clodij demolita, & in porticum Libertatis translata fuit, cuius templi etiam hodie spondæ murorum altißimæ uidentur. De quo Plinius lib. 34. cap. 6. Pomp. Læt. § 8. de Antiq. urbis, P. Victor Reg. 10. Marlian. lib. 2. cap. 11. Topog. Alexan. ab Alexand. libro 6. cap. 11. Ouid. lib. 6. Fastor. Tempus idem Statoris erit, &c.

Coniuges deprecatæ pacem inierunt.] *Sabinarum uirginum orationem ut doctam, ita commiseratione & affectibus plenam, pete ex* Liuio lib. 1. Dec. 1. & Plutarchi Romulo. *Nasonis præterea libro 3. Fastor. Conueniunt nuptæ, &c. Similem autem muliebris fortitudinis historiam, legimus de Celticis mulieribus, quæ per media hostium agmina irruentes, precibus & lachrymis pacem conciliarunt suis, apud Plutarch. cap. 6. de Claris mul.*

Fœdus percußit.] In uia sacra, *Carinis & uiæ Suburræ proxima, ut testis est* Marlian. lib. 3. cap. 25. Topog. *Fœderis autem percutiendi morem & cæremonias pete ex* Alexan. ab Alex. lib. 5. cap. 3.

Sabinos in urbem recepit.] Explicatio *fœderis est, quod erectis aris iuramento firmarunt, ut apud* Dionys. Plutarch. & Eutrop. lib. 1. cap. 4. *legimus. à quibus in eo tantum dissentit* Liuius, *quod* Romulum & Tatium *in ipso belli ardore congressos, & de pace collocutos arbitratur.*

Curibus oppido Sabinorum.] Fuit Tatij Numæq;


maéq; patria, & Sabinorum olim metropolis, teste Volaterrano lib. 6. cap. 2. Geographiæ.

Quirites uocauit.] Quirites autem ciues uocabāt Romani, ut ex Fenestella, Pomponio Læto & Varrone colligimus.

Centum Senatores.] De senatorum origine, electione, numero, officio & potestate, Fenestella cap. 1. Pomp. Læt. cap. 3. & 4. de Roman. magist. Gel. lib. 14. cap. 7. Blond. lib. 3. & 4. Romæ triūp. Alexand. ab Alexand. libro 4. cap. 11. Extat etiam titulus 9. lib. 1. ff. & in Pandect. lib. 1. tit. de Senatoribus.

Tres equitum centurias.] Quarum opera in omni Repub. uterentur. Erat autem equestris ordo, etsi senatorio minor, magnæ tamen amplitudinis & uigoris, ut legimus apud Liuium, Dionysiū, Plutarch. Fenestel. cap. 2. de Magist. Rom. Seruiū lib. 9. Commentariorum in Vergil. Asconium Pedianum in 2. Actione Verrina, Alexand. ab Alex. lib. 2. cap. 29.

A Lucumone.] Thusco, qui Romulo aduersus Tatium Sabinorum regem pugnāti, auxilium tulisse fertur. Sed Festus ait, quosdam fuisse, qui nō tam à Lucumonibus, quàm à luco, in quo urbs Roma, aut prima eius pars asylum fuit conditū, dictos existimēt. Sunt præterea qui à Luceo Ardeæ rege Luceres dictos putent. Vide Blondum lib. 3. Romæ



triumph. & iamiam citatos.

Plebem in 30. curias distribuit.] *Quæ sint tribuũ* Romanorũ *nomina, unde appellatiões quo que acceperint, cũ recitare hic longũ esset, ex* Blon*do petes, et* Alexan.*ab* Alex.*lib.*1. *ca.*16.*qui omnẽ rem diligentißime et mira breuitate cõplexi sunt.*

Raptarum nomine adpellauit.] *Omnes ferè* Romanorum *historiæ ex raptarũ nominibus, appellationem accepisse tribus, affirmare uidentur. Varro tamen de Curiarũ nominibus diuersa prodidit, eos secutus, qui prius hæc nomina indita fuisse putarunt.*

Capreæ paludem.] *Quam in campo Martio fuisse Marlianus ait, lib.6.cap.9.*

Nunquam comparuit.] *Non una est autorũ de morte* Romuli *opinio. Sunt enim qui uictis Fidenatibus & Veientibus, Romulum à primoribus interfectum, corporeq; in minutißimas partes dissecto, occultè sub uestibus per partes asportatum scribant. Aristobolus uerò lib. Italicarum rerum* 2.*Dionys.Halicar.lib.*2.*Valer.Maxim. lib.*5.*cap.*3.*§* 1. *Augustinus libro* 3. *cap.* 15. *eius parricidij nouos ciues authores fuisse memorãt.* Apud Capre*am autem paludem cum concionẽ haberet, à Marte patre nimbo ablatum, cum Plinio nostro affirmarunt, Liuius, Plutarch. in* Romulo *& Numa Pompilio, Florus, Messala Coruin, Marlian.li.*6.

cap.

cap.9.Sabel. lib.1. cap. 8. §1. Ethnicorũ exempl. Ouidius quoq; lib.2.Fastor. Est locus,&c.

Iulius Proculus.] Plutarchus in Parallelis, Actium Proculũ ex Aristoboli sententia uocat, uirũ primariũ,& à Romulo plurimũ dilectum. Proculi autem dicuntur, qui foris agente patre nati sunt: ut testatur Alexand.ab Alex.lib.1.cap.9.

In colle Quirinali.] Collis Quirinalis est montium in urbe sextus secundum ordinem. in eo loco autem Romulum uisum à Proculo ferunt, ubi olim domus Pomponij Attici fuit,& nunc quoq; S. Vitalis templum conditum est. De Quirinali autem colle,eiusq; magnitudine, Marlian. lib.1.cap.1.& lib.5.cap.2.Topog.Alexand.ab Alex. lib.6.cap. 11.Pomp.Læt.§57.de Antiq.

Augustiore forma.] non humana amplius: à formæ enim mutatione,in deorum numerum relatum esse,hominibus persuaserunt.

Ad deos cum abiret.] Raptus à Marte patre, ut ait Dionysius lib.2.Cuius rei meminit quoq; Cicero lib.1.de Legibus.

Eundẽq; præcipere.] Notanda Romuli pietas erga suos, quos etiã iam relatus in deorũ numerũ, egregijs documentis instituere uoluit:ut eleganter etiam scribit Naso lib. 2. Fastor. Thura ferãt, &c.

Seditionibus abstinerent.] Quibus omnis Resp. quàm facillime dissoluitur. Concordia enim,ut ille

ait,

dit, paruæ res crescunt, discordia uerò maximæ di labuntur.

Virtutem colerent.] *Summum illud bonum, ac benè beateq; uiuendi certißimam regulam.*

Omnium gentium domini existerent.] *Romani imperij magnitudinem et excellentiam legere licet tum apud alios, tum apud Plinium libro 3. cap. 5. Solinum in præfatione Polyhist. Verg. lib. 1. Aeneid. Romanos rerum dominos, &c. & lib. 6. Imperium terris, &c. et lib. 7. Omnia sub pedibus, &c. Martial. lib. 12. Terrarum dea, gentiumq; Roma, &c. Ouid. lib. 2. Fastor. Hic ubi nunc Roma, &c. Claudian. lib. 3. de laudibus Stiliconis, Proxime dijs, &c. Propert. 22. Omnia Romanæ cedent, &c. Cæl. Rhod. lib. 18. cap. 25. qui ex Græco quodam authore orbis epitomen Romam uocat.*

Aedes in colle Quirinali constituta.] *Marlianus lib. 2. cap. 12. ad radices Palatini montis, & in medio eius lateris quod Capitolium respicit, situm fuisse Romuli templum existimat, eoq; in loco ubi nunc D. Theodorici templum situm est. Alexander autem ab Alexand. in colle Quirinali quoque positum, & omni tempore clausum (ut arcanum esset, humo'ne tectus, an inter diuos relatus Romulus) fuisse, scriptum reliquit, lib. 1. cap. 14. Tametsi Varro post Rostra, Romuli sepulchrum fuisse dicat, quod inter antiquißima urbis monumenta*

menta numeratur: cuius meminit Plin. quoq; lib. 2.cap.60.Cælius lib.20.cap.26. Marlianus lib.3. cap.17.

Pro deo cultus.] Diuinos honores exhibuerunt ueteres ijs, qui optimè de humana societate meriti,& præclaris rebus gestis inter omnes conspicui fuissent. Sic Plutarchum habemus autorē, Lysandro primo Græcorum templa fuisse erecta. Cyro mortalium primo adorationis cultum fuisse delatum, scribit Arrianus. Quam humilitatem Persæ postea seruarunt,& Medi, quando (si Q. Curtio credimus) inter deos recensuere reges, tanquam maiestas imperij salutis tutela esset. Sic deinde Romani suis imperatoribus diuinitatē adscripserunt. Qua de re lege Cælium lib.21.cap.33.

Quirinus appellatus est.] Solebant etiam ueteres mortuis consecratis immutare nomina, hanc nimirum ob causam, ne quis homines fuisse existimet, sed deos potius immortales, et humanarum rerum curatores. Sic quoq; Leda Nemesis, Circe Marica: & Ino, posteaquam se præcipitauit, Leucothea nominata est. qua de consuetudine Lactantius lib.1. Institutionum diuinar.cap. 21. Cælius lib. 11.cap.19.

Quirinus.] Romulus unde Quirinus adpellatus sit, uariæ sunt authorum opiniones. Quidam enim ab hasta, quæ Sabinorum lingua quiris dicitur:

tur: alij, quod Cures bello uicerit. Alij, à Marte patre: qui etiam Quirinus, dum arma abiecit, dictus est. Vide Plutarch. in Rom. Eutropiũ lib. 1. cap. 4. Sabel. lib. 3. Enn. 2. Ouid. lib. 2. Fastor. Siue quod hasta, &c. Verùm cũ antiquitus regum insignia (ut apud Iustinum in 44. legimus) hastæ fuerint, à Sabinorũ suorũ hasta nomen accepisse probabile est.

DE NVMA POMPILIO, ROMANOrum rege 2. *Cap. III.*

† al. dißensiones

POst consecrationẽ Romuli, cũ diu interregno † seditiones orirentur, Numa Pompilius Pomponij filius, Curibus oppido Sabinorum accitus, cum adducentibus ciuibus Romam uenisset, ut populũ ferum religione molliret, sacra plurima instituit, ædem Vestæ fecit, uirgines Vestales legit: Flamines treis, Dialem, Martialem, Quirinalem. Salios Martis sacerdotes, quorum primus præsul uocatur, XII. instituit. Pontificem Max. creauit. Portas Iano gemino ædificauit. Annũ in XII. menseis distribuit, additis Ianuario & Februario. Leges quoque plurimas,

mas, & utileis, & omnia iussu Egeriæ nymphæ, uxoris suæ, se facere simulans. Ob hanc tantam iustitiam bellum ei nemo intulit. Morbo solutus, in Ianiculo sepultus est, ubi post multos annos †arcula cum libris à Terentio quodam exarata: qui libri quia leueis quasdam sacrorum causas continebant, ex auctoritate Patrum cremati sunt. al. scrinia

IN CAPVT III.

Post consecrationem Rom.] *Hoc est, posteaquam* Romulo *templũ sacratũ, diuiniq; honores uarijs ritibus & cæremonijs exhibiti sunt, de quibus copiose* Alexan. *ab* Alex. *lib. 6. cap.* 14.

Interregno.] *Ita enim legendũ est, & non inter regna, ut quædã habent exemplaria. Est enim* Interregnũ, *spacium temporis à defuncto rege usque ad creationẽ sequentis: & qui præest hoc tem poris spacio cum regia potestate & insignibus, interrex erat. de cuius officio & potestate* Fenestella *ca.* 4. Pomp. Læt. *cap.* 5. *de* Rom. *magist.* Blond. *lib.* 3. Rom. *triumph.* Alexan. *ab* Alex. *lib.* 5. *cap.* 6. *omnium copiosissimè.*

Dissensiones orirẽtur.] *Vt fit ubi multi simul imperant: unde* Hom. *lib.* β. *Iliad.* οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη.

κοιρανίη, εἷς κοίρανος ἔστω, εἷς βασιλεύς. Id est, Non *bonum multorum dominatio: unus dominus sit, unus rex.*

Numa Pompilius.] *Cuius egregia facta descri bit* Liuius *lib.1.*Dec.1.Plutarch.*in eius uita,* Florus *lib.1.cap.2.* August.*lib.2.cap.16.*Dionys.*lib.2.*O*rosius lib.4.cap.12.*Eutrop.*lib.1.ca.5.* Messal.*Cor uin.de progenie* Augusti, Plin.*lib.13.cap.13.*Plati *na lib.de* Optimo ciue, Antoninus Tomo 1.*tit.4. cap.5.§ 2.*Ruffus *de uita regia,* Francis. Petrarch. *cap.2.* Epitomes, Volater.*lib.19.*Anthrop.

Pomponij.] *uiri inter Sabinos omnium spe ctatißimi.*

Accitus.] *à legatis, communi* Romanorũ *sen tentia.*

Ciuibus.] *ex senatoribus quoq;.*

Religione molliret.] Nihil *enim est quicquã quod feros hominum animos æquè molliat, ac pie tatis ueræq; religionis studium.*

Sacra plurima instituit.] *Institutæ religionis exemplum, quo docemur, gentilium etiam princi pes, quibus ueri* Dei *nulla erat cognitio, imperia tamen sua à diuinarum rerum obseruatione et cul tu auspicatos esse.*

Aedem Vestæ.] Inter Capitolium & Palati *um montem, non procul à foro Romano, ubi hodie* Mariæ Gratiarum *templum est,* Romulus *ædem* Vestæ

Vestæ sacrauit, quam alij cum æde à Numa condita confundunt, quam ædificauit forma rotunda ad imitationem eius quæ Albæ olim erat. Fuit igitur templum Vestæ à Numa extructum, ad Mariæ Aegyptiacæ ædem, ubi hodie diui Stephani templum est. Vide Marlianum lib. 2. cap. 12. lib. 4. ca. 4. P. Victorem Regio. 8. urbis, Alexan. ab Alexan. lib. 5. cap. 12. Lætum cap. 6. & Fenestel. cap. 6. de Rom. sacerd.

Vestales legit.] Geganiam scilicet et Bereniam, quibus deinde addiderunt Camiliam, Tarpeiã, & alias: quarũ officium erat, impolluta uirginitate perpetuum custodire ignem. qui si fortè negligentia extingueretur, flagris pœnas luebant. qua de re consule eos, quos in primo capite citauimus.

Flamines.] sacerdotes aßiduos, quibus sacra faciendi & uictimas immolandi munus dedit, & insignibus uestimentis, toga prætexta, & Curuli sella cum lictore adornauit. Qui quidem quòd pileum gestarent, in quo uirgula oleaginea modicũ lanæ habens in summo, instar fungi inerat, Flamines, quasi filamines dicti sunt. Quem cum per æstum ferre non possent, dempto pileo, caput filo tantum cingebant: nudo enim capite incedere, nequaquam fas erat. De qua re Fabius Pictor lib. 1. Marcus Varro lib. 1. de Lingua latina. Plutarchus Problem. 42. & 46. Gel. lib. 10. cap. 15. Fenestel.

cap.5.Pompon.Lætus cap.7.de Rom.ſacerd. Blõdus lib.2.Romæ triumph.Alexand.ab Alex.lib.6.cap.12.Cælius lib.12.cap.8.lib.28.cap.13.& lib.28.cap.22.

Tres.] *Quatuor Flamines à Numa creatos Feneſtella ait:unum Ioui,Marti duos, Quirino unũ. Pomponius uerò Lætus Dialem & Martialem à Romulo inſtitutos, Quirinalem uerò à Numa putauit,ſecutus Plutarchum in uita Numæ.Liuius tamẽ Romanæ hiſtoriæ princeps,tres Flamines quoque,ut Plinius noſter,ad Numam refert. Poſt aliquot deinde tempeſtates aucta ciuitate,cum augere quoq; ſacerdotia oporteret, quindecim Flamines conſtituerunt Rom.qui omnes à dijs quibus ſacra faciebant,cognomina ſortiti ſunt.*

Dialem.] *Qui ſolus inter reliquos Flamines albo galero inſignis erat,quẽ niſi ex pecudibus albo tergore Ioui immolatis fieri non decebat,ut eo inſigni à reliquis conſpicuus foret.*

Martialem.] *Quòd Martis Gradiui ſacrificijs præeſſet.*

Quirinalem.] *Eo quòd Quirino,hoc eſt Romulo ſacratus eſſet,dictus eſt.*

Salios Martis ſacerdotes.] *Quorum ſacra & feſti dies cænis ſumptuoſis, cum cantu & ſymphonia opiparè celebrare ſoliti ſunt Rom.in quibus ſictiles coronas,et alia conuiuijs oblectamenta adhibebant.*

bebant. Quod sacerdotium quanti fuerit, ex eo tantum colligere licet, quod nisi ex patricijs ad hũc honorem nemo admissus sit, nisi liber & ciuis patrimus, & matrimus foret. Dicti sunt autẽ Salij à saltando, quod facere in comitijs quotannis & solebant & debebãt, uersicoloribus tunicis ornati per urbem tripudiabant, succincti æneis baltheis, togas fibulis nectebant, in capite pileos gestabant, dextra accingebantur gladio, lanceam aut uirgam ferebant, læua Thraciam peltam: per urbem ambulabant saltantes, & pedibus strepitum ubiq; facientes, & alia multa, quæ copiose legere licet apud Plutarchum, Fenestel. cap. 7. Pomp. Lætum cap. 8. de Rom. sacerd. Blond. lib. 1. & 2. Romæ triumph. Alexand. ab Alex. lib. 1. cap. 17. Ouid. lib. 3. Fastor. Quis nisi, &c. Horat. lib. 1. Carminum Od. 36. & 37. & in eundem, Acronem. Seruium in lib. 8. Vergil. Tum Salij ad cantus, &c.

Præsul.] A præsilio, uel ante salio. in saltando enim primas semper tenebat partes, & ducem agens, duos ex alijs Salijs habebat comites, quorũ alterum Vatem, alterum Magistrum uocabant.

Duodecim.] Quem numerum deinde Tullus Hostilius duplicasse fertur, & ita quidem ut quatuor & uiginti belli pacisq; temporibus cooptarentur: & hinc quoq; Appius Claudius triumphalis, Scipio Africanus, & L. Bibaculus inter Salios

esse, & haec sacra attrectare, gloriae duxêre.

Pontificem maximum.] *Vt qui maximarum rerum in cultu diuino dominus esset, sacra dijudicaret, in rebus ad deos spectãtibus leges statueret, quibus aris, quibus dijs, quibusq; hostijs, quibus diebus, & ad quae templa sacra fieri deberent, alijs indicaret.* De quorum electione, officio et dignitate, Dionys. Plutarch. Liuius, Fenestella cap. 8. Pomp. Laet. cap. 10. de Rom. sacerd. Blondus lib. 2. à principio Rom. triumph. Alexan. ab Alex. lib. 2. ca. 8. & lib. 5. cap. 10.

Creauit.] *Martium uidelicet, Marci filium, & ipsius Numae generum, cui omnia publica & priuata subiecit sacra.*

Portas Iano aedificauit.] *Numam Pompilium ad portam Carmentalem, post sacellum deinde S. Catharinae ad imum Argiletum, iuxtaq; Marcelli theatrum, templum extruxisse legimus* Iano, *cuius geminae erant ianuae: pacis tempore clausae, belli uerò apertae erant. Alij uerò Tatium & Romulum templi eius authores referunt, ut qui cum foedus inter eos ictum esset, communem deum, tanquam foederis testem inter duos reges & duos populos, Ianum bifrontem esse consenserint: atq; eidem hoc templũ in eo loco, ubi nunc ruinae S. Catharinae aedis cõspiciuntur, cõstituisse. Alij insuper Cn. Duilium uouisse, Tiberium uerò aedificasse adstruunt.*

Verùm

*Verùm diuersæ hæ authorum sententiæ hinc na=
tæ uidentur, quod apud posteros plures Ianos fuiſ
ſe cultos, certò conſtat: cum apud ueteres unus tan
tum ſit creditus. Tu uide ea quæ ſunt apud* Plinium
lib. 34. cap. 7. Plutarch. *in uita* Numæ, & *libro de
fortuna* Romanorum, Verg. *lib. 7. Sunt geminæ,
etc.* Claudian. *lib. 2. de laudibus* Stiliconis, Et Ianus
pax alta, &c. Marlian. *lib. 4. cap. 1. & lib. 3. ca. 8.*

Gemino.] *bifronti: ad differentiam eius qui
quadrifrons fuiſſe ſcribitur, quem etiã ex* Faliſcis
Thuſciæ *ciuitate captis in* Forum Tranſitorium
tranſtulerunt Romani, *de quo* Marlian. *lib. 3. cap.
quoq; 8. & lib. 2. cap. 4. Verùm cur* Ianus *bifrons
à ueteribus fingatur, diuerſæ ſunt rationes.* Plutar
chus *ideo quidem, quod ferum & ſylueſtrem cul=
tum in urbanum ciuilemq; mutauerit, & tanquã
alteram ex altera formam diſpoſitionemq; red=
diderit:* Fulgentius *in* Mytholog. *quòd præterita
et futura reſpiciat. Alij* Ianum *ſolem eſſe putarũt,
ideoq; geminum finxerunt, quod utriuſq; ianuæ
cœleſtis potens, exoriens adperiat, occidens clau=
dat. Alij mundum intelligunt, uel cœlum: & quaſi*
Eanum *dictum putarunt, ab eundo, ut inquit* Cice
ro *libro de* Natura deor. *2. quòd mundus ſemper
eat dum in orbem uoluitur, & ex ſe initium faci=
ens in ſe refertur. Alij deinde, quòd ſuperorum &
inferorum ianitor extiterit, nuncupatum credide*

runt. Tu uide Plutarchũ Problem. 21. Plin. lib. 38. cap. 7. & 36. cap. 5. Auguſt. lib. 3. cap. 9. Marlian. lib. 2. cap. 4. Topog.

Duodecim menſes.] *ſecundum lunæ curſum. Romulus enim antea decem tantum menſium ſpacio annum finire uoluit.* Nec *nouo quidem exemplo, cum longè minorem menſium numerum* Barbarorum *quidam, &* Græcorum *habuerint.* Apud Aegyptios *enim quatuor menſibus, apud* Arcades *tribus,* Acarnanas *ſex, finiebatur annus.* De *qua re multa lege apud* Plutarchũ *lib. 2. cap. 32.* de Placitis *philoſop.* Xenophontẽ *in æquiuocis,* Cenſorinum *cap. 15.* Strabonem *lib. 17.* Plinium *lib. 7. cap. 48. lib. 2. cap. 8. & lib. 18. cap. 25.* Solinũ *cap. 3.* Polyhiſt. *Macrobium lib. 2. ſomnij* Scip. *cap. 11. & lib. 1. cap. 12.* Saturnal. *& ſequentib.* Alexan. *ab* Alex. *lib. 3. cap. 24.* Cæl. Rhod. *lib. 18. cap. 37. et lib. 24. cap. 12.* Ouid. *lib. 1.* Faſtor. *Tempora diger. &c. & lib. 3.* Faſtor. *Annus erat decimum, &c. & ex neotericis quoq;,* Ioachimum Ringelbergium *in libro de* Tempore.

Diſtribuit in duodecim.] *Antea enim præter rationem & ordinẽ menſibus utebantur* Romani, *alios quidem neq; dierum uiginti, alios quinq; & triginta, alios uerò plurium ſupputantes.* Lunæ *enim ſoliſq; inæqualitatis cognitionem nullam habebant, ſed unum duntaxat obſeruabant, ut dies*

trecentos

trecentos & sexaginta annus cõtineret. Numa uero inæqualitatis uicißitudinem dierum undecim fieri colligens, ut lunaris trecentos quinquaginta quatuor haberet dies, solaris uerò 365. Vndecim hosce dies duplicans, adiecit ad annum in mense Februario embolemum, hoc est intercalarem, quem Mercedinum Romani uocant, eratq; dierum 22. Vide Macrob. lib. 1. Satur. cap. 13.

Additis.] *decem scilicet mensibus, à Romulo institutis.*

Ianuario.] *Quem ab Iano dici uoluit, hancq; nimirum ob causam Ianuarium, deposito Martio, in primum locum omnium mensium constituit, ut anni sequentis initium & transacti finis esset. Vnde sunt qui Ianuarium inde dictum putant, quòd nouo anno fores pulsanti, ianuam aperiat. Deinde quoq; ideò Martium deponens è primo loco, Ianuarium in eius uices substituit, ut in omnibus rem urbanam bellicæ uirtuti, adeoq; pacem ipsam bello præferre uideretur. Paulo antè enim dictum est, Iani portam pacis tempore semper clausam fuisse. Cur autem Ianuarius annum auspicetur, uide quoq; Plutarch. Problem. 18. Cælium lib. 23. ca. 11. & lib. 15. cap. 22.*

Februario.] *Februarium Varro, à die februato, quod tũ februebatur populus, id est lupercis nudis lustrabatur antiquũ oppidũ Palatinũ, gregib.*

humanis cinctum, dictum putat. Alij uerò à dijs inferis, quòd tum his parentent. Verisimilius tamen est à uerbo prisco februo, quod est lustro, uel purgo, nomē accepisse. Per duodecim enim huius mensis dies continuos populus omnis intentus erat sacrificijs, cæreis & facibus circa sepulchra defunctorum incensis, pro impetranda mortuorum animabus quiete. Et hinc quæcunq; purgamenti causa in sacrificijs adhibebantur, februa nominare solebant. Meminit huius rei Blond. lib. 2. Rom. triumphant. Ouid. lib. 2. Fastor. Februa Romani, &c.

Leges plurimas.] Vt cum principes & sacerdotes rem diuinā faciunt, præco ingenti uoce præcedens clamet, HOC AGE: animos scilicet sacrificio adhiberi iubens, ne ullis alijs cogitationibus operam darent. de qua lege Plutarch. in Coriolano. Item ne sacerdotes rogum uino aspergerent: de qua Plinius lib. 14. cap. 12. Vt deos fruge colerēt, ut mola salsa litarent: de quibus idem lib. 18. cap. 2. Ne pisces squamosos pollincerent: de qua lib. 32. cap. 2. Ne de rebus non necessarijs sermonem haberēt: de qua Cælius lib. 21. cap. 46. & alias quàm plurimas, de quibus Dionys. lib. 2.

Egeriæ nymphæ.] cum qua in nemore Aricino nocturnos congressus habuisse dicitur. Historiam leges apud Liuium, Plutarchum, Lactantium lib. 1. cap. 22. Diuin. institut. August. lib. 7. cap. 1.

& lib.7.cap.35.Ciuitat. Ciceronē lib.1.de Legib. Val.Max.lib.1.cap.3. § 1.Ouid.lib.3. Fastor. Siue hoc à Samio,&c. & paulo pòst, Nympha mone, &c.Sabel.lib.3. Ennead.2.& lib.2.cap.2. § 4.Ethnicorum exempl.Marlian.lib.7.cap.17. Acronem in lib.2.Epistolarum Horatij.

Coniugis suæ.] *Plutarchus à principio in uita Numæ, ait diuinū coniugium meruisse, ac cum Aegeria dea congressum esse, à qua diuinarum rerum peritißimus factus sit. Quas autem uxores legittimas sibi duxerit, dissentiunt rerum gestarum scriptores. Alij enim neq; aliam eum uxorē quàm Tatiam accepisse, neq; ullos liberos præter unam filiam Pamphiliam habuisse dicunt: quam alij non ex Tatia, sed ex altera uxore Lucretia natam putarunt, quam non priuatus, sed iam rex duxerat.*

Simulans.] *Nimirum astutiam Minois secutus, qui se in antrum Iouis recipiebat, diuq; ibi moratus, leges sibi à Ioue traditas afferebat, ut suos ad obsequium non modò imperio, sed etiam religione constringeret. quam historiam ex Strabone recitat Volaterranus lib.34.Philologiæ. Val.lib.1. capite 3.*

Nemo bellum intulit.] *Boni principis notatu dignum exemplum Numa, sub quo nulla unquam seditio mota fuit: adeò audiendū dicto, dum uiueret, populum Rom. habuit. qua de re præter*

alios lege quoque Fulgoſum libro 2.cap.5. § 10.de Maieſtate.

Morbo ſolutus.] *Non celeri, neq; repentino obitu, ſed ſenſim ſenis ac lenis deficiens morbo, ut ſcripſit Piſo, diem obijt iam octogenarius, cũ iam (ut Liuius teſtatur) regnaſſet annos 43. uidelicet Olymp. 27. ab Vrbe uerò condita 81. anno.*

Ianiculo.] *Tranſtyberinæ regionis monte, qui ultra dimidium intra mœnia non continebatur, à Vaticano campo ad 3. ſtadia in meridiẽ extenſus, & flumini adiacens, reliqua eius parte ad 5. ſtadia muris clauſa. de quo Plin. lib. 16. cap. 11. Marlian. lib. 1. cap. 1. P. Victor Regio. 14. urbis. Cælius lib. 9. cap. 16.*

Sepultus eſt.] *Cadauer enim igni non dedêre, ut moris erat, quoniam is cauiſſet, ut dicitur: ſed duabus arcis lapideis factis, quarum altera habebat corpus, altera libros ſacros, humo conditus eſt.*

Poſt multos annos.] *Quingentos triginta quinque, P. Cornelio Cethego L. filio, et M. Bebio, Coſſ. teſte Plinio lib. 13. cap. 13. ex Caßij Heminæ uetuſtißimi authoris libro Annalium quarto.*

Arcula.] *Formam & figuram huius arculæ deſcribit idem Caßius eodem loco: ubi cauſam quoque reddit, quam ob cauſam libri incorrupti inuenti ſint.*

Cum libris.] *Libros ſeptem iuris Pontificij, to*

tidemq;

tidemq; Pythagoricæ doctrinæ fuisse,L.Piso Censorius libro 1.Commentariorum scriptū reliquit. cui astipulatur quoq; Lactantius lib.1.cap.22. Tuditanus uerò libro 13.libros duodecim. Caßius autem nihil aliud quàm Pythagoricæ doctrinæ decreta complexos esse putauit:quorum opiniones recitat Plinius lib.13.cap.13. Meminit Marlian. lib.7. cap.9.Topographiæ.

Terentio quodam.] *Gneum Terentium scribam uocat Plinius,qui terram fodiens,fortè fortunà cistam inuenit.*

Cremati sunt.] *A Quinto Pœtilio prætore, qui per id temporis prætor erat, crematos esse, apud Plinium legimus loco citato. Hinc autem disces,præclara hominum facinora,magnam plerumque inuidiam, grauesq; calumnias conflare, nullamq; tam modestam (ut Valerius ait) esse fœlicitatem,quæ malignitatis dentes uitare poßit.*

DE TVLLO HOSTILIO, *tertio Romanorum rege.* *Cap. IIII.*

TVllus Hostilius, quia bonam operam aduersum Sabinos nauauerat, rex creatus, bellum Albanis indixit, quod Trigeminorum

certamine

certamine finiuit, Albã propter perfidiam ducis Metij Suffecij diruit, Albanos Romam tranſire iuſsit. Curiam Hoſtiliam conſtituit. Montem Cœlium urbi addidit. Et dum Numam Pompiliũ ſacrificijs imitatur, Ioui Elicio litare non potuit: fulmine ictus cum regia conflagrauit. Cũ inter Romanos & Albanos bellum fuiſſet exortum, ducibus Hoſtilio & Suffecio, placuit rem paucorum certamine finire. Erant apud Romanos trigemini Horatij, tres apud Albanos Curiatij, quibus fœdere icto concurrentibus, ſtatim duo Romanorum ceciderunt. tres Albanorum uulnerati. Vnus Horatius quamuis integer, quia tribus impar erat, fugã ſimulauit, et ſingulos per interualla, ut uulnerum erat dolor, interfecit. Et cum ſpolijs onuſtus rediret, ſororem obuiam habuit: quæ uiſo paludamento ſponſi ſui, qui unus ex Curiatijs erat, flere cœpit. Frater eã occidit: qui apud duumuiros condem natus,

natus, ad populum prouocauit, ubi patris lachrymis condonatus, ab eo expiandi gratia sub Tigillum missus, quod nunc quoqꝫ uiæ suppositum Sororium appellatur. Metius Suffecius, dux Albanorum, cum se inuidiosum apud ciueis uideret, q̃d bellum solo trigeminorum certamine finisset, ut rem corrigeret, Veientes & Fidenates aduersum Romanos incitauit. Ipse à Tullo in auxilium accersitus, aciem in collem subduxit, ut fortunā belli experiretur, ac sequeretur. Qua re Tullus intellecta, magna uoce ait, illud suo iussu Metium facere. Qua re hostes territi, uictiqꝫ sunt. Postera die Metius cum ad gratulandū Tullo uenisset, iussu ipsius quadrigis religatus, ac in diuersa distractus est.

IN CAPVT IIII.

Tullus Hostilius.] *Nepos eius Hostilij, qui sub arce à Sabinis capta, cum Romulus pugnam cieret, ictus occubuit. De cuius rebus gestis Liuius quoqꝫ lib. 1. dec. 1. Dionys. lib. 3. Florus lib. 1. cap. 3.*

Plin.

Plin.lib.16.cap.5.lib.2.cap.55.lib.28.cap.2.libro 16.cap.5.& lib.9.cap.39.Oros.lib.2.cap.4. Eutrop.lib.1.ca.6. Valer.Max.lib.9.ca.12.§ 1.et lib. 3.cap.4.§ 1. Augustin.lib.3.cap.15.Ciuit.Mes.Coruin.de progenie Augusti, Ruffus de uita regia, Petrarc.cap.3.Epitomes, Fulgosus lib.4. cap.8.§ 13. Vergil.lib.6.Ocia qui, &c.

Quia bonam operã nauauerat.] *Quemadmodum enim ad primorum in orbe regũ imperia nõ ambitio popularis, sed spectata inter bonos moderatio, ita apud Romanos bellicæ uirtutes ad regiæ maiestatis fastigium prouehebant. Vide Iust.lib.1.*

Rex creatus.] *Anno uidelicet, iuxta Dionysium, secundo, uigesimæ septimæ Olympiadis.*

Albanis.] *Qui urbem Albam ab Ascanio olim conditam inhabitabant, quæ ab urbe distabat, si Eutropio fides adhibenda est, duodecim miliaribus, & 300 iam annis caput regni fuerat: uel secũdum alios, quingẽtis minus tredecim. Hanc autem ciuitatem alij ab Albano monte, ubi sita est, dictam putant. Marcus uerò Varro, propter colorẽ suis: cui adstipulatur quoq; Maro lib.3. Aeneid. Signa tibi dicam, &c. & lib.8. ubi hæc carmina repetuntur. Vide quoq; Plin.lib.3.cap.5.*

Indixit.] *Disertè enim in Romuli cum Albanis fœdere fuit expressum, ut neutra ciuitatũ bellum inchoaret, atque utra se læsam aliquando que*

reretur,

reretur, ab iniuriæ authoribus iusta reciperet. quod si non redderetur, tum demum necessariò ruptis fœderibus indiceretur bellum. Albani igitur, *cum agrum* Romanum *latrocinijs inuasissent, nec petentibus iusta reddidissent, iure bellum indixerunt. Cuius rei uerba et cæremonias lege apud A-lexand.ab* Alex.*lib.1.cap.14.*

Bellũ *indixit.*] *in trigesimũ, ut ait* Liuius, *diẽ.*

Trigeminorum.] V*el quòd ternarius numerus omniũ perfectißimus uideretur: uel quòd propius uero est, quia tergemini fratres in utrisq; castris essent.*

Ducis.] Albanorum, *qui in Cætij, uel Cælij iam interfecti locum receptus erat.*

Metij Suffecij.] *quem omnes ferè* Romanorũ *historiæ uirum neq; bello idoneum, neq; pacis firmum custodem appellant.*

Perfidiam.] *de qua inferius.* Hinc *disces, ducis improbitatem præsentißimum exercitus uenenũ esse.* Probè *igitur* Pausanias, *percontanti quo pacto debellari Thraces possent, respondit, Si qui uir optimus est, eum belli ducem delegerimus. Admonens, plurimum ad uictoriam momenti in imperatore esse. Quemadmodum in omni negocio magni refert, quales sint, quibus gerendæ rei creditur authoritas.*

Albanos Rom.*transire iußit.*]Exemplũ *pietatis*

in hostes.

in hostes. Albanos enim ciues non tantum in urbem recepit Hostilius, sed eos quoq; qui genere & opibus illustres erant, in Patres legit, utpote Iulios, Seruilios, Geganios, Curiatios, Cloelios, Metilios, Quintilios, &c. Item decem quoq; ex his equitum turmas fecit, ueteresq; legiones suppleuit. qua de re copiosè Dionysium leges.

Curiam Hostiliam constituit.] Curia Hostilia duobus in locis Romæ fuit. Altera nãq; in foro ad Pacis templum, ubi Hostilius rex prius habitauit: de qua Marlian. lib. 3. cap. 17. Altera in eo loco, in quo postea D. Ioannis & Pauli templum est constitutum: de qua idem lib. 4. cap. 19. In Rostris quoq; Curiam Hostiliam conditam fuisse, Varro scribit, cuius Marlian. de Antiq. urbis nõ meminit.

Montem Cœlium.] Quem olim Querquetulanum, à quercuum frequentia, postea à Cœle Vibenna Hetruscæ gentis duce, cui sedes in eo monte data à Romanis est, Cœlium appellarunt. De cuius magnitudine & capacitate Pomp. Lætus § 73. & 76. Marlian. lib. 1. cap. 1. Antiq. Rom. Alexand. ab Alex. lib. 6. cap. 11. Genial.

Numam Pompilium.] Qui multa diuersorũ deorum templa, dies festos, sacrificiaq; instituit: ut est apud Plin. li. 8. cap. 2. Tu consule ea quæ suprà cap. 3. dicta sunt.

Ioui Elicio.] Cui Numa Pompilius aram in monte

monte Auentino excitarat. Dictus est autem Elicẽius, ab eliciendo, uel extrahẽdo. Solẽnibus enim quibusdam uerbis pronunciatis, Iouem de cœlo ad suá sacrificia educi posse putabant ueteres, qua de re Marlian. lib. 5. cap. 2. Cælius Rhod. lib. 16. cap. 14. ex Pisone uetustißimo authore.

Litare non potuit.] Cum facere uellet rem diuinam, quo dij pestem crudeliter grassantem auerterent, nil quicquam quod dijs immortalibus gratum foret, effecit: ut doceret, diuina numina nõ omnium sacrificijs placari posse.

Fulmine ictus.] Contemptæ religionis pœna. Scribit enim Plutarchus in uita Numæ, Hostilium honesta Numæ facinora, & potißimum pietatem in deos, irrisionibus & contumelijs insectatum esse, ut res muliebres & inertes. Hoc igitur prodigium extat etiam apud Plinium lib. 2. cap. 55. & lib. 28. cap. 2. Valer. Max. lib. 9. cap. 12. § 2. Antonin. Tomo 1. Tit. 4. cap. 5. § 3. Cælium lib. 16. cap. 14. Sabel. lib. 2. cap. 5.

Cũ regia flagrauit.] Multis persuasum est, Hostilium humana fraude perijsse, Anciq; Martij, qui post eum rex fuit, insidijs oppressum, ut quum procelloso die rex domi sacra faceret, sit ille regiam ingressus, ibiq; Hostilio cum uxore & liberis interfecto, domum incenderit. Vide Dionys. lib. 3. ea de re copiosißime.

d Placuit

Placuit rem paucorum certamine finire.] *Boni ducis exemplum est* Hostilius, *qui dum suis parcit militibus, salutem quoq; hostium quærit, consultãdo, quo pacto bellum atrocißimum, paucorum cæde dirimi poßit.* Non *fortaßis immemor* Mitylenæi *dicterij, qui probabat uictorias sine sanguine partas, magno autem ciuium cruore emptas: hoc est, Cadmeas, non uictorias existimabat.*

Erant trigemini.] *Erant hi trigemini ex utraque parte ex duabus Seduini filiabus uno partu nati, quarum altera* Romæ Horatio, *altera Curiatio Albæ nupserat.*

Fœdere icto.] *Fœdus inter reges his legibus ictum est, ut cuius populi bellatores eo certamine uicissent, is alteri ex fœdere imperaret. Fœderis autem percutiendi rationem & modum pete ex* Liuij *lib.* 1. Dec. 1. Alexand. *ab* Alex. *lib.* 5. *cap.* 3.

Tribus impar erat.] *Verißimũ enim illud* Homeri *lib.* υ. Odyſ. *dicterium,* χαλεπὸν γὰρ ἐρυκανέειν ἕνα πολλούς: *Difficile ac durum est, unum compescere multos.* Qui *etiam* Iliados ε. Aeneam *alioqui strenuum stetisse fingit, cum aduersus duos dimicandum esset: quò docere uoluit, neminem usq; adeò excellere uiribus, ut unus pluribus par esse poßit.*

Fugã simulauit.] *Astus in fallẽdo hoste. Huc autem illud* Antigoni *imperatoris pertinet, qui quũ*

aliquando

aliquando cederet hoſtibus imminentibus, ſe nequaquam fugere, ſed utilitatem à tergo ſitam perſequi dicebat: ſentiens, non eſſe turpe fugere, quoties expedit hoſti dare locum ad ſuum uſq; tempus.

Singulos per interualla interfecit.] Militaris fortitudinis exemplum. Similem autem hiſtoriam ex Demarathi ſecundo rerum Arcadicarum libro, apud Plutarchum in Parall. de Tegeatis & Pheneatis legimus. Qui quum diutino ſeſe bello afflixiſſent, demum belli negocium tergeminis quoque fratribus commiſerunt. Collato igitur Marte duo ex Rheximachi liberis interfecti, tertius uerò Critolaus duos ſimili aſtutia ſuperauit. Vide Plutarchum cap. 32. Paral.

Spolijs.] Trigeminorum Curiatiorum.

Rediret.] comitatus exercitu magno.

Sororem.] Horatiam nomine.

Paludamento.] Veſtem militarem, quā in futuras nuptias floribus cōtextā, dono miſerat. Mos enim erat, paludamētis uerſicolorib. indui, ijs qui Latinorū ſponſas ambirēt, teſte Dionyſ. lib. 3. Paludamentū aūt ueſtem imperatorū eſſe ſcribit Tranquillus in Cæſare, Blond. lib. 9. Rom. triumphantis, Alexander ab Alexandro lib. 3. cap. 3. & lib. 5. cap. 18. Feſtus tamen omnia militaria ornamenta paludamenta dici in libris Auguralibus affirmare uidetur. Plutarchus in Philopœmene tunicas

equestres uocat: in Lucullo ἐφεστρίδα, ut opinor, pro paludamẽto posuit: in Crasso uerò φοινικίδα pro paludamento purpureo dixit. Quo genere uestis etiã Græci equites utebãtur, quã ἐφαπτίδα Athenæus in quinto uocat. Paludamenti autẽ picturam ad uiuum ex Romanorũ marmoribus expressam inuenies apud Lazarum Bayfium in fine cap. 11. in L. Vestis ff. de auro & argento leg.

Flere cœpit.] Flebili lamentatione crines soluit, uestesq; præ mœrore animi omnes lacerauit: cuius orationẽ patheticã, qua in fratrẽ inuehitur, uide apud Dionys. Est autem coniugalis amoris notatu dignum exemplum.

Eam occidit.] Stricto gladio transfixit, parũ pudicas ratus lachrymas, quæ præpropero amori dabantur. Discendum autem ex hoc spectaculo quoque, salutem nostrorum patriæ saluti longè postponendã esse. Historiam copiosius describunt, Valer. Max. lib. 6. cap. 3. § 11. & lib. 8. cap. 1. § 1. Aristides Milesius de rebus Italicis, Plutarch. cap. 33. Paral. August. lib. 3. cap. 14. Ciuitatis, Fenestel. ca. 5. de Rom. magist. Volater. lib. 17. cap. 3. Anthropologiæ: & qui à capitis principio citati.

Duumuiros.] Qui capitalibus quæstionibus præerant, & carceris rerum capitalium custodias agebant, quorum opera etiam populus Romanus in damnatione C. Manlij Capitolini usus est. De

horum

horum origine & officio lege Fenestellam cap. 5. Pomp. Lætum cap. 6. de Rom. magist. Blond. libro 4. Romæ triumphan. Alexand. ab Alex. lib. 3. cap. 16. Genialium dierum.

Condemnatus.] Vt manifesti parricidij reus. Romulus autem præcellens institutum eximiè laudare solebat, qui cum parricidæ nullam pœnã statuisset, homicidium tamen omne parricidium nuncupari uoluit: quòd hoc quidem impium atq; nefarium, illud autem impoßibile esse duceret. uide Cæliũ lib. 11. cap. 17. De parricidij uerò pœna crudelißima, Alexand. ab Alex. lib. 3. cap. 5.

Patrijs lachrymis.] Horatij uidelicet, qui lachrymis multis clamitabat se filiã iure cæsam iudicare: ni ita esset, se patrio iure fuisse in filiũ animaduersurum. Paternæ pietatis exemplum.

Condonatus.] Impium enim ignobile quoque uulgus putabat, eum capitis supplicio puniri, qui rara quodam animi magnitudine, ac bellica uirtute, hostes atrocißimos patriæ subiecisset.

Expiandi gratia.] Vt manifesta cædes aliquo lueretur piaculo, Horatio patri est imperatũ, ut filiũ publica pecunia expiaret. Dionysius id negotiũ põtificib. datũ prodidit, qui duas esse extructas aras ait: Iunoni unam, cui ius sororiũ curæ esset: Iano alteram, ad quas Curiatiorũ & Horatiæ interfectæ sint manes uocati. Et postremò etiam sub

iugum missum. Obseruatæ religionis exemplum.

Sub tigillum missus.] Hoc est, *sub iugũ: cuius hæc forma fuit, ut duo recta tigilla defixa starent, tertiumq́; supernè duobus illis transuersum imponeretur.* Dionysius *uerò ait, aduersis parietibus suffultum fuisse* Hostilij *tigillum, quod sæpe refectum ad suã usq; ætatem durasse, Liuius testis est. Quomodo autem sub iugum mißi sint sæpe milites, lege Liuium lib. 1. Dec. 1. & lib. 9. ubi Samnites sub iugum mißi sunt.*

Quod uiæ suppositum.] Fuit is locus in ea uia quæ à Carinis deorsum in Cyprium ducebat uicũ, Iunoni sacratus. Vide Marlian. *lib. 3. cap. 23.* P. Victorem *in quarta Vrbis regione.*

Veientes.] Italiæ populos, *de quibus* Strabo, Plin. *lib. 3. cap. 5. lib. 2. cap. 98. et lib. 3. cap. 17.* Veij *autẽ nostra tempestate ea loca inhabitare putantur, ubi nobilia ueteris oppidi uestigia sub* Vrsinorum *ditione apparent, quæ adhuc* Veiana *appellãtur, teste* Volaterrano *lib. 5.* Geographiæ.

Fidenates.] Qui Fidenam Veientium Etruscorum *coloniam inhabitabant, trans* Tyberim *inter* Crustumium *& agrum* Romanũ: *de quibus* Strabo *&* Plinius *lib. 3. cap. 5. & lib. 3. cap. 15. & cap. 12.* Volater. *lib. 6.* Geograph.

Suo iussu Metium facere.] *Astutißimi imperatoris in dißimulandis aduersis consilium, quo*

Romanis

Romanis iam pertæsis fiduciam attulit, remq; inclinatam consilio restituit. Inter stratagemata numerat Valer. Max. lib. 7. cap. 4. § 1. & Frontinus lib. 2. cap. 7. § 1.

Victi sunt.] Sexta demum (ut ait Eutropius) congreßione, & non sine multo hostiũ sanguine.

Metius.] Machinator & ductor eius belli, & fœderis Romani Albaniq; ruptor sceleratißimus.

Ad gratulandum Tullo.] Assentationis & adulationis exemplũ. Verùm Dionysius scribit Tullum Hostilium, uerentibus astutias, leuitatem & proditionem Suffecij luculentißima oratione aperuisse, & deinde militibus circunseptum, coram omnibus lictoribus tradidisse.

Quadrigis religatus.] Suffecius (ut suo exemplo sacra fœdera sanctißimè custodienda esse doceret) Tulli iussu, à lictoribus miseris modis tractatus est, qui omnem exuentes clementiam & humanitatem, corpus multis uerberibus cædebant. Et ubi satis huius cruciatus habuit, binis admotis quadrigis, unis earum brachia, alteris pedes illius connexuerunt loris longis, abigentibusq; deinde aurigis quadrigas alteras ab alteris, laceratus humi, atque distractus ab utrisque, in diuersa dißipatus est. De qua re præter citatos, lege Alexarchum libro tertio rerum Italicarum, Plutarchum cap. 34. Parall. Gellium libro 20. cap. 1. Vergilium

lib.8.Aeneid.Haud procul,&c.Claudian.in Gild. Et si non,&c.Hoc autem supplicij genus ab Hercule inuentum esse constat,qui florenti adhuc ætate, regem Eubææ Pyræchmen bellum Bœotijs inferentem uicit, uictumq; pullis equinis ita alligauit, ut in duas dispertiretur partes,ut refert Plutarch. cap.13.Paral.ex tertio de Fluminibus libro.

DE ANCO MARTIO, QVARTO ROmanorum rege. *Cap. V.*

ANcus Martius Numæ Pompilij ex filia nepos,æquitate & religiõe auo similis, Latinos bello domuit.Auentinũ & Ianiculũ monteis urbi addidit. Noua mœnia oppido circũdedit.Syluas ad usum nauiũ publicauit. Salinarũ uectigal instituit. Carcerẽ primus ædificauit.Hostiam coloniã maritimis cõmeatibus opportunã,in ostia Tyberis deduxit. Ius fœciale,quo legati ad res repetẽdas uterẽtur, ab Equicolis trãstulit, q̃d primus ferturHesus excogitasse. His reb. intra paucos dies cõfectis, immatura morte præreptus,nõ potuit prestare,qualẽ ꝓmiserat regem.

IN

IN CAPVT V.

Ancus.] Dictus est Ancus ἀπὸ τῦ ἀγκῶνος, id est à cubito, quem incuruū habuit: teste Seruio in 6. Aeneid. Agmina quem iuxta, &c.

Numæ Pompilij.] secundi Romanorū regis, qui Romulo succeßit. de quo suprà ca. 3. copiose dictū.

Ex filia.] Pompilia uidelicet, quæ Martio Pontifici nupsit. hanc filiā nō ex uxore Tatia, sed ex altera Lucretia natam esse, Plutarchus in Pompilij uita scribit.

Latinos.] Qui contemnentes Martium, quē ignauum ducem putabant, latrones ad faciendā prædam in agrum Romanum miserant, quasi non cū Romanis, sed cum Tullo tantum Hostilio iam sublato, fœdera pacis icta essent. Verùm Anci egregia facta, quæ obiter hic recensentur, copiosius leges apud Dionys. libro 3. Liuium lib. 1. Dec. 1. Florum lib. 1. cap. 4. Messal. Coruin. de progenie Augusti, Ruff. de uita regia, Oros. lib. 2. cap. 4. Eutrop. lib. 1. cap. 7. Euseb. lib. Temporum, Antonin. Tomo 1. tit. 4. cap. 5. § 4. Petrarch. cap. 4. Epit. August. lib. 3. cap. 15. Ciuit. Volater. lib. 19. cap. 2. Claudianum in Gild. Vergil. lib. 6. Agmina quem, &c.

Aequitate.] Aequitatis studiosum ideò nimirum fuisse scribit, quod agriculturæ studio, nutritione pecudum, alijsq; operationibus, quibus nihil iniusti adesset, Romanos potius, quàm rapinis et latro

cinijs operam dare uoluerit, malos possessionum suarum præsides semper obiurgans, & ignauos fucos appellitans. de qua re Dionys.

Religione.] *Omnia enim sacra quæ à* Tullo Ho*stilio neglecta erant, ipse restituit. Vnde uidemus, quàm studiosi pietatis prisci* Romani *fuerint.*

Auo similis.] *Liberi enim plerunq; uel parẽtes, uel sui generis homines referre solẽt. unde prouerbiũ uulgo iactatur,* τοῦ πατρός ἐστι τὸ παιδίον, Patris *est filius.* Et *illud quoq;* Horatij, Fortes *creantur fortibus & bonis.*

Latinos bello domuit.] In *quo bello* Politoriũ *unicum* Latinorũ *præsidium primò expugnauit, & diruit, omnesq; in oppido repertos* Romã *misit.* Deinde Telenem *quoq; urbem* Latinorum *illustrem, uincens prius acie, deinde oppugnatione, subiecit.* Tertio Medulliam *triennio à* Latinis *possessam, quarto anno recepit.* Quarto *non multo pòst* Ficulneam *diruit.* De *quibus oppugnationibus lege copiosè* Dionys. *qui duas quoq; alias* Romanorum *cum* Latinis *pugnas describit.*

Bello *domuit.*] Dionysius, Ancum Martiũ *pacis studiosissimũ semper fuisse ait: haud tamen respondentem electioni suæ fortunam habuisse, sed præter naturam, coactum esse bellatorem fieri.*

Auentinum.] Fuit Auentinus *collis modicè editus, & in orbem stadia fermè decem & octo complectens,*

plectẽs,qui tunc cùm sylua omnis generis ornatus erat,tum uerò plurima ac pulchra lauro,nunc autem ædium plenus eſt. Hunc montem omnes ferè Romanorum hiſtoriographi ab Anco Martio muro cinctum, & urbi additum,memoriæ prodiderunt. tametſi ſint qui uſq; ad D. Claudij tempora uacuum fuiſſe exiſtiment, ut quem auibus obſcœnis ominoſum,intra mœnia recipiendũ uetuerint. Qua de re Marlian.lib.5.cap.1. Auentinus autem mons unde dictus ſit,nondum inter autores cõſtat. Alij namq; ab auibus, quæ à Tyberi in hunc montẽ cubitum uolabant,appallatum exiſtimant.alij à Sabinorũ rege,in eo occiſo & ſepulto. Alij Sabinos, qui à Romulo ciuitate donati in eo conſederũt, ab Auante prouinciæ eorum fluuio,huic monti nomẽ dediſſe arbitrãtur. Varro ab aduectu dictũ aſſerit: hic enim mons ab alijs mõtibus et ciuitate,olim paludibus & Tyberi excluſus fuit,unde qui hũc adire uolebãt, ratibus aduehebantur. Sunt qui ab aduentu quoq; dictum putarint, quod Dianæ templũ in eo ſacrum Latini frequentarent. De huius ambitu lege Pomp.Læt.§ 82.& 83.de antiq.Rom. Marlian.lib.1.cap.1.& lib.5.cap.2.

Vrbi addidit.]Roma cum anguſto ambitu à Romulo urbis parente condita eſſet,ſubinde ob populi frequentiã extenſa eſt,donec urbium regina, & mundi caput,gentiũq; omnium domina diceretur.

Romani

Romani quippe cum finitimis bella inferrent, plerunq; uictos in ditionem suam redigentes ciuitate donarunt. Tullus quidem Sabinis & Albanis deuictis, Cælium montem urbi addidit, ut suprà dictum est: Politario deinde capto, & multitudine Romã traducta. Ancus noster secundò ciuitatem auxit, cum nouæ multitudini Auentinum concessit. Veteres igitur Romani Palatium, Sabini Capitolium, Albani Cælium, Noua multitudo Auentinum nunc inhabitabant. Vnde uidemus quàm ex paruis initijs, ad summum Romani peruenerint. Verùm de urbis uario & sæpe mutato ambitu ad Plinij usq; ætatem, uide Marlian. lib. 1. cap. 5.

Ianiculum.] montem editum trans Tyberim positum, quem traiecto Tyberi ponte Sublicio, urbi addidit. Dictus est autem Ianiculus, ab Iano, qui in eo habitauit, & postea sub eo sepultus est. De huius magnitudine, & diuersis quoq; nominibus, uide Marlian. lib. 1. cap. 1. et cap. 57. libr. 7. cap. 9. Publius autem Victor posuit in regionem urbis decimam quartam.

Noua mœnia.] Mœnia urbis muro (ut Florus inquit) complexus est. Et hinc urbẽ Romam usq; ad hunc regem sine muris fuisse, quidã existimarunt. Nam ad nouæ urbis tutelam uallum sufficere uidebatur, ut est apud eundem cap. 1. lib. 1. Sed quantum ex Dionysio colligimus, Ancum Martiũ collẽ

Auenti-

Auentinum, qui aliàs munimentum hostium aduersus urbem fuisset, muro & mœnibus circundedisse, intelligendum est. Et ideò uocat etiam oppidum, & non urbem: quanquam & Laurentius Valla libro Elegantiarum 4. cap. 8. Romam oppidum dici nequaquam concedat.

Syluas.] Veientibus ademptas. Intelligit autem syluam præcipuè Mesiam, in qua nunquam glires, nisi in partu, reperiri, Plinius lib. 8. cap. 58. scriptum reliquit.

Salinarũ uectigal instituit.] Vectigalia apud Romanos, ut ex Cicerone liquet pro lege Manilia, triũ generũ erãt. Ex agricolatione, mercib. exportatis uel importatis: unde exagogica dicebãtur, et isagogica: deniq; ex agris pascuis. Fuit deinde Salinarius prouentus, quẽ Martium regẽ primò instituisse, Liuius quoq; lib. 5. dicit, cum sex salis modia in congiarium dedit. cui astipulatur etiam Plinius iisdem ferè uerbis lib. 31. cap. 7. Postmodũ autem, ut undetrigesimo Liu. ait, nouum etiã uectigal ex salaria annona statuerunt, cum sextante sal et Romæ, & per totã Italiam uenderetur. Qua de re lege præterea Blondum lib. 5. Rom. triumph. Cælium Rho. lib. 10. cap. 2. De priuatis autem subsequentium imperatorum uectigalibus, Alexand. ab Alex. lib. 4. cap. 10. Salinarium suum uectigal constituit Ancus in ea Tyberis ripa, quæ à templo

Vesta

Vestæ in Auentinum porrigitur, teste Marliano libro 4. cap. 4. Topographiæ.

Carcerem primus ædificauit.] *In radicibus Capitolij, uersus ortum brumalem, in quem immanibus præsignes flagitijs, cœlo & hominum cœtu indigni, uitijs & uitæ turpitudine defamatißimi, ac propediem plectendi, includerentur. Addidit deinde Tullius rex eam partem quæ sub terra est, & carceri, ut Tullianum uocetur, nomen dedit. Vide Marlian. lib. 3. ca. 15. Pomp. Læt. §15. antiq. Rom.*

Primus.] *Ancum Martium Romæ primũ carcerem ædificasse ferè omnes scribunt, quotquot uidimus, excepto Eutropio, qui lib. 1. cap. 10. L. Tarquinium Superbum primò uincula, taureas, fustes, laminas, compedes, catenas, exilia, carceresq́; inuenisse dicit. Vide Polydorum quoq́; Vergilium libro de Rerum inuentoribus 2. cap. 3.*

Hostiam coloniam.] *Vrbẽ inter mare & Tyberim (ut apud Eutropiũ & alios legimus) 16. miliaribus distantẽ: de qua Colonia Plinius lib. 3. cap. 5. & lib. 36. cap. 15. Marlian. lib. 7. cap. 18.*

Coloniã.] *Ex urbe propagabantur coloniæ, et iura habebãt instituta q́; populi Romani, ut essent quasi populi Romani effigies: de quarũ origine, legibus, præmijs & cõditionibus, lege Blondũ lib. 3. Rom. triũph. Alexan. ab Alex. lib. 4. cap. 10. Quid à municipio colonia differat, Gell. lib. 16. cap. 13.*

Cõmeati-

Comeatibus opportunã.] *Florus ait, quasi præsagio magnitudinis motum Martium, ut eo ipso loco fundaret urbẽ, quo totius mundi opes & cõmeatus reciperẽtur hospitio, maximo urbis fœnore.*

In hostio Tyberis.] *in ipso maris fluminisq; confinio.*

Ius fœciale.] *Fœciales sacerdotes erant, qui fidei publicæ inter populos præerant. per hos enim fiebat, ut iustum conciperetur bellum, & ut fœdere fides constitueretur. Hi mittebantur priusquam conciperetur bellum, ad res repetendas: & si nõ impetrabãt, bellum indicebant, & hoc erat ius fœciale. qua de re copiose Plutarch. in uita Camilli, & Problem. 62. Dion. lib. 2. Liu. lib. 1. Dec. 1. Gel. lib. 16. ca. 4. Seru. libro 9. Principiũ pugnæ, etc. Fenestel. cap. 16. Pomp. Læt. cap. 9. de sacerd. Rom. Blond. libro 4. Romæ triumph. Cæl. Rhod. lib. 21. cap. 5.*

Legati uterentur.] *Si qui legati populi Romani, qui iure gentium sancti erant, à quouis populo aut natione uiolati forent, ut hi dederentur, qui iura gentium temerè uiolassent, per Fœciales cauebatur. Erat enim ueteribus ius Legatorum sanctum, & inuiolabile, cùm hominum præsidio munitum, tum diuino iure defensum, quod etiam in medio belli furore, & inter hostium tela incolume seruabatur. testis Alexander ab Alexandro lib. quinto cap. 3.*

Quod

Quod prius fertur Hesus *excogitasse.*] *Ius fœciale quo tempore, uel à quo inuentum sit, inter authores non constat. Fœcialis enim sacerdotij usum omnium uetustißimum apud* Romanos *fuisse,* Fenestella *docet, cum* Tulli Hostilij *tempore fuerit, cui tamen nequaquam ascribit.* Sed Alexander *ab* Alexandro, *à* Tullo Hostilio, *seu* Anco Martio: *ut uerò alij, à* Numa Pompilio, *quod potius crediderim, fœciales institutos putauit, qui ab antiqua gente* Equicolis *iura & uerba solennia, quibus res repetuntur, & bella indicuntur, accepere,* Hesô *authore.*

Ab Equicolis.] Aequicoli *Vmbriæ populus, in quarta* Italiæ *regione, quæ hodie ducatus* Spoletanus *appellatur, et* Marsis *finitimus, inter* Samnites *&* Pelignos: *ut ex tabulâ* Italiæ *geographica patet.* Volaterranus *libro 6. cap. 4.* Geographiæ, *hanc gentem quæ ad* Marsos *pertinebat, ait simul cũ* Clastidio *interijsse, & ex horũ ruinis noua & uicina oppida excitata esse,* Taliacotium, Vicouatum, Celanum, *&c.*

Immatura *morte.*] *uiceßimo quarto imperij sui anno,* Olymp. *41. ab* Vrbe *condita 137.*

DE LVCIO TARQVINIO PRISCO, REGE *Romanorum quintô. Cap. VI.*

LVcius Tarquinius Priscus Lucumo, Greci Demarathi filius, qui

qui Cypſeli Corinthij tyrannidẽ fugiens, in Hetruriã commigrauit. Ipſe Lucumo dictus, urbe Tarquinijs profugus, Romã petijt. Aduenienti aquila pileum ſuſtulit: & cũ altè ſubuolaſſet, repoſuit. Tanaquil cõiunx, auguriorum perita, regnum ei portendi intellexit. Tarquinius pecunia, & induſtria dignitatem, atq; etiâm Anci regis familiaritatem conſecutus, à quo tutor liberis relictus, regnũ intercepit: & ita adminiſtrauit, quaſi iure adeptus † fuiſſet. Centum patres in curiã legit, qui minorũ gentium ſunt appellati. Equitum centurias numero duplicauit, nomina mutare non potuit: Accij Nauij auguris autoritate deterritus, qui fidem artis ſuæ nouacula & cotẽ firmauit. Latinos bello domuit. Circum maximum ædificauit. Ludos Magnos inſtituit. De Sabinis, & Priſcis latinis triumphauit. Murum lapideum urbi circundedit. Filium XIII. annorum,

quòd in prælio hostem percussisset, prætexta & bulla donauit. unde hæc ingenuorū puerorum insignia esse cœperunt. Pòst ab Anci liberis, immissis percussoribus, per dolum regno exutus est, & interfectus.

IN CAPVT VI.

L. Tarquinius.] Tarquinij Prisci gesta describunt in primis Liu. *lib.* 1. Dec. 1. *Flor. lib.* 1. *ca.* 5. *Dionys. lib.* 3. *Plin. lib.* 33. *cap.* 1. *&* 3. *& lib.* 35. *cap.* 12. *Augustin. lib.* 3. *cap.* 15. *Ciuitat. Oros. lib.* 2. *cap.* 4. *Eutrop. lib.* 1. *ca.* 8. *Lactan. lib.* 2. *cap.* 8. *Valer. lib.* 1. *cap.* 4. *Solin. cap.* 2. *Polyhist. Frontin. lib.* 2. *cap.* 8. §. 1. *&* §. 9. *Antoninus Tomo* 2. *Tit.* 4. *cap.* 5. §. 4. *Otho Phrisin. lib.* 2. *cap.* 6. *Vincentius lib.* 2. *cap.* 109. *Spec. hist. Volaterr. lib.* 19. *Vrbanor. comment. & alij qui paulo pòst citantur.*

Lucius.] Hoc nomen tum demū sortitus est, cum Romæ *in* Tribus *cum suis reciperetur. Posteaquā enim animaduertisset, unicuiq; Romanorum imponi primo nomen proprium, postq; illud deinde alterum, quod esset cognationis eorum & paternale, se quoq; similem illis facere uolens, Lucium sibi (referente* Dionysio*) pro Lucumone propriū nomen imposuit: Tarquiniumq; cognationis,*

tionis, ab ea urbe in qua geniturae educationisq́; potitus erat. Vide Alexan. ab Alex. lib. 5. cap. 4.

Demarathi.] *Nō Lacedæmonij ducis, qui dum exularet apud Atheniēses, impius in patriā fuit.* de quo Herodotus lib. 5. & Oros. lib. 2. cap. 9. *Sed eius* Demarati *qui ex* Bacchiadarum *familia ortus, mercator fuit ditißimus: de quo* Plin. *lib. 35. cap. 3. & lib. 35. cap. 12.* Plutarch. *de fortuna* Alexand. Valer. Max. *lib. 3. cap. 4. §. 2.*

Tyannidem Cypseli.] *Dictus est autem Cypselus à cistula, quàm Græci cypselon uocāt, in quā delituit occultatus, cum de eius interitu consultaretur.* De hoc Plinius *lib. 35. cap. 3.* Fulgosus Genuensis *lib. 9. cap. 1. §. 7. de* Dictis *factisq́; memorabilibus.*

Hetruriam.] *Italiæ prouinciā, ut ait* Seruius, *cuius fines protensi sunt ad primam usq́;* Tyberis *ripā, & hinc quoq́; nomen habere constat.* ἕτερον *enim alterum, & oros finis* Græcis *dicitur.* Roma *enim unam tantum* Tyberis *ripam tenebat olim.* Vnde Iuuenalis *canit,* Imperij *fines* Tyberinum *uirgo natauit. &* Liuius *quoq́; lib. 1.* Pacem inter Hetruscos & Latinos *ita conuenisse dicit, ut* Hetruscis Latinisq́; Albula, *quem nunc* Tyberim *uocant, finis esset.* Vide Plin. *lib. 3. cap. 5. &* Volaterr. *lib. 5. cap. 1.* Geographiæ, Pomp. Mela *lib. 2. cap. 4.* Solin. *cap. 8.* Polyhistoriæ.

Lucumo.] *Dionysius scribit, Demaratum in urbe Tarquinijs duos ex nobilissima uxore susce pisse filios, quibus Hetrusca quoq; nomina imposuit, & Aruntem alterum seniorem natu, alterum Lucumonem uocauit: à quo postea Lucumedi, ut quidam uolunt, appellati, qui postea Lucerenses dicti sunt. Sed Lucomedorum nomen uetustissimum esse, satis constat.*

Tarquinius.] *Sic enim omnia ferè exemplaria legũt, cum Tarquinijs legendum sit. Est enim Hetruriæ à Tarconte ædificata ciuitas, & Tarquinij nostri natale solum. De qua ciuitate Strabo lib. 5. Plin. lib. 3. ca. 5. Cuius uestigia à mari paululum remota etiam hodie uisuntur, nomen priscum adbuc retinentia: cuius rei testis est Volaterran. lib. 5. cap. 1. Geograph. in fine.*

Profugus Romam petijt.] *Paulo aliter Dionysius, qui scribit in urbe Tarquinijs Lucumonẽ magnis se rebus immiscuisse, & non tantum inter ciues, uerumetiam in administranda repub. primas sibi partes uendicasse. Verùm cum non pro uoto cederent sua, Romam cum suis profectũ esse, cum Romanos omnes iucundè non tantum suscipere hospites, uerumetiam ciues facere, & honoribus unumquẽq; pro dignitate ornare audiuisset.*

Aduenienti.] *Venienti ad Ianiculum, ubi Roma ab Hetrusca regione primum segregata est.*

Aquila

Aquila pileum sustulit.] *Aquila cum rex omnium auium meritò sit, quas altißimè uolando alijsq; uirtutibus longè superat, primum* Troianorum *insigne erat, ut testis est* Mapheus Vegius Laudensis, *de factis post cladem* Turni, *Vtq; insignem aquilam,&c.* Et hinc apud Romanos *in auspicijs imperiũ portendere uisum est. sic enim &* Romæ Claudio *in forũ eunti aquila dextro humero insedit, imperium ostendens.* Romani *igitur etiam hodie aquilæ insignia habẽt, teste* Plinio *lib. 10. cap. 4. &* Alexandro *ab* Alexand. *libro 4. cap. 2.* De *cuius fœlicitate in colligendis augurijs* Alexand. *ab* Alexand. *lib. 5. cap. 13.* Ioannes Saresbariensis *lib. 1. cap. 13. de ueterum* Philosophorum *uestigijs.*

Reposuit.] Hoc *est, capiti restituit, ueluti sui ministerij conscia. quod cum fœliciter* Tarquinio *cessisset, sumptis imperatorijs ornamẽtis, semper in eburnei sceptri uertice aquilæ figuram habuiße dicitur. cuius rei testis est* Alexand. *ab* Alexand. *lib. 1. cap. 28. Bene igitur cecinit ille,*

Inuictas aquilas & nullo fulmine tangi,
Scripta poetarum & sacra sophia docent.
Sunt ergo imperij meritò uictricia signa,
Quo nullum toto clarius orbe fuit.

Tanaquil *auguriorũ perita.*) Augurandi *enim ars antiquißima, primum à Chaldæis ad Græcos,*

apud quos Amphiaraus, Mopsus et Calchas summi augures habiti sunt. à Græcis deinde ad Hetruscos uenit, penes quos ea disciplina præcipua, ac longe peculiaris fuit. Vnde Naso lib. 2. Fastorũ scribit uirum quendam exulem Hetruria Romam uenisse, cuius opera Romulum & Remũ usos existimant, cũ de imponendo urbi nomine contenderent. Et sic demũ augurandi disciplinã ad Romanos peruenisse constat, de qua re multa Pomp. Læt. cap. 5. Fenestell. cap. 4. de sacerdot. Rom. & alij, de quibus suprà cap. 2.

Tanaquil coniunx.] De qua Plutarch. de Virtutibus mulierũ, in præfatione, & de fortuna Romanorum in fine. Plin. lib. 36. cap. 27. Volater. lib. 19. cap. 2. Anthrop. & pleriq; qui à capitis principio citati sunt.

Pecunia.] Amplißimas enim ex hæreditate paterna diuitias cum haberet, in commune deponere uoluit: deinde Anco Martio regi amplißimas pro necessitate pecunias dono dedit, in usus bellicos quantiscunq; pecunijs indigeret exhibuit, patriciorum multos beneficijs deuinxit, popularem multitudinem quoq; argento sibi conciliauit. Verè igitur in Phœnißis Euripides, τὰ χρήματ' ἀνθρώποισιν τιμιώτατα, δύναμίν τε πλείστην τῶν ἐν ἀνθρώποις ἔχει. Id est, Mortalibus nil charius pecunia, Atq; inter homines una plurimum ualet.

Inde

Industria.] Belli enim non tantum miles fuit, idemq́; peditum equitumq́; omniũ strenuißimus: sed etiam ubi sententia opus erat (ut ait Dionysius) bona, inter consiliarios prudentißimus numeratus est.

Dignitatem.] Secretioribus namq; consilijs domi militiæq́; adhibitus, equitum deinde præfecturam adeptus est.

Liberis.] Duos tantum filios reliquit Ancus Martius rex, alterum puerilis ætatis, alterũ maiorem natu, iam tum pubescentem.

Regnũ intercepit.] Discrepat hoc loco Dionysius ab alijs, qui scribit defuncto iam Anco senatum primum pro more interregem creasse, & deinde statim Comitijs habitis multitudinẽ regem Tarquiniũ Priscum elegisse, cõfirmantibus quoq; ea auspicijs, quæ populus iudicauerat. Alij uerò referunt, Tarquinium sub comitiorũ tempus, Anni regis filios (ne quid illorum præsentia sibi officeret) uenatum misisse, & primum omnium fuisse qui regnũ ambitiose peteret. Cuius orationem lege apud Liuium. Est autem libidinis regnandi notatu dignum exemplum.

Centum patres.] Senatores à Romulo centũ creatos fuisse, qui ob honorem patres, ob ætatem senatores dicti sunt, dictũ est cap. 2. Deinde cõmunicata urbe cum Sabinis & Tatio, idem Romulus

alios centum legit, ut est apud Liuium, explens numerum ducentorũ. Nunc Tarquinius Priscus, in orbitate senatus legisse centũ alios scribitur, minorum gentium appellatos. tametsi à Bruto familias minorum gentium inuentas nõnulli credant. Primus enim Valerius Publicola post exactos reges, Patrum numerũ à Superbo cædibus imminutum expleuit, & amplißimũ ordinem auxit, quatuor & sexaginta supra centum ex Equestri ordine in conciliũ cooptatis, ita ut trecentorũ numerum faceret, qui Adlecti dicti sunt. Vide Fenestell. ca. 1. Pomp. Læt. ca. 3. de Magist. Rom. Plutarch. in Romulo, & quos suprà cap. 2. citauimus.

Minorum gentium.] Ad differentiam uidelicet aliarum, superiorum ac maiorum. Patres autem minorum gentiũ qui dicantur, ostendit quoq; Blond. lib. 3. Romæ triumph.

Equitum centurias duplicauit.] De equitum cẽturijs nil mutauit, sed ueteri numero tantũ alterum adiecit, & ut mille ducenti equites in tribus centurijs essent, sub ijsdẽ nominibus, quibus priores fuerãt appellati. De his centurijs uide Liuiũ, Dionys. lib. 2. Fenestellam cap. 2. de Rom. magistrat. Blond. lib. 3. Romæ triumph. Alexand. ab Alex. lib. 2. cap. 29.

Nomina mutare nõ potuit.] Liuius & Plinius suprà ca. 2. Ramnẽses à Romulo, Luceres à Lucu

mone,

mone, Tatienses *à* Tatio *uocatos scribit: sed* Dionysius *non centurias, sed tribus, quæ tres ab initio fuerunt, his nominibus uocatos existimat.*

Actij auguris autoritate.] Fuit Actius Nauius *primò tenuis fortunæ homo, referēte* Cicerone *lib.de* Diuinatione *primo.* Q*uū enim olim ob paupertatē sues pasceret, una ex his amissa uouisse dicitur, si recuperasset, uuam se* Deo *daturum, quæ maxima esset in uinea.* Itaque *sue inuenta, ad meridiem spectans, in uinea media dicitur constitisse, cumq; in quatuor partes uineam diuisisset, tresq; partes aues obduxissent, quarta parte quæ erat reliqua regione distributa, mirabili magnitudine uuam inuenit: qua re celebrata, quum uicini omnes ad eum de rebus suis referrent, tantum demum nomen tantamq; in augurando autoritatem assecutus est.*

Fidem *artis nouacula & cote firmauit.*] Actius *cū numerū & nomina tribuū augeri atq; mutari prohiberet, cū aduersa intelligeret auguria,* Tarquinius *experimentum artis efflagitauit, fieri'ne posset, quod ipse mente conciperet modò.* Nauius *rem expertus augurio, posse respōdit.* Atqui *hoc, inquit rex, agitabam, an cotem illam quam manibus teneo, nouacula secare possem.* Augur, Potes *inquit. ergo re tentata, cotem tonsorio cultro in comitio, magnaq; hominum congregata multitu-*

dine, in duas partes diuisit. Et eo factum, ut & Tarquinius augure Actio uteretur, & populus de suis rebus semper ad eum referret. Cotem autem illam & nouaculam defossam in comitio, supráq; impositum puteal accepimus. Hanc historiam leges apud Liuium, Dionysium, Florum, *ut suprà,* Plinium *lib. 34. cap. 5.* Lactant. *lib. 1. cap. 8.* Valer. Max. *lib. 1. cap. 4. § 4.* Fenestellam *cap. 4. de sacerdotibus* Rom. Blond. *lib. 1.* Romæ *triump.* Marlian. *lib. 13 cap. 19.* Petrarcham *lib. 4.* Trac. *5. cap. 3.* Volater. *lib 3. cap. 1. & lib. 14. cap. 3.* Cæl. Rhod. *lib. 10. cap. 17.* Fran. Patriciū Senensem *de* Institutione *regis lib. 2. titulo 10.*

Circum.] *Circus apud* Romanos *dicebatur is locus, ubi ludicra fiebant certamina. & ob hoc quidem quòd in circuitu spectaculis ædificatis, ibi ludi fierent, & quòd illic circum metas ferretur pompa, & equi currerent.* Erat *autem forma oblonga instar arcus, in circuitu habens gradus, spectatoribus apta sedilia, ne alter alterius prospectum impediret.* Cuius *descriptionē pete ex* Marliani *lib. 4. cap. 10.* Topographiæ.

Circum Maximum ædificauit.] Inter Palatium *montem &* Auentinum, *non procul à templo* Herculis, *cuius pauimentum fecit ex chrysocolla, hoc est ex omnium durißima materia, quæ nascitur postquam aurum effosum est.* Posuit *autem*

tem fundamenta tantum huius Circi Tarquinius, quem Cæsar deinde, addēs magnificentiā amplia uit. Cum enim longus fuerit stadiorum trium cum dimidio, latus quatuor iugerum, Cæsarem in eam amplitudinem extendisse, & nō Tarquinium uolunt. id quòd uerisimile est, quum Tarquinij temporibus ciuitas adhuc tam populosa non esset, neque in tantum dedita spectaculis. ergo non tanto opus erat spacio, ut Cæsaris ætate. Habebat autem Circus tribus lateribus effossum stagnum, altum latumq; pedes denos. post stagnum porticus ædificatæ triplici tectura, hæ sedilia habebant in imo lapidea, superiora lignea. basim omnes porticus habebant eandem, capiebantq; hæ hominum centū quinquaginta millia. Reliqua uide apud Dionysium, Liuium, Plin. lib. 36. cap. 15. Nazarium, Pomp. Læt. §. 9. & 92. Marlian. lib. 4. cap. 11. Topograp. P. Victorem regio. 11 urbis, Volaterranum lib. 29. cap. 11. & lib. 6. cap. 1.

Ludos Magnos.] Inter spectatißimos ludos, qui plurimi Romæ fuerunt, Romani ludi à regibus institui primùm, qui & Magni & Circenses dicti, præcipui semper habiti sunt, Ioui, Iunoni, & Mineruæ celebres. Nam singulis dijs singuli dicati ludi erant, quos ad placanda numina unà cum sacrificijs, cumq; cantu & tibia celebrabant, prætoris edicto id decernente.

Tarqui-

Tarquinius igitur Priscus cum ludos Magnos opulentius instructiusq; (ut ait Liuius) instituisset quàm priores fuissent, Magni dicti sunt. in eos enim ducenta millia nummûm impensa sunt. Vnde *deinde quoque post pugnam ad* Trasymenum *celebrati sunt ludi Magni, æris 333 millibus, bobus albis 400, multisq; alijs hostijs et diuitijs. in quorum celebritate, præcipua per singula puluinaria mittebâtur munera.* Verùm de Romanorum *ludis & spectaculis, Sisinius,* Plinius *lib. 7. cap. 56. lib. 36. cap. 15.* Blondus *lib. 2.* Rom. *triumphant.* Fenestella *cap. 13. de Magist.* Rom. Alexander *ab* Alexâdro *lib. 6. cap. 19.* Volateranus *lib. 29. cap. 11. & alij.*

Sabinis.] De *quibus suprà cap. 2.* Quomodo *autem, quibus'ue artibus Sabinos uicerit, lege copiose apud* Dionysium *&* Liuium, *item* Frontinum *lib. 2. cap. 8. §. 2. & §. 9. Stratagematum.*

Priscis Latinis.) Quorum *multa oppida munitißima cœpit, ex quibus* Corniculum, Ficulnea *[illegible]tus,* Cameria, Crustumerium, Ameriola, Medullia, Nomentum. *Causa autem horum bellorum erat, quòd cæteri* Latini, *& tum omnium maximè* Apiolani, *post Anci regis interitum, existimâtes soluta iam pacis esse fœdera,* Romanum *agrũ incursionib. et latrocinijs essent depopulati.*

Triumphauit.] *aurea tunica, ut* Plinius *ex*

Verrio

Verrio Flacco refert. Verùm quo apparatu, qua pompa, quantoq; omnium studio olim Romani triumphos agerent, quis ordo seruari, & quæ in triumpho ferri consueuerant, uide apud Blondum lib. 10. de Roma triumphante, Alexandrum ab Alexan. lib. 6. ca. 6. ex Liuij lib. 10. Dec. 1. Romulo Plutarchi, et Plinij lib. 5. cap. 5. lib. 33. cap. 1. & cap. 3. &c.

Murum lapideum.] Cuius exordium operis Sabino bello turbatum erat. Verùm Marlianus Tarquinium Superbum, de quo infrà cap. 8. dicetur, ciuitatem prius ruderibus, uilibusq; structuris munitam, muro ex lapidibus primùm inclusisse, lib. 1. Topographiæ, cap. 5. scribit. Vbi multa de ambitu & mœnibus urbis sæpe restauratis legere licet.

Quod hostẽ percußisset.] Hoc factũ est in prælio aduersus Latinos & Hetruscos, in quo plusquam sexaginta hominum milia ceciderunt.

Prætexta donauit.] Prætexta erat uestimenti genus oblongum & talare, cuius oræ & circuitus purpura prætextus erat. & hac de re περιπόρφυρος à Plutarcho hæc uestis dicta est, quasi habens in circuitu purpuram intextam: quæ primo ab Hetruscis inuenta esse dicitur, autore Plinio, quod & sentire Strabo in quinto uidetur. Erat autem Censorum, Patriciorum, & aliorum pro-

procerum, ut ex Liuio *colligimus, apud* Roma-*nos, qua primò à* Prisco Tarquinio *donatum e-ius filium tradunt, quem in prætextæ annis ho-stem occidisse,* Plinius *noster scribit.* Prætextati *autem dicebantur, qui nondum decimumsepti-mum annum attigerant.* Et *hinc prætextatus ser mo dicitur, in quo nihil est obscœnitatis.* Nefas *enim erat (ut inquit* Sextus Pompeius *libro de* Verbis *priscis 16.) ut prætextati pueri uerbis obscœnis uterentur.* De Prætextæ *uestitu, & quibus, quamq; ob causam hoc uestimenti genus datum sit, lege* Plinium *lib. 9. cap. 39. & lib. 8. cap. 48.* Liuium *lib. 2. Dec. 3.* Polybium *lib. 8. cuius ea de re uerba* Liuius *uertisse uidetur.* Gellium *lib. 2. cap. 23.* Macrobium *lib. 1. cap. 6.* Volaterranum *lib. 27. cap. 18.* Alexand. *ab* Alexand. *lib. 5. cap. 18. & lib. 2. cap. 25.* Laza-*rum* Bayfium *in* L. *uestis. ff. de auro & argento legat.* Annotationum *cap. 10.*

Et bulla.] *Erat hæc bulla rotunda, & in mo-dum cordis ex purißimo auro formata, quam an-te pectus annectebant in collo ueteres* Romani *ingenuis pueris, ut bullam inspicientes, ita de-mum homines se esse cogitarent, si corde præ-starent.* Ea *etiam bulla obsignasse dicuntur ue-teres, cum plebeij & libertini scorteo loro mu-nirentur, quam quidem pueri ingenui, & illo-rum*

rum qui equo meruissent filij, ad pubertatem usque unà cum prætexta induebant, illamq; exacta puericia, solenni festo Laribus suspendebāt. Sicut Romanæ puellæ puellare rudimentum, puppas Veneri Argiuæ, & maturæ uiro compositum capillum Palladi. Vide hac de re Plinium lib. 33. cap. 1. Plutarchum §. 35. & 101. Problematum, Blondum lib. 9. Alexandrum ab Alexandro lib. 2. cap. 25. & lib. 5. cap. 18.

Ingenuorum insignia cœperunt.] Quemadmodum enim pallium Gabinorum, casiaca Græcorum, mastruga Sardorum, aulea Britannorum, strigium denique Hispanorum nunc propria uestimenta sunt: sic quoque Romanorum propria erat toga prætexta & bulla, quæ tamen ante Tarquinij Prisci tempora Romanorum insignia fuerunt: cum apud Plutarchum legamus, Romulū parentes urbis, tum alios Romanis mulieribus honores detulisse, tum ut maximè earum pueri bulla aurea ornarentur concessisse.

Pòst.) Anno imperij sui tricesimo octauo, qui fuit tertius quinquagesimæ Olymp. ab Vrbe uerò condita 175 annus.

Ab Anci liberis.] Duobus, quorum tutor à patre exoratus erat.

Percussoribus.] Duobus pastorib. audacissimis.

Per dolum.] Subornauerant enim duos illos pasto-

pastores, ut agresti habitu, & rusticanis ferramentis accincti, tanquam ab intermisso opere auersi, in regiam altercantes irrumperent, & mutuo se conuicio incessentes demum ad manus uenirent, & ad ipsum deinde regem uocati armis eum trucidarent.

Interfectus est.] Securi, telo in uulnere (ut ait Liuius) relicto: anno ab V.C. 175. sui imperij 38.

DE SERVIO TVLLIO REGE SEXTO.

Cap. VII.

al. Tullij SEruius Tullius, † P. Corniculani, et Ocretiæ captiuę filius, cum in domo Tarquinij Prisci educaretur, flammæ species caput eius amplexa est. Hoc uiso, Tanaquil summam ei dignitatem portendi intellexit. Coniugi suasit, ut ita eum, ut liberos suos, educaret. Qui cum adoleuisset, gener à Tarquinio assumptus est. Et cum rex occisus esset, Tanaquil ex altiore loco ad populum despiciens ait: Priscum Tarquinium graui quidem, sed non letali uulnere accepto, petere, ut interim dum *al. conualesceret* † cõualescit, Seruio Tullio audientes

tes eſſent. Seruius Tullius quaſi precario regnare cœpit, ſed recte imperium adminiſtrauit. Hetruſcos ſæpe domuit: collem Quirinalē, & Viminalē, & Eſquilias urbi addidit. Aggerē, foſſasq́ fecit. Populū in quatuor tribus diſtribuit, ac pòſt plebi diſtribuit annonā. Mēſuras, pondera, claſſeis, centuriasq́ cōſtituit. Latinorum populis perſuaſit, uti exemplo eorum qui Dianæ Epheſiæ ædē feciſſent, & ipſi ædem Dianæ in Auentino ædificarent. Quo effecto, bos cuidam Latino miræ magnitudinis nata eſt. reſpōſum ſomnio datū, eum populū ſummā imperij habiturum, qui prius bouē illam immolaſſet. Latinus bouē in Auentinū egit, & cauſam ſacerdoti Romano expoſuit. Ille callidus, dixit prius eū uiuo flumine manus abluere debere. Latinus dū ad Tyberim deſcendit, ſacerdos bouem immolauit. Ita imperiū ciuibus, ſibi gloriā facto, conſilioq́ uindicauit,

uit. Seruius Tullius filiam alteram ferocem, mitem alteram habens, cum Tarquinij Priſci filios pari animo uideret, ut omnium menteis morum diuerſitate leniret, ferocem miti, mitem feroci in matrimonium dedit. Sed mites ſeu fortè, ſeu fraude perierunt. Feroces morũ ſimilitudo coniũxit. Statim Tarquinius Superbus à Tullia incitatus, aduocato Senatu, regnum paternum repetere cœpit. Qua re audita, Seruius, dum ad curiam properat, iuſſu Tarquinij gradibus deiectus, & domũ refugiens, interfectus eſt. Tullia ſtatim in forum properauit, & prima coniugem regem ſalutauit: à qua iuſſa turba recedere, cum domum rediret, uiſo patris corpore, mulionem euitantem, ſuper ipſum corpus carpentum agere præcepit. Vnde uicus ille Sceleratus dictus. Poſtea Tullia cum coniuge in exilium acta.

IN CAPVT VII.

Huius regis historiam scrip. Liu. lib. 1. Dec. 1. Dionysius lib. 4. in principio, Flor. lib. 1. cap. 6. August. lib. 3. cap. 15. de Ciuitat. Oros. lib. 2. cap. 4. Eutrop. lib. 1. cap. 9. Valer. Max. lib. 1. cap. 6. § 1. & lib. 3. cap. 4. § 3. Solin. cap. 2. Ruff. de uita regia, Messal. Coru. de progenie August. Plut. de fortuna Roman. Front. lib. 2. cap. 8 § 1. Stratagematũ, Ant. Flor. To. 1. Tit. 4. cap. 5. Vincentius lib. 2. cap. 118. et qui in processu citatur.

Seruius.] Dionysius ait ideo Seruium appellatum, quòd ab Ocrisia serua natus esset.

Publij Corniculani.] Fuit is Publius, qui de clara & regia stirpe natus, in Corniculo Latinorum gentis urbe, pro patria dimicans occubuit.

Ocretiæ.] Ita enim ubiq; ferè legimus, sed malè. ex Dionysio enim & alijs, Ocrisiam pro Ocretiam legendum esse, non dubitamus.

Captiuæ.] Hãc enim prægnãtẽ, expugnato Corniculo Tarquinius. rex ex præda cœpit, et Tanaquilidi uxori dono dedit. Val. Max. lib3. cap. 4. §3. Ouid. lib. 6. Fast. Conuenit & seruis, &c.

Filius.] De Seruij Tullij parentibus & cõceptu mirabili, Plinius lib. 26. cap. 27. hunc in modum scribit: Tarquinio Prisco regnãte tradunt, repẽte in foco comparuisse genitale è cinere masculini sexus. Eaq; quæ insederat ibi Tanaquilis reginæ

ancillam Ocrisiam captiuam consurrexisse grauidam. Ita Seruium Tullium natum, qui regno succeßit, & deinde puero caput ardere uisum: creditumq́; Laris familiaris filium, ob idq́; compitalia & ludos Laribus primùm instituisse. Qua de re lege quoq; Dionysium, qui parumper dissentire à Plinio uidetur.

Flammæ species caput amplexa est.] Et ita quidem, ut qui fortè aderant, perculsi aquam è proximo peterent, flammã extincturi. Duæ sunt autem uirtutes ignis, ut Plato testatur. Altera edax & peremptoria, ut suprà cap. 4. de Tullo Hostilio legimus, qui fulmine ictus cum regia flagrauit. Altera mulcebris & innoxio lumine, ac quasi lambens flamma. sic ignis Ascanium, fatalis exilij cum patre discrimina subeuntem, de cœlo quasi succenso capite illustrauit, ut apud Vergilium lib. 2. Ecce leuis, &c. legimus, pronũcians ei debere fœlicitatẽ exilij. De præsenti uerò prodigio Plin. lib. 2. cap. 110. et lib. 36. cap. 27. Val. Max. lib. 1. cap. 6. §. 1. Cic. lib. 1. de Diuinatiõe.

Dignitatem portendi.] Ignis enim in prodigijs apud ueteres, si urendo non noceret, semper celebritatis gloriam afferebat: cuius quoq; rei exemplum leges apud Claudianum de 4. Consulatu Honorij, Apparet quid signa, etc. Et Io. Seresba. de uestigijs philosophorum ueterũ, lib. 1. cap. 13.

Con-

Coniugi.] Tarquinio Prisco, de quo suprà cap. 6. dictum est.

Cum rex occisus esset.] Per fraudē à pastoribus, instigantibus Anci Martij liberis regnū affectāti bus. de cuius morte diximus suprà in fine cap. 6.

Tanaquil.] Tarquinij uxor auguriorum peritissima, de qua eodem dictum est loco.

Despiciens ait.] Huius orationem luculentissimam tum ad Seruium Tullium, tum ad plebem, ex Dionysio petes.

Non letali uulnere accepto.] A` percussoribus filiorum Anci Martij. Est autem muliebris astutiæ memoratu dignum exemplum.

Seruio Tullio.] Vt quem rex loco filij educauerat, & summo semper amore amplexus erat.

Recte imperium administrauit.] Ita enim, ut Liuius ait, Romanum gubernauit imperium quadragintaquatuor annis, ut optimo cuiq; regum perdifficilis esset æmulatio. Virtus igitur, cui ut inuidia, ita etiam plerunq; fama comes esse solet, ut se nullis contineri uinculis ostendat, nō semper nobilitatem, aut opes sequitur, sed ueluti toti humanæ amica naturæ eam quærentes amplectitur: & persæpe ad eos profecta, qui humili planè loco nati sunt, claros facit, atque ad summum sæpe honoris fastigium euehit. Bene igitur Hermānus noster Buschius cecinit,

Semper summa petit, nunq̃ manet infima uirtus,
Nec uult obscuris illa latêre locis.

Hetruscos.] *Italiæ populos, quorum ante Romanorum imperium late terra mariq́; opes patuere, mari supero inferoq́;, ut nomina argumento sunt. alterum enim Tuscum communi uocabulo, alterum Adriaticum mare ab Adria Tuscorum colonia uocauere. Tu consule ea de re Strabonem, Plinium lib.3. cap. 5. Pomp. Melam lib.2.cap.4. Volater.lib.5.cap.1.*

Sæpe domuit.] Romani enim rege Tullio uiginti continuos annos cum Hetruscis(teste Dionysio)belligerarunt,tertioq́; de eadem gente magnificè triumpharunt.

Collem Quirinalem.] Qui ambitum habet 3000.ferè passuũ. Dictus est aũt Quirinalis, uel à fano Quirini:uel à Quiritibus, qui cum Tatio Curibus uenientes,in eo castra posuerunt. Vel ut Marcus Cato in lib. Originũ scriptũ reliquit,à Iunone Sabinorum dea, quam illi Curitim, id est hastatam Iunonem uocant. his enim simul & Hetruscis nõ erat litera Q. De ambitu uerò & magnitudine huius collis,uide Marliã lib.5.cap.21. & lib. 1. cap. 1. Topograp. Pomp. Læt. § 57. Ant. Rom. Alexand. ab Alexand. lib. 6.cap.11.

Viminalem.] Collem Viminalem Varro inter Esquilias commemorat,& à Ioue Vimineo,cuius

ara

træ in eodem monte erant, uel à uiminum illic crescentium multitudine dictū putat. Respicit ab occasu Quirinalem, interiacente circa stadium Suburbana plana. A septentrione uallem habet Quirinalem: inter eosdem colles 4. iugerum latitudo, stadiorum uerò duorum cum dimidio longitudine. Mox cum Quirinali & Esquilijs, usque ad mœnia continuè fornicum frequentia, æquatis montibus iungitur, ambitu 2500. passuum, oblonga forma, latitudine uaria. Vide Marlian. lib.1 cap.1. & lib.5.cap.19. Terentium Varronem de lingua Latina, Alexandrum ab Alexand. lib.6.cap.11.

Esquilias urbi addidit.] Esquilias duos urbis montes esse, ex Marco Terentio Varrone docemur. celebrior tamen pars Esquilinus mons dictus est, uel ab auium excubijs, ut apud Ouidium lib.1. Fastor. legimus, Adde quod excubias, &c. Vel ab aucupibus, quod eo loco quisquilijs proiectis auibus illuderēt. Hic ex urbis collibus solus duplici iugo & aggere munitur, cum reliqui singulis contenti sint: ex quibus alter Cespius nuncupatur, alter Oppius, qui & lacum Fagutalem, hortos Mecœnatis, Larium, Querculanum, Sacellum lucumq; Martis unà complexus est. Qua de re uide Marlianum libro 1. & lib. 5 cap. 9. Pomponium Lætum §. 72. Alexandrum ab

Alexand. ut suprà. Nostra autem tempestate Esquiliæ incipiunt à templo S. Petri ad uincula, & protenduntur usque ad ecclesiam S. Crucis, inde ad Thermas Diocletianas, includitq; ecclesiam S. Mariæ Maioris & S. Praxedis.

Vrbi addidit.] Hos montes Seruius Tullius post cęsum perfectum, turribus ideo muniuit, & muro sepsit, ne quãdo excursiones illinc fierent, & hostium præsidium foret.

Aggerem ac fossas fecit.] Pomerium intellige. Verùm Dionysius eum urbis ambitum, qui Pomerio continebatur, haud multo maiorem Athenarum circuitu fuisse credidit. Vnde quoque Plinius pomerij ambitum Vespasianis imperatoribus 13. millia passuum, & 200 fuisse tradidit. Verùm de pomerio urbis uide Marlianum lib. 1. cap. 3. & lib. 1. cap. 7. Alexandrum ab Alexan. lib 6. cap. 14. Blondum lib. 1. Romæ instauratæ, à principio.

In quatuor tribus distribuit.] Hoc est, in quatuor partes urbem diuidens, & cognomina cuique parti imponẽs, ex collibus quatuor tribuum urbem fecit, quæ eò usq; trium tantum fuerat. Et unam quidem Palatinam, aliam Suburranam, aliam Collatinam, quartam Exquilinam uocauit. De tribubus Romanorum uide Varronem, Festum, Asconium Pedianũ, Blondum lib. 3. Romæ

tri. Alexand. ab Alex. lib. 1. ca. 16. & quos suprà cap. 2. citauimus. Nec mirari oportet, inquit Liuius, hunc ordinē qui nunc est, post expletas quinq; & 30. tribus, duplicato earum numero centurijs iuniorum seniorumq; ad institutam à Seruio Tullio summam non conuenire, quandoquidem hæ tribus ad centuriarum distributionem numerumq; nequaquam pertineant.

Plebi.] Capito apud Gellium lib. 10. ca. 20. diuidit seorsim à populo plebem, in qua patricij nō erant, sed ij tantum qui militiam & agrorum curam, pecorisq; depascendi negocia exercebant. quam diuisionem leges quoq; apud Alexandrum ab Alexand. lib. 5. cap. 18.

Mensuras constituit.] Mensuras & pondera primum Phidonem Argiuū, aut Palamedem inuenisse, ex Gellio uetustißimo autore apud Pliniū legimus lib. 7. cap. 35. qui & mensurarum nomina recitat, lib. 21. cap. 34. Mensurarum autē appellationes & rationes ex humano corpore mutuò sumpsisse ueteres, docet eleganter Cælius lib. 3. cap. 21. & Alexand. ab Alex. lib. 2. cap. 21.

Pondera.] Ponderum nomina & rationes pete ex Plin. lib. 21. cap. 34. lib. 33. cap. 3. lib. 7. ca. 5. Alexand. ab Alexand. lib. 2. ca. 20. in fine, Budæo de Asse, Alciato et Melanchthone de Ponderibus & mensuris. Certò autem constat, Seruium Tul-

lium primum Romæ *æs ſignaſſe, & boum quidem effigie, unde & pecunia à pecudum nota dicta eſt.* Populus *enim* Romanus *ante* Pyrrhum *regem deuictum, non argento ſignato uſus eſt, libralis cum eſſet, unde & libella nunc dicitur, & dipondius appendebatur aßis.* Vnde *& expenſa in rationibus dicuntur.* Et *ſic argentum demum ſignatum eſt, anno urbis* D. LXXXV. Q. Fabio *conſule, anno quinto ante primum bellum Punicum.* Qua *de re lege* Plinium *lib. 18 cap. 3. & lib. 33. cap. 3. &* Blondum *lib. 5.* Romæ *triumphantis, &* Alexand. *ab* Alexand. *lib. 4. ca. 15.* Cæl. Rhod. *lib. 23. ca. 17. & lib. 10. cap. 2.*

Claſſes & centurias cōſtituit.] Iuxta *cenſum, ut inquit* Liuius. Ex *ijs namque qui centum millium æris, aut maiorē cenſum haberent, 80. centurias conficit, quadragenas ſeniorum, & iuniorum alias.* Prima *claßis omnes appellati:* Secunda *claßis intra centum uſque ad quinque & ſeptuaginta millium cenſum inſtituta, & ex his ſenioribus iunioribusq; uiginti conſcriptæ centuriæ.* Tertiæ *claßis in quinquaginta millium cenſum eſſe uoluit, totidem centuriæ, & hæ eodem diſcrimine ætatum factæ.* In *quarta claße cenſus 25. millium, totidemq; centuriæ factæ.* Quinta *claßis aucta, & centuriæ 30. factæ. in his corni*

ces

ces tibicinesq; accensi, & in tres centurias distributi. 11. millia haec classis continebat. Vnde una centuria immunis à militia quoq; facta est. Vide ea de re Liuium, & Dionys. ut suprà, Blond. lib. 3. Rom. triumph.

Eorum exemplo.] Amphyctionem Heleni filium intelligit, qui in Graecia Amphyctionicū conuentum instituit, legibus, praeter proprias cuiusq;, urbis constitutis, quae omnibus communes essent, ut his coniunctius inter se agerent. qui mos postea in Asiam translatus, causam Ionibus praebuit Ephesiae Dianae templum magnificentißimo apparatu construendi. Huius templi meminit Herodotus lib. 7.

Aedem Dianae in Auentino.] Aedificatum est Dianae templum in montis Auentini uertice, Tyberim uersus: in quo templo Idibus Augusti Romae seruis dies festus esse consueuit, cum eo ipso die Seruius noster è serua natus, hanc aedem consecrasset, & diem sacrum seruis & qui in eius tutela sint, uouisset. Sed alij ab Anco hanc aedem aedificatam existimant, ex pecunia quam ciues nuper ex Politorio eò traducti contulerant. Fuit autem eo ipso in loco, ubi hodie D. Sabinae templum est, teste Marliano libro 5. cap. 2. & libro 4. cap. 18. & libro 5. cap. 1. Item Publio Victore in regione urbis 13.

Prete-

Præterea de Dianæ Ephesiæ templo multa lege apud Plin.*lib.36. cap.14.lib. 14.ca.1.lib.2.cap. 87.lib.16.cap.41.lib.36.cap.5. &c.*

Cuidam *Latino.*] Andronum Coratiũ Plutarchus Problem.5.ex Iuba & Varrone uocat.

Bos *miræ magnitudinis.*] Huius bouis cornua diu in uestibulo tẽpli Dianæ,ut miraculo posteris essent,seruata sunt,teste Liuio et Plutarcho.

Responsum *somnio datum.*] Liuius,uates ceci nisse scribit.

Summam imperij habiturum.] A' quadrupedibus animalibus diuersis auspicia sumebant Romani. Ex bouis autem aspectu plerunq; prospera pronunciabant augures. Sic quoq; L. Aurelio & L. Octauio Coss.ad immolandum bos sacra iniussa de montibus per hostiũ classem adnatauit,seq; ad aras percutiendum obtulit: de quo prodigio Iulius Obsequens cap.59.

Immolasset.] Dianæ.

Latinus.] Andronius Sabinus.

Sacerdoti.] Antistiti fani Dianæ, quem Cornelium Plutarchus uocat.

Ille callidus.] Varro hanc fallaciã non Cornelio sacerdoti,sed æditui ascribit. Refertur autem hæc historia inter uafrè dicta & facta apud Valerium Max.lib.7.cap.3.§7.

Viuo flumine manus abluere.] Nefas enim erat illotis

illotis manibus tractare sacra. & hinc Hesiodus uetat, ne quis mane Ioui libet uinum χερσὶν ἀνίπτοις, id est illotis manibus. Vnde etiam χέρνιβος apud Homerum crebra mentio, quæ uox perinde sonat, quasi dicas manuum lotionem, à qua rem diuinam antiquitus auspicabantur, ut docerent Deos immortales puris tantum sacrificijs delectari & placari.

Alterā ferocem.] Titus Liuius Tullias uocat.

Tarquinij filios.] Lucium & Aruntem intelligit. Verùm sat scio Liuium Romanæ historiæ facile principem, & cæteros Romanos scriptores, præter Lucium Pisonem, persuasum habuisse eos Tarquinij Prisci filios fuisse, & non nepotes. Sed si octogenarius Tarquinius perijt, eratq; Tanaquilis quinq; annis minor, ut Dionysius haud ineptè colligit, oportuisset nō pueros eos fuisse, quū pater fuit interfectus, etiam si quinquagenaria peperisset Tanaquilis, quod rarißimè accidit: sed iam porro adultos, quippe quorum minor 25. annos natus esse potuit. Nec credibile est Tanaquilē dem filios iam adultæ ætatis, paterni regni succeßione fraudatos uoluisse, ut genero gradus fieret ad dignitatem: præsertim cum ne maior quidem natu Tarquiniorum Tullus esse potuisset, si ex Tanaquilide illi nati essent. Cæterū oportuisset L. Tarquiniū, si æqualis Seruio fuisset, iam septua-

gena-

eadem studia sunt, eædem uoluntates, in his fit ut æquè quisq; altero delectetur, ac seipso. Efficiturq; id quod Pithagoras dicere solebat, ut unus fiat ex pluribus.

Citatus.] exstimulatus, excitatus luculentissima oratione, quæ est apud Dionysiũ lib. 4. Est autem libidinis regnandi elegantissimum exemplũ.

Paternum.] Romanum, à Tarquinio Prisco prius administratum.

Repetere cœpit.] luculentissima habita ad senatum populumq; Romanum oratione, quæ extat tam apud Liuium, quàm Dionysium.

Seruius.] qui iã Romanũ imperiũ gubernabat.

Dum ad Curiam properat.] quam iam Tarquinius regnum appetens, cum suis occuparat.

Iussu Tarquinij gradibus deiectus.] Dionysius Halicarnasseus, per crepidines quæ in concionarium ferebant, præcipitatum prodidit. Liuius autem, Seruium Tullium ab ipso Tarquinio, utpote uiribus potentiore, præcipitatum esse dicit.

Domum refugiens.] propè exanguis & semimortuus.

Interfectus est.] cum regnasset, secundum Liuium, Dionysiõ, & alios, annos 44. (Eusebium uerò, 34. qui decẽ annos huic ademptos Tarquinio Superbo ascribit.) anno 3. Olymp. 61. ab Vrbe uerò condita, 219.

Coniugem

Coniugem.] *Tarquinium Superbum.*

Patris.] *Seruij Tullij.*

Corpore.] *cruore multo repleto.*

Mulionem.] *Id est, mulos clitellarios, siue quadrigarios ducentem.*

Carpentum agere præcepit.] Hoc est, *super cadauer sui patris currum uel uehiculum ducere præcepit, scabello aurigam uel mulionem frenum inhibentem percutiens. Est autem carpentum uehiculi genus, petorito propè simile, dictum quasi carmentum, mutatione unius literæ, à Carmenta* Euandri *matre. Vnde quoq;* Ouid. *lib.* 1. *Fastorũ:*

Nam prius Ausonias matres carpenta uehebant,
Hæc quoq; ab Euandri dicta parente reor.

Sic quoque, Cornelius *Tacitus scribit, Agrippinam carpento in Capitolium uehi uoluisse, qui mos sacerdotibus & sacris antiquitus concessus fuit. Verùm de hac impietate & crudelitate Tulliæ in suum parentem, lege præter suprà citatos,* Valer. Max. *lib.* 9. *cap.* 11. § 1. Ouid. *lib.* 6. *Fastor.* Tullia *coniugio, &c.* Volater. *lib.* 19. *ca.* 2. Alex. *ab* Alex. *lib.* 2. *cap.* 6.

Vicus ille.] *Cyprium intellige, prope cliuum, qui ad diui* Petri *templum in uinculis ducit, ubi* Sabini *primum ciuitate donati habitarunt, teste* Marliano *lib.* 3. *cap.* 23.

Sceleratus dictus.] *Ob perpetuam crudelissi*

mi sce

mi sceleris memoriam. Sic etiam Carmentalis porta, eo quòd per eam trecenti Fabij, cum clientum quinq; millibus egreßi aduersus Hetruscos, ad amnem Cremerã omnes interfecti sunt, etiam scelerata dicta est. Item Scelerata uia, quòd ibi Vestales ob incœstum damnatæ sepelirentur, teste eodem lib. 5. cap. 23.

In exilium acta.] *De triplici genere plectendi exilio, item in exilium mittendi rationes apud diuersos, lege apud Alexand. ab Alexand. lib. 3. cap. 20. Cæl. Rhod. lib. 10. cap. 5. Blond. lib. 4. Rom. triumph.*

DE TARQVINIO SVPERBO SEPTI*mo rege Romanorum.*
Cap. VIII.

TArquinius Superbus cognomen moribus meruit. Occiso Seruio Tullio, regnum scelesté occupauit: tamẽ bello strenuus, Latinos, Sabinosq; domuit: Suessam Pometiam Hetruscis eripuit. Gabios per Sextum filiũ simulato transfugio in potestatẽ redegit. Et ferias Latinas primus instituit. † Lacus in Circo, & cloacam maximam fecit, ubi totius *al. Locos*

populi uiribus usus est, unde illæ fossæ† Quiritũ sunt dictæ. Cum Capitoliũ inciperet, caput hominis inuenit. Vnde cognitũ est, eam urbem caput gentiũ futuram. Et cum in obsidione Ardeæ filius eius Lucretiæ stuprum intulisset, cũ eo in exilium actus, ad Porsenam Hetruriæ regem confugit, cuius ope regnum retinere tentauit. Pulsus, Cumas cõcessit, ubi per summam ignominiam reliquum uitæ tempus exegit.

al. Quiritium

IN CAPVT VIII.

Quæ compendiosè hic narrantur, copiosius leges apud Dionys. lib. 4. Liu. lib. 1. & 2. ab urbe cõdita, Augustinum lib. 3. cap. 15. Ciuitatis. Oros. lib. 2. cap. 4. Eutrop. lib. 1. ca. 10. Ruff. de uita regia, Messal. Cor. de progen. August. Plin. lib. 19. cap. 3. & cap. 8. & lib. 33. cap. 1. Valer. Max. lib. 7. cap. 3. § 1. Solin. ca. 2. Vergil. lib. 6. Vis & Tarquinios, &c. Ouid. lib. 2. Fast. Nunc mihi dicenda, &c. Vincent. lib. 3. cap. 118. spec. histo. Anton. Tom. 1. Tit. 4. cap. 5. § 4. Volat. lib. 19. cap. 2. Vrban. commen. Francis. Petrar. lib. 4. Tract. 3. cap. 3. Rerum memorand. Fulgosum Genuens. lib. 1.

lib.1.ca.4.§ 3.Sabell.lib.6.Ennead.2.rapsod.& lib.2.ca.9.§ 4. Ethnicorum exempl. & Florum lib.1.cap.7.

Superbus cognomē moribus meruit.] Superbi nomen inde primùm adeptus est, quòd Seruium Tullium socerum suum insepultum abiecerit, nō tantum Romanorū multitudinem, uerumetiā patricios omnes. item urbis leges, cōsuetudines, omnem reipublicæ ornatū, quo priores reges urbē decorarāt, despexerit, cōfuderit, ad nihilū redegerit, omniū præterea cōtrouersiarū sponsionumq; iudicia non ad iura, nec leges, sed ad mores suos retulerit. Vide Dionys. Liu. et Sabell.lib.6.ca.4. § 1. Multi autem Romanorū fuere, quibus aut uirtus, aut uitiū, aut alij deniq; casus, pro consuetudine appellationē dederunt. qua de re Plutarch. in Coriolano, Plin.lib.18.cap.3. Macrob.lib.1.cap. 6.Saturnal.Solin.cap.4.Gell. lib.16.ca.16.Alexand.ab Alexand.lib.1.ca.19.Sabell.lib.6.per totum, cap.4.Exemplorū. De Tarquinij autem nostri superbia, præter citatos, scribit etiā Fulgosus Genuensis lib.1.cap.4.§ 3.Rerum memorabiliū.

Occiso Ser.Tullio.] De cuius morte in fine capitis septimi dictum est.

Sceleste.] Nō legibus, sed ui et armis, in capitales etiā causas plures innocētißimos & illustrißimos uiros adducēs, & primū quidē inimicos qui

Tullium antecessorem regno priuare noluissent, ut copiosè leges apud Liuium.

Latinos.] *quos facile sibi conciliauit, Manlio cæterisq́; principibus gentis sibi conciliatis, Turno præsertim ferocißimo horum duce sublato. De his populis diximus suprà cap.5.& 6.*

Sabinos.] qui duobus exercitibus militum in Romanum agrum prædam facientes irruperant. De his suprà cap.2.

Suessam Pometiam.] Duxit exercitũ in Pome*tinos, qui urbem Suessam, ultra Lirim positã incolebant, & fœlicißimos se putabant, & finitimis omnibus propter fortunæ magnitudinem molesti grauesq́; erant. Pometiæ autem urbis & agri frequens apud authores fit mentio, quæ tamen iamdudum & ante* Dionysij Halicarnassei *tempora interijt, cuius coloni Suessam migrarũt, unde & Suessa* Pometia *dicta est. Vide* Plinium *lib.3.cap.5.Plutarch.in* Hannibale, Volaterr. *lib. 6.cap.1.*

Volscis.] Latij uel Campaniæ populis, de quibus Plin.*lib.3.cap.5.& cap.19. &* Pomp. Mel. *lib. 2.cap. 4.* Terminant *autem Septentrionem uersus, cum Marsis. Horũ bellum, 200. post Tarquinium annis durauit, ut hinc inde ex Liuij, Dionysij, et aliorũ historijs colligimus. Volscos enim, post superatos ad Regillum Latinos, uicit quoq;*

Appius

Appius Claudius, qui Consul cũ P. Seruilio fuit: rursusq; rebellantes idem compescuit, direpta Suessa Pometia. De his etiam M. Valerius Publicolæ frater & dictator triumphauit. Deinde simul Volsci & Equi à L. Aemylio, qui consul cum Fabio Cæsone fuit: postmodum à L. Lucretio & T. Veturio, rursusq; Quintio & Q. Seruilio consulibus uicti sunt. Præterea Qu. Fabius Cæso consul, demum P. Valerius Potitius consul apud Algidum, & post eum M. Geganius etiam Consul, ducto Ciuilio duce Volscorum ante currum, triumpharunt. ut suis locis scribunt Liuius, Dionysius, Orosius, Eutrop. Volaterr. lib. 38. ca. 8. Paralipomenon, & alij.

Gabios.] Volscorum urbem 70. millibus passuum ab urbe sitam, quæ à Galacto & Bio fratribus Siculis condita, ut scribit Solinus. Sed si Straboni credimus, est in uia Prænestina, distatq; centum ab urbe stadijs, quam hodie Zagarulum quidam existimant: quod doctis non probatur, cum Gabij propinquiores urbi ex Strabonis authoritate deprehendantur. De his præterea lege Volaterr. lib. 6. ca. 1. Vrban. comment.

Simulato transfugio.] Hoc modo in potestatem redacti sunt. Sextus Tarquinij filius simulata ira patris ad eos transfugiens, factus est belli dux. explorãs igitur patris uoluntatẽ, accepit à nũcio,

illum papauera summa in horto tantum demetere uisum: ipse quoq; summos ciues necaturũ se intellexit, quod & fecit, & hoc ipso stratagemate Gabios subegit. qua de re præter citatos, uide quoq; Val. Max. lib. 7. cap. 4. § 2. Front. lib. 1. ca. 1. § 4. Volater. lib. 38. ca. 8. Vrban. cõmen. & Ouid. lib. 2. Fastorum: Ceperat hic alias, alias euerterat urbes, Et Gabios turpi fecerat arte suos, &c.

Ferias latinas.] Romanos Consules sortitis prouinciis Latinas ferias indicere consueuisse constat, Iouiq; Latiali in monte Albano sacrũ facere, quod Latiar dixere, ubi carnem Latinis populis dare mos erat, quæ uisceratio dicta. Cõueniebant autem ad constitutũ ferijs diem Latini populi numero 67. nunquã noctu. & alij agnos, alij caseos, nonnulli lac, pleriq; molam ad cõmune epulum afferebant, & unà taurum immolabãt: quo cæso, riteq; sacrificio perfecto, quisq; populus, qui ad sacrum accesserat, & quæq; ciuitas carnem postulabant. Quo de festo & sacrificio, Dionys. lib. 4. qui ad suam usq; ætatem has ferias durasse scribit, Plin. lib. 27. cap. 7. Alexand. ab Alexand. lib. 5. cap. 7. Sabell. lib. 6. Ennead. 2. De multis alijs ferijs Romanorum, Macrob. lib. 1. Satur. & Blond. lib. 2. Rom. triumph. Dictæ sunt autem Latinæ feriæ, aut quòd Latini eas celebrarent, aut quòd Iupiter ipse, in cuius templo à Tarquinio sacrato fie-

to fiebant) Latialis dictus est.

Lacus in Circo.] Liuius & alij non lacus, sed foros fecisse scribūt. sunt aūt hæc Patauini uerba: Foros quoq; in circo faciendos, cloacamq; maximam, receptaculū omnium purgamentorū urbis, curauit. Marlianus autem, circum maximū à Tarquinio Prisco inchoatū, tribus lateribus effossum stagnū, altum latumq; pedes denos habuisse, memoriæ prodidit quidem, uerùm nō Tarquinij, sed Cæsaris tempore eam circi amplitudinē fuisse addit, quem leges lib. 4. cap. 11. Topograph.

Cloacam maximam.] Erat hæc Cloaca ad Iouis Statoris ædem in tres ductus diuisa, quorum duo postmodum clausi sunt, tertius per lacū Curtium sub foro Romano, per Palatini montis radices, in Velabrū aqua limpidißima fluebat, & inde canali è saxis quadratis extructo, in Tyberim effluebat. Id quoq; obiter notandum est, plures olim Romæ fuisse cloacas, easq; publicas: uerùm cum urbs à Gallis capta atq; incensa esset, & quisq; sibi domiciliū reædificaret, factum esse ut quæq; domus hodie suam fermè & propriā cloacam habeat. Vide Plinium lib. 36. ca. 15. Marlian. lib. 3. cap. 18. Topograph. Est autem magnificentiæ exemplum.

Caput hominis inuenit.] recenti tabo & sanguine aspersum. Huius prodigij mentionē faciunt

ſuprà citati. & Plinius lib. 2. cap. 2. Plutar. in Camillo, Portius Cato lib. Originum, Terentius Varro de lingua Latina, Marlian. lib. 2. cap. 1. et cap. 10. Alexand. ab Alexan. lib. 6. cap. 11.

Cognitum eſt.] ab Hetruſcis uatibus.

Caput gentiũ.] Plutarchus in Camillo, reſponſum datũ eſſe ait, non gentium, ſed Italiæ caput futurum. Huc pertinent poetarum quoq; diuerſa teſtimonia, & præſertim illud Martialis lib. 12. Terrarum dea gentiumq́; Roma, Cui par eſt nihil, & nihil ſecundum. Vergil. lib. 1. Aeneid. His ego nec metas, &c. Ouid. lib. 2. Faſtor. Gentibus eſt alijs tellus data, &c. Propert. Omnia Romanæ, &c.

In obſidione Ardeæ.] Ardeam urbem Hetruriæ, quæ decimooctauo ab urbe miliario diſtabat, & Rutulorum olim habitatio fuerat, obſidebat Tarquinius, prætendens cauſam, quòd Romanos exules ſuſcepiſſent, & cum eis de reditu, teſte Dionyſio, conſpiraſſent.

Ardeæ.] Dicta eſt hæc Latij ciuitas, uel ab regionis feruore, ut aſtipulatur Martialis, Ardea ſolſtitio Peſtanaq; rura petantur, Quiq́; Cleonæo ſidere feruet ager, &c. Vel ab augurio auis ardeæ, quæ altiſsima quæq; uolando petit, quæ Græcis ἐρωδιός, ut Vergil. lib. 7. Quã dicitur urbem, Acriſioneis Danae fundaſſe colonis,
Præcipiti delata noto, locus Ardea quondam
Dictus,

Dictus, auis & nunc magnum manet Ardea nomen, &c. De hac ciuitate lege Strabonem, Plinium lib.3.cap.5. & lib.35.cap.3. Eius meminit Mela lib.2.cap.4.

Filius eius.] Tarquinius Sextus, de quo proximo cap. qui fuit æuo maximus filiorum Tarquinij.

In exilium actus.] Eo in exilium pulso, serpentes mirum in modum, prodigij magni loco, latrasse, scribit Plinius lib.8.cap.41.

Prosennam Hetruriæ regem.] Cuius auxilio urbem per triennium obsedit, quam etiam cœpisset, rursusq; suæ ditioni subegisset, nisi Porsenna Mutij facto, & Clœliæ uirginis audacia obsidionem soluisset. Vide cap.11.12.13.& infrà.

Pulsus.] unà cum suis, septimo Cal. Martias, ut meminit quoq; infrà in fine noni capitis.

Cumas concessit.] nobilissimam Campaniæ ciuitatem, quæ à Chalcidensibus ex Eubœa profectis ædificata, & ab Hippoclis Cumani cognomine dicta est, qua de re Strabo lib. 5. Plin. lib.3. cap.5. Volater. lib.6.cap.6. Vrban. Com. meminit quoq; Plutarchus in Hannibale, & Mela lib. 2.cap. 4. de Situ orbis.

Reliquum uitæ tempus exegit.] Anno ætatis suæ 90. Imperij sui 25. Olympiad.66. anno quarto & ultimo, ab Vrbe uerò condita 244. quibus Romæ sub septē bis regibus regnatum est, Liuio

& Dionyſio authoribus. In Euſebij autem ſuppputationibus deſunt anni quatuor: ſed ipſe fatetur, tribus uariatum annis ab authoribus.

DE TARQVINIO COLLATINO.

Cap. IX.

TArquinius Collatinus, ſorore Tarquinij Superbi genitus, in contubernio iuuenũ regiorum Ardeæ erat. Vbi cum forte in liberiore conuiuio cõiugem ſuam unuſquiſque laudaret, placuit experiri. Itaque equis Romam petunt: Regias nurus in conuiuio & luxu deprehendunt: exinde Collatiam petunt: Lucretiam inter ancillas in lanificio offendunt. Ita ea pudiciſsima iudicatur. Ad quam corrumpendam Tarquinius Sextus nocte Collatiam redijt, & iure propinquitatis in domum Collatini uenit, & in cubiculum Lucretiæ irrupit, pudicitiam expugnauit. Illa poſtero die, aduocatis patre & coniuge, rem expoſuit: & ſe cultro, quem ueſte texerat, occidit. Illi in exitium regum con-

coniurarunt, eorumq; exilio necem Lucretiæ uindicauerunt.

IN CAPVT IX.

Quæ hoc capite continentur, omnia scribit copiose Liuius lib. 1. Decad. 1. Dionys. lib. 4. Flor. lib. 1. cap. 7. Augustinus lib. 2. cap. 19. Ciuitatis, Oros. lib. 2. cap. 4. in fine, Eutrop. lib. 1. cap. 10. Plutarchus de claris mulieribus cap. 14. & in Publicola, Cicero lib. 3. Officior. Valer. Max. lib. 3. cap. 1. Ouidius lib. 2. Fast. propè finem. Anton. Tom. 1. tit. 4. cap. 5. § 1. Vincent. lib. 3. cap. 118. Specul. histo. Sabell. lib. 4. cap. 4. § 4. Exēplor. ethnic. Petrarch. cap. 5. Epitomes, Volaterr. lib. 19. cap. 2. Vrban. com. Alexand. ab Alexand. lib. 3. cap. 27. Genial. Cælius lib. 13. cap. 7. lect. Boc. cap. 46. de Claris mulieribus.

Collatinus.] Collatinorum nomen ab Egerio originem duxisse constat, quem Lucius Tarquinius Priscus perpetua potestate urbi præfecerat, qui à præfectura sua Collatinus cognominatus est, quæ deinde appellatio in ea familia perpetuò mansit.

Tarquinij Superbi.] ultimi Romanorū regis.

Contubernio.] Contubernium castrense & militare uerbum est, teste Vegetio libro 2. de Re militari: qui legionem in cohortes, corhortes in centurias, centurias deinde in contubernia diuidit,

diuidit, quæ decem militibus, sub uno papilione & tentorio degentibus conficitur. Vnde apud probatißimos deinde authores, pro conuictu & hominum consuetudine sumitur.

Ardeæ.] in obsidione Ardeæ. Vide ea quæ supra cap. 8. dicta sunt.

Iuuenum regiorum.] Apud suæ sortis homines. Similis enim semper simili gaudet, iuxta prouerbium, Ἀεὶ κολοιὸς πρὸς κολοιὸν ἱζάνει. Et illud quoque Theocriti Idil. 9. Τέττιξ μὲν τέττιγι φίλος, μύρμακι δὲ μύρμαξ, ἴρηκες δ' ἴραξιν. Id est, Formicæ grata est formica, cicada cicadæ, accipiter placet accipitri.

In liberiore conuiuio.] Notabis ex hoc loco aulicorum mores & uitam, qui quamprimum conueniunt, & liberius bibunt, & bene poti liberrimè quicquid animo reconditũ est effutiunt. Vnde probè Athenæus de potatoribus disserens, huiusmodi prouerbiũ eleganter uulgo dici solere scribit, Τὸν οἶνον οὐκ ἔχειν πηδάλια, id est, Vinum non habere clauũ: Propterea quod ebrietas nihil consultè, neq; moderatè uel dicat uel faciat. Obruitur quippe ratio, quæ claui uice sobrios moderatur atq; gubernat.

Vnusquisque coniugem laudaret.) Conuiuij huius sermones eleganter descripsit Naso lib. 2. Fastor. Quisque suam laudat, &c.

Placuit

Placuit experiri.] cuius'nam uxor omnium pulcherrima esset.

Regias nurus in conuiuio & luxu.) Ouidius.

Ecce nurum regis fusis per colla coronis,
Inueniunt posito peruigilare mero, &c.

Inde.) relicta Roma, & regis Tarquinij domo.

Collatiam.) ciuitatem, quæ nõ procul ab urbe in uia Tyburtina erat, de qua Plin. lib. 3. cap. 5. Volater. lib. 6. cap. 1. Vrbanorum com. cuius hodie ne murorum quidem uestigia extant.

Lucretiam.) nobilissimam Romanam, Lucretij Spurij Tricipitini clarissimi uiri filiam, ac Tarquinij Collatini uxorem longè castissimam.

In lanificio.] Honestæ matronæ, & matris familiâs notatu dignum exemplum. Quippe apud matronas quondam lanificium magnæ laudi fuit, lanamq; fecisse mulierem, pudicitiæ & probitatis signum erat. Quo enim tempore inter Romanos & Sabinos fœdus ictum est, cum Romulo & Tatio conuenit, ut Sabinæ ab omni opere, præterquam lanificio, immunes forent, ut apud Plutarchum in Problematis legimus. Præterea Pagani, ut lanificium ueteribus cordi fuisse ostenderent, sponsam nuptiarum die, colum comptam, & fusum cum stamine, ad uirum deferre iussere: quem morem etiam hodie apud multos, & præcipuè apud Iberos coli, ob-

Coniugem.] *Tarquinium Superbum.*

Patris.] *Seruij Tullij.*

Corpore.] *cruore multo repleto.*

Mulionem.] *Id est, mulos clitellarios, siue quadrigarios ducentem.*

Carpentum agere praecepit.] Hoc est, *super cadauer sui patris currum uel uehiculum ducere praecepit, scabello aurigam uel mulionem frenum inhibentem percutiens.* Est *autem carpentum uehiculi genus, petorito propè simile, dictum quasi carmentum, mutatione unius literæ, à Carmenta* Euandri *matre. Vnde quoq;* Ouid. *lib.* 1. Fastorũ:

Nam prius Ausonias *matres carpenta uehebant,*
Hæc quoq; ab Euandri dicta parente reor.

Sic quoque, Cornelius Tacitus scribit, Agrippinam carpento in Capitolium uehi uoluisse, qui mos sacerdotibus & sacris antiquitus concessus fuit. Verùm de hac impietate & crudelitate Tulliæ in suum parentem, lege præter suprà citatos, Valer. Max. *lib.* 9. *cap.* 11. § 1. Ouid. *lib.* 6. Fastor. Tullia *coniugio, &c.* Volater. *lib.* 19. *ca.* 2. Alex. *ab* Alex. *lib.* 2. *cap.* 6.

Vicus ille.] *Cyprium intellige, prope cliuum, qui ad diui Petri templum in uinculis ducit, ubi Sabini primum ciuitate donati habitarunt, teste Marliano lib.* 3. *cap.* 23.

Sceleratus dictus.] *Ob perpetuam crudelissimi sce*

mi sceleris memoriam. Sic etiam Carmentalis porta, eo quòd per eam trecenti Fabij, cum clientum quinq; millibus egreßi aduersus Hetruscos, ad amnem Cremerā omnes interfecti sunt, etiam scelerata dicta est. Item Scelerata uia, quòd ibi Vestales ob incœstum damnatæ sepelirentur, teste eodem lib. 5. cap. 23.

In exilium acta.] *De triplici genere plectendi exilio, item in exilium mittendi rationes apud diuersos, lege apud Alexand. ab Alexand. lib. 3. cap. 20. Cæl. Rhod. lib. 10. cap. 5. Blond. lib. 4. Rom. triumph.*

DE TARQVINIO SVPERBO SEPTIMO REGE ROMANORUM. Cap. VIII.

TArquinius Superbus cognomen moribus meruit. Occiso Seruio Tullio, regnum scelestè occupauit: tamē bello strenuus, Latinos, Sabinosq; domuit: Suessam Pometiam Hetruscis eripuit. Gabios per Sextum filiū simulato transfugio in potestatē redegit. Et ferias Latinas primus instituit. † Lacus in Circo, & *al. Locos* cloacam maximam fecit, ubi totius

populi uiribus usus est, unde illæ fossæ† Quiritũ sunt dictæ. Cum Capitoliũ inciperet, caput hominis inuenit. Vnde cognitũ est, eam urbem caput gentiũ futuram. Et cum in obsidione Ardeæ filius eius Lucretiæ stuprum intulisset, cũ eo in exilium actus, ad Porsenam Hetruriæ regem confugit, cuius ope regnum retinere tentauit. Pulsus, Cumas cõcesit, ubi per summam ignominiam reliquum uitæ tempus exegit.

al. Quiritium

IN CAPVT VIII.

Quæ compendiosè hic narrantur, copiosius leges apud Dionys. lib. 4. Liu. lib. 1. & 2. ab urbe cõdita, Augustinum lib. 3. cap. 15. Ciuitatis. Oros. lib. 2. cap. 4. Eutrop. lib. 1. ca. 10. Ruff. de uita regia, Messal. Cor. de progen. August. Plin. lib. 19. cap. 3. & cap. 8. & lib. 33. cap. 1. Valer. Max. lib. 7. cap. 3. § 1. Solin. ca. 2. Vergil. lib. 6. Vis & Tarquinios, &c. Ouid. lib. 2. Fast. Nunc mihi dicenda, &c. Vincent. lib. 3. cap. 118. spec. histo. Anton. Tom. 1. Tit. 4. cap. 5. § 4. Volat. lib. 19. cap. 2. Vrban. commen. Francis. Petrar. lib. 4. Tract. 3. cap. 3. Rerum memorand. Fulgosum Genuens. lib. 1.

lib.1.ca.4.§3.Sabell.lib.6.Ennead.2.rapsod.& lib.2.ca.9.§4. Ethnicorum exempl. & Florum lib.1.cap.7.

Superbus cognomẽ moribus meruit.] Superbi nomen inde primùm adeptus est, quòd Seruium Tullium socerum suum insepultum abiecerit, nõ tantum Romanorũ multitudinem, uerumetiã patricios omnes. item urbis leges, cõsuetudines, omnem reipublicæ ornatũ, quo priores reges urbẽ decorarãt, despexerit, cõfuderit, ad nihilũ redegerit, omniũ præterea cõtrouersiarũ sponsionumq; iudicia non ad iura, nec leges, sed ad mores suos retulerit. Vide Dionys. Liu. et Sabell. lib.6.ca.4. §1. Multi autem Romanorũ fuere, quibus aut uirtus, aut uitiũ, aut alij deniq; casus, pro consuetudine appellationẽ dederunt. qua de re Plutarch. in Coriolano, Plin. lib.18.cap.3. Macrob. lib.1.cap. 6. Saturnal. Solin. cap. 4. Gell. lib.16.ca.16. Alexand. ab Alexand. lib.1.ca.19. Sabell. lib.6. per totum, cap.4. Exemplorũ. De Tarquinij autem nostri superbia, præter citatos, scribit etiã Fulgosus Genuensis lib.1.cap.4.§3. Rerum memorabiliũ.

Occiso Ser. Tullio.] De cuius morte in fine capitis septimi dictum est.

Scelestè.] Nõ legibus, sed ui et armis, in capitales etiã causas plures innocẽtissimos & illustrissimos uiros adducẽs, & primũ quidẽ inimicos qui

Tullium antecessorem regno priuare noluissent, ut copiosè leges apud Liuium.

Latinos.] *quos facile sibi conciliauit, Manlio cæterisq; principibus gentis sibi conciliatis, Turno præsertim ferocißimo horum duce sublato. De his populis diximus suprà cap. 5. & 6.*

Sabinos.] *qui duobus exercitibus militum in Romanum agrum prædam facientes irruperant. De his suprà cap. 2.*

Suessam Pometiam.] Duxit exercitũ in Pome*tinos, qui urbem Suessam, ultra* Lirim *positã incolebant, & fœlicißimos se putabant, & finitimis omnibus propter fortunæ magnitudinem molesti grauesq; erant.* Pometiæ autem *urbis & agri frequens apud authores fit mentio, quæ tamen iamdudum & ante* Dionysij Halicarnassei *tempora interijt, cuius coloni Suessam migrarũt, unde & Suessa Pometia dicta est. Vide* Plinium *lib. 3. cap. 5.* Plutarch. *in* Hannibale, Volaterr. *lib. 6. cap. 1.*

Volscis.] Latij *uel* Campaniæ *populis, de quibus* Plin. *lib. 3. cap. 5. & cap. 19. &* Pomp. Mel. *lib. 2. cap. 4.* Terminant *autem* Septentrionem *uersus, cum* Marsis. *Horũ bellum, 200. post* Tarquinium *annis durauit, ut hinc inde ex* Liuij, Dionysij, *et aliorũ historijs colligimus.* Volscos *enim, post superatos ad* Regillum *Latinos, uicit quoq;*

Appius

Appius Claudius, qui Consul cũ P. Seruilio fuit: rursusq; rebellantes idem compescuit, direpta Suessa Pometia. De his etiam M. Valerius Publicolæ frater & dictator triumphauit. Deinde simul Volsci & Equi à L. Aemylio, qui consul cum Fabio Cæsone fuit: postmodum à L. Lucretio & T. Veturio, rursusq; Quintio & Q. Seruilio consulibus uicti sunt. Præterea Qu. Fabius Cæso consul, demum P. Valerius Potitius consul apud Algidum, & post eum M. Geganius etiam Consul, ducto Ciuilio duce Volscorum ante currum, triumpharunt. ut suis locis scribunt Liuius, Dionysius, Orosius, Eutrop. Volaterr. lib. 38. ca. 8. Paralipomenon, & alij.

Gabios.] Volscorum urbem 70. millibus passuum ab urbe sitam, quæ à Galacto & Bio fratribus Siculis condita, ut scribit Solinus. Sed si Straboni credimus, est in uia Prænestina, distatq; centum ab urbe stadijs, quam hodie Zagarulum quidam existimant: quod doctis non probatur, cum Gabij propinquiores urbi ex Strabonis authoritate deprehendantur. De his præterea lege Volaterr. lib. 6. ca. 1. Vrban. comment.

Simulato transfugio.] Hoc modo in potestatem redacti sunt. Sextus Tarquinij filius simulata ira patris ad eos transfugiens, factus est belli dux. explorãs igitur patris uoluntatẽ, accepit à nũcio,

illum papauera summa in horto tantum demetere uisum: ipse quoq; summos ciues necaturũ se intellexit, quod & fecit, & hoc ipso stratagemate Gabios subegit. qua de re præter citatos, uide quoq; Val. Max. lib. 7. cap. 4. § 2. Front. lib. 1. ca. 1. § 4. Volater. lib. 38. ca. 8. Vrban. cõmen. & Ouid. lib. 2. Fastorum: Ceperat hic alias, alias euerterat urbes, Et Gabios turpi fecerat arte suos, &c.

Ferias latinas.] Romanos Consules sortitis prouincijs Latinas ferias indicere consueuisse constat, Iouiq; Latiali in monte Albano sacrũ facere, quod Latiar dixere, ubi carnem Latinis populis dare mos erat, quæ uisceratio dicta. Cõueniebant autem ad constitutũ ferijs diem Latini populi numero 67. nunquã noctu. & alij agnos, alij caseos, nonnulli lac, pleriq; molam ad cõmune epulum afferebant, & unà taurum immolabãt: quo cæso, riteq; sacrificio perfecto, quisq; populus, qui ad sacrum accesserat, & quæq; ciuitas carnem postulabant. Quo de festo & sacrificio, Dionys. lib. 4. qui ad suam usq; ætatem has ferias durasse scribit, Plin. lib. 27. cap. 7. Alexand. ab Alexand. lib. 5. cap. 7. Sabell. lib. 6. Ennead. 2. De multis alijs ferijs Romanorum, Macrob. lib. 1. Satur. & Blond. lib. 2. Rom. triumph. Dictæ sunt autem Latinæ feriæ, aut quòd Latini eas celebrarent, aut quòd Iupiter ipse (in cuius templo à Tarquinio sacrato fie-

to fiebant) Latialis dictus est.

Lacus in Circo.] Liuius & alij non lacus, sed foros fecisse scribũt. sunt aũt hæc Patauini uerba: Foros quoq; in circo faciendos, cloacamq; maximam, receptaculũ omnium purgamentorũ urbis, curauit. Marlianus autem, circum maximũ à Tarquinio Prisco inchoatũ, tribus lateribus effossum stagnũ, altum latumq; pedes denos habuisse, memoriæ prodidit quidem, uerùm nõ Tarquinij, sed Cæsaris tempore eam circi amplitudinẽ fuisse addit, quem leges lib. 4. cap. 11. Topograph.

Cloacam maximam.] Erat hæc Cloaca ad Iouis Statoris ædem in tres ductus diuisa, quorum duo postmodum clausi sunt, tertius per lacũ Curtium sub foro Romano, per Palatini montis radices, in Velabrũ aqua limpidißima fluebat, & inde canali è saxis quadratis extructo, in Tyberim effluebat. Id quoq; obiter notandum est, plures olim Romæ fuisse cloacas, easq; publicas: uerùm cum urbs à Gallis capta atq; incensa esset, & quisq; sibi domiciliũ reædificaret, factum esse ut quæq; domus hodie suam fermè & propriã cloacam habeat. Vide Plinium lib. 36. ca. 15. Marlian. lib. 3. cap. 18. Topograph. Est autem magnificentiæ exemplum.

Caput hominis inuenit.] recenti tabo & sanguine aspersum. Huius prodigij mentionẽ faciunt

ſuprà citati. & Plinius lib. 2. cap. 2. Plutar. in Camillo, Portius Cato lib. Originum, Terentius Varro de lingua Latina, Marlian. lib. 2. cap. 1. et cap. 10. Alexand. ab Alexan. lib. 6. cap. 11.

Cognitum eſt.] *ab Hetruſcis uatibus.*

Caput gentiũ.] *Plutarchus in Camillo, reſponſum datũ eſſe ait, non gentium, ſed Italiæ caput futurum. Huc pertinent poetarum quoq; diuerſa teſtimonia, & præſertim illud Martialis lib. 12. Terrarum dea gentiumq́; Roma, Cui par eſt nihil, & nihil ſecundum. Vergil. lib. 1. Aeneid. His ego nec metas, &c. Ouid. lib. 2. Faſtor. Gentibus eſt alijs tellus data, &c. Propert. Omnia Romanæ, &c.*

In obſidione Ardeæ.] *Ardeam urbem Hetruriæ, quæ decimooctauo ab urbe miliario diſtabat, & Rutulorum olim habitatio fuerat, obſidebat Tarquinius, prætendens cauſam, quòd Romanos exules ſuſcepiſſent, & cum eis de reditu, teſte Dionyſio, conſpiraſſent.*

Ardeæ.] *Dicta eſt hæc Latij ciuitas, uel ab regionis feruore, ut aſtipulatur Martialis, Ardea ſolſtitio Peſtanaq́; rura petantur, Quiq́; Cleonæo ſidere feruet ager, &c. Vel ab augurio auis ardeæ, quæ altiſsima quæq; uolando petit, quæ Græcis ἐρωδιὸς, ut Vergil. lib. 7. Quã dicitur urbem, Acriſioneis Danae fundaſſe colonis,*
Præcipiti delata noto, locus Ardea quondam

Dictus,

Dictus, auis & nunc magnum manet Ardea nomen, &c. De hac ciuitate lege Strabonem, Plinium lib.3.cap.5. & lib.35.cap.3. Eius meminit Mela lib.2.cap.4.

Filius eius.] Tarquinius Sextus, de quo proximo cap. qui fuit æuo maximus filiorum Tarquinij.

In exilium actus.] Eo in exilium pulso, serpentes mirum in modum, prodigij magni loco, latrasse, scribit Plinius lib.8.cap.41.

Prosennam Hetruriæ regem.] Cuius auxilio urbem per triennium obsedit, quam etiam cœpisset, rursusq; suæ ditioni subegisset, nisi Porsenna Mutij facto, & Clœliæ uirginis audacia obsidionem soluisset. Vide cap.11.12.13.& infrà.

Pulsus.] unà cum suis, septimo Cal. Martias, ut meminit quoq; infrà in fine noni capitis.

Cumas concesßit.] nobilißimam Campaniæ ciuitatem, quæ à Chalcidensibus ex Eubœa profectis ædificata, & ab Hippoclis Cumani cognomine dicta est, qua de re Strabo lib.5. Plin. lib.3. cap.5. Volater. lib.6. cap.6. Vrban. Com. meminit quoq; Plutarchus in Hannibale, & Mela lib. 2. cap. 4. de Situ orbis.

Reliquum uitæ tempus exegit.] Anno ætatis suæ 90. Imperij sui 25. Olympiad. 66. anno quarto & ultimo, ab Vrbe uerò condita 244. quibus Romæ sub septē his regibus regnatum est, Liuio

& Dionysio authoribus. In Eusebij autem supputationibus desunt anni quatuor: sed ipse fatetur, tribus uariatum annis ab authoribus.

DE TARQVINIO COLLATINO.

Cap. IX.

TArquinius Collatinus, sorore Tarquinij Superbi genitus, in contubernio iuuenũ regiorum Ardeæ erat. Vbi cum forte in liberiore conuiuio cõiugem suam unusquisque laudaret, placuit experiri. Itaque equis Romam petunt: Regias nurus in conuiuio & luxu deprehendunt: exinde Collatiam petunt: Lucretiam inter ancillas in lanificio offendunt. Ita ea pudicissima iudicatur. Ad quam corrumpendam Tarquinius Sextus nocte Collatiam rediit, & iure propinquitatis in domum Collatini uenit, & in cubiculum Lucretiæ irrupit, pudicitiam expugnauit. Illa postero die, aduocatis patre & coniuge, rem exposuit: & se cultro, quem ueste texerat, occidit. Illi in exitium regum con-

coniurarunt, eorumq́ exilio necem Lucretiæ uindicauerunt.

IN CAPVT IX.

Quæ hoc capite continentur, omnia scribit copiose Liuius lib. 1. Decad. 1. Dionys. lib. 4. Flor. lib. 1. cap. 7. Augustinus lib. 2. cap. 19. Ciuitatis, Oros. lib. 2. cap. 4. in fine, Eutrop. lib. 1. cap. 10. Plutarchus de claris mulieribus cap. 14. & in Publicola, Cicero lib. 3. Officior. Valer. Max. lib. 3. cap. 1. Ouidius lib. 2. Fast. propè finem. Anton. Tom. 1. tit. 4. cap. 5. § 1. Vincent. lib. 3. cap. 118. Specul. histo. Sabell. lib. 4. cap. 4. § 4. Exẽplor. ethnic. Petrarch. cap. 5. Epitomes, Volaterr. lib. 19. cap. 2. Vrban. com. Alexand. ab Alexand. lib. 3. cap. 27. Genial. Cælius lib. 13. cap. 7. lect. Boc. cap. 46. de Claris mulieribus.

Collatinus.] Collatinorum nomen ab Egerio originem duxisse constat, quem Lucius Tarquinius Priscus perpetua potestate urbi præfecerat, qui à præfectura sua Collatinus cognominatus est, quæ deinde appellatio in ea familia perpetuò mansit.

Tarquinij Superbi.] ultimi Romanorũ regis.

Contubernio.] Contubernium castrense & militare uerbum est, teste Vegetio libro 2. de Re militari: qui legionem in cohortes, corhortes in centurias, centurias deinde in contubernia diuidit,

diuidit, quæ decem militibus, ſub uno papilione & tentorio degentibus conficitur. Vnde apud probatiſſimos deinde authores, pro conuictu & hominum conſuetudine ſumitur.

Ardeæ.] in obſidione Ardeæ. Vide ea quæ ſuprà cap. 8. dicta ſunt.

Iuuenum regiorum.] Apud ſuæ ſortis homines. Similis enim ſemper ſimili gaudet, iuxta prouerbium, Ἀεὶ κολοιὸς πρὸς κολοιὸν ἱζάνει. Et illud quoque Theocriti Idil. 9. Τέττιξ μὲν τέττιγι φίλος, μύρμακι δὲ μύρμαξ, ἴρηκες δ' ἴρηξιν. Id eſt, Formicæ grata eſt formica, cicada cicadæ, accipiter placet accipitri.

In liberiore conuiuio.] Notabis ex hoc loco aulicorum mores & uitam, qui quamprimùm conueniunt, & liberius bibunt, & bene poti liberrimè quicquid animo reconditũ eſt effutiunt. Vnde probè Athenæus de potatoribus diſſerens, huiuſmodi prouerbiũ eleganter uulgo dici ſolere ſcribit, Τὸν οἶνον οὐκ ἔχειν πηδάλια, id eſt, Vinum non habere clauũ: Propterea quod ebrietas nihil conſultè, neq; moderatè uel dicat uel faciat. Obruitur quippe ratio, quæ claui uice ſobrios moderatur atq; gubernat.

Vnuſquiſque coniugem laudaret.) Conuiuij huius ſermones eleganter deſcripſit Naſo lib. 2. Faſtor. Quiſque ſuam laudat, &c.

Placuit

Placuit experiri.] *cuius'nam uxor omnium pulcherrima esset.*

Regias nurus in conuiuio & luxu.) *Ouidius.*
Ecce nurum regis fusis per colla coronis,
Inueniunt posito peruigilare mero, &c.

Inde.) *relicta Roma, & regis Tarquinij domo.*

Collatiam.) *ciuitatem, quæ nõ procul ab urbe in uia Tyburtina erat, de qua Plin. lib. 3. cap. 5. Volater. lib. 6. cap. 1. Vrbanorum com. cuius hodie ne murorum quidem uestigia extant.*

Lucretiam.) *nobilißimam Romanam, Lucretij Spurij Tricipitini clarißimi uiri filiam, ac Tarquinij Collatini uxorem longè castißimam.*

In lanificio.] *Honestæ matronæ, & matris familiâs notatu dignum exemplum. Quippe apud matronas quondam lanificium magnæ laudi fuit, lanamq; fecisse mulierem, pudicitiæ & probitatis signum erat. Quo enim tempore inter Romanos & Sabinos fœdus ictum est, cum Romulo & Tatio conuenit, ut Sabinæ ab omni opere, præterquam lanificio, immunes forent, ut apud Plutarchum in Problematis legimus. Præterea Pagani, ut lanificium ueteribus cordi fuisse ostenderent, sponsam nuptiarum die, colum comptam, & fusum cum stamine, ad uirum deferre iussere: quem morem etiam hodie apud multos, & præcipuè apud Iberos coli, obseruariq;*

seruariq; legimus, apud Alexandrum ab Alexandro lib. 4. cap. 8. meminit Plinius lib. 29. capite secundo.

Iure propinquitatis.] *Tarquinium Collatinum Fabius scribit fuisse Egerij, Tarquinij Prisci fratris filium: Dionysius autem Egerij nepotem fuisse credit. erat enim Collatinus eiusdem ætatis, cuius erant Tarquinij filij, teste Fabio cum cæteris: cuius opinionem tempus affirmare quidem uidetur. Sed de horum propinquitate apertißimè scribit Alexander ab Alexand. libro 5. cap. 27.*

Irrupit.] *In prima noctis uigilia, comitatus seruo optimè armis instructo.*

Patre.] *Spurio Lucretio Tricipitino, præfecto urbis, qui deinde post pulsum ab urbe regẽ, ut apud Dionysium legimus, interrex creatus est.*

Coniuge.] *Collatino.*

Se cultro occidit.] *Apud Romanos priscos laude dignum erat, in re honesta, & Reipublicæ utili, sibi ipsi inferre manus. apud Thebanos tamen, qui mortem spontè oppeteret, nulla omnino laude dignus erat, quin potius crimini dabatur, eoq; facinore pudendam inscitiam coarguebat suam, uelut sui carnifex immanisq; naturæ foret. Athenienses uerò cum necem quisque*

sibi manu consciuisset, defuncto cadaueri manum tanquam facinorosam abscindebant, illam'que diuisam à corpore, inhumatam relinquebant. Quod Platonis documentum fuit, qui censuit optimum quenq; infracto animo uim fortunæ, & calamitatum incursus potius ferre, & nisi cum dies promissus aduenerit, neminem iniussu Dei mortẽ sibi cõsciscere oportere, idq; magnificentius præclariusq; multo uideri.

Illi.] Brutus, Collatinus, Tricipitinus, Valerius, & alij quàm plurimi.

Coniurauit.] Iunius Brutus, ut Liuius, Dionysius, & alij scribunt, huius iuramenti author fuit. qui posteaquam cultrum, quo se Lucretia confodit, accepisset in manus: Per hunc castissimum ante regiam iniuriam sanguinem iurõ, uos'que Deos testes facio, me Tarquinium pudicitiæ uiolatorem, cum scelerata coniuge, omni liberorum stirpe, ferro, igni, quacunque dehinc ui possum, exacturum. in cuius iuramenti sententiam ingreßi sunt quoque, Collatinus, Tricipitinus, & alij Lucretiæ propinqui: qui talem sibi mortem & suis quoq; imprecabantur, quali potita esset Lucretia, si iusiurandum transgrederentur.

Exilio.] Tarquinio enim clausæ sunt urbis portæ,

portæ, atque exilium publicè indictum. Eius filij è castris eiecti, reliqui in Hetruriã patrẽ sequuti sunt. Sextus patris iram ueritus, Gabios ueluti in peculiare regnum exul abijt. Hunc autem diem quo exactus est Tarquinius, refugium in posterum Romani uocarunt, qui bis quotannis celebrabatur, septimo Calend. Martias, & undecimo Calend. Iulias, ut author est Ouidius lib. 2. Fastorum, prope finem, Iam'que duæ restant, &c. & libro 5.

DE IVNIO BRVTO, PRIMO *Romanorum Consule.*

Cap. X.

IVnius Brutus, sorore Tarquinij Superbi genitus, cum eandem fortunam timeret, in quam frater inciderat, qui ob diuitias & prudentiam fuerat ab auunculo occisus, stulticiam finxit: unde Brutus dictus. Iuuenibus regijs Delphos euntibus, ridiculi gratia comes adscitus, baculo sambuceo aurum infusum deo donum tulit. Vbi responsum est, eum Romæ summam potestatẽ habiturum, qui primus matrem oscularetur:

retur, ipse terram osculatus est. Deinde propter Lucretiæ stuprũ, cum Tricipitino & Collatino in exitium Regum coniurauit. Quibus in exilium actis, primus Consul creatus, filios suos, fratrisq; quòd cum Aquilijs & Vitellijs ad recipiendum in urbem Tarquinios coniurauerant, uirgis cæsos securi percussit. Deinde in prælio quod aduersus eos gerebat, singulari certamine cum Arunte filio Tarquinij congressus, se ambo mutuis uulneribus occiderunt. Cuius corpus in foro positum, à collega laudatum, matronæ anno luxerunt.

IN CAPVT X.

Huius capitis historias leges apud Liuium lib. 1. Dec. 1. Dionys. lib. 4. Flor. lib. 1. cap. 9. Augustinum lib. 3. cap. 16. Ciuitatis, Oros. lib. 2. cap. 5. Eutrop. lib. 1. cap. 11. Val. lib. 5. cap. 8. Plutar. cap. 24 Paral. Plin. lib. 36. cap. 15. & lib. 15. cap. 30. Verg. lib. 6. Aeneid. Vis & Tarquinios, &c. Francis. Petrarch. cap. 5. Epitomes Anton. Tom. 1, Tit. 4. cap. 5. Sabell. lib 6. Enn. 2.

Ex ſorore Tarquinij.] Tarquiniæ filium ex Priſco Tarquinio Iunium Brutum fuiſſe, Dionyſius ait. Alij tamen, Superbi regis ſororem hanc Tarquiniam fuiſſe prodiderunt, quibus Plinius hoc loco aſtipulatur.

Cum eandem fortunam timeret.] Periculo enim ſapere aliorum (ut ille ait) ſapientis eſt.

Frater.] Marcus Iunius.

Auũculo.] Tarq. Superbo, de quo ſuprà cap. 8.

Vnde Brutus dictus eſt.] quaſi brutorum animalium more uitam agens. Vnde à Grecis ἠλίθιος, id eſt ſtultus dictus eſt. Brutus enim idem eſt quod ſtupidus, grauis & tardus. Et hinc Cyprianus ad Demetrianum ſcribens ait: Nullus effectus offert lumen cæco, ſermonem ſurdo, ſapientiam bruto, cum nec ſentire brutus poßit, nec cæcus lumen admittere, nec ſurdus audire, &c. De ficta eius ſtulticia, Ouid. lib. Faſtorum 2. ſcribit:

Brutus erat ſtulti ſapiens imitator, ut eſſet
Tutus ab inſidijs dire Superbe tuis, &c.

Iuuenibus regijs.] Tito & Arunte maturioris ætatis adoleſcentibus.

Delphos euntibus.] Ob prodigium quod domi apparuerat. Anguis enim ex lignea columna ſubitò delapſus, ingentem fugam in regia domo fecerat. Dionyſius autem ait, Aquilas in palma quæ regiæ incũbebat, nidum habuiße, ubi illis ab-

ſentibus

sentibus implumes pulli subito uulturum incursu discerpti sint, quod mali imminentis prodigium esse putabant.

Delphos.] *Inter alia oracula quæ apud Græcos Aphrosq́; præcipuo cultu fuerunt, ad quæ homines uentitabant, Delphicum in terris clarißimum fuisse, cultu & religione longè excellens, uno omnium testimonio traditum est.* De *cuius oraculi origine, cultu, religione, & miraculis, copiose leges* Herodotum *lib. 1.* Diodorum *Siculum de gestis* Philippi. Plutarchum *in oratione consolatoria ad* Apollonium, *de Seræ numinis uindicatione: & in* Pericle. Iustinum *lib. 24.* Sabellicum *lib. 5.* Ennead. 1. Rapsod. Alexandrum *ab* Alexandro *libro 6. cap. 2. à principio,* Ouidium *libro 2.* Fastorum, *Consulitur* Phœbus, *&c.*

Ridiculi causa.] *morionem ut haberent, quem pro libitu conuicijs & contumelijs afficerent.*

Sambuceo.] Corneo, *inquit* Liuius, *quem ad id affabre excauauerat, tacita ingenij sui ambage.*

Donum tulit.] *pro responsorio munere. muneribus enim etiam* Dij *capiuntur: quod* Euripides *in* Medea *uulgi sermone fuisse celebratum ostendit, cum ait,* Πείθειν δῶρα καὶ θεοὺς λόγος. & Ouidius, *Munera crede mihi placant homines q́; deos q́;, Flectitur iratus* Iuppiter *ipse*

doctis, &c. Celebratur & hic uersiculus, Δῶρα θεοὺς πείθει, καὶ αἰδοίους βασιλῆας. Id est, Cum diuis flectunt uenerandos munera reges.

Responsum est.] ijs qui oraculum consuluerant, quis natorũ Tarquinij, defuncto patre, Romæ regnaturus esset.

Matrem.] Notandũ est, Apollinem Delphicum semper dubia dedisse, & obscura responsa: cuius rei exempla pete ex Annotationib. cap. 35. infrà.

Ipse.] Brutus, mentem oraculi solus pro sua prudentia intelligens, ubi in terram Italicam uenisset, & natale solum, procidens, ac si aliquid pede offendisset, terram osculatus est.

Terram.] Aegyptij, ut apud Diodorum Siculum lib. 1. de Fabulosis antiquorum gestis legimus, terram tanquam uas aliquod eorum quæ fierent putantes, matrem appellarunt. À Græcis similiter terra mater, mutato deinde paulum uerbo Δημήτηρ dicta est, ut Orpheus testis est, quam terram omnium matrem dixit, diuitias largientem. Cui adstipulatur Marcus quoque Varro lib. de Re rustica 3. & Plinius lib. 2. cap. 25. qui terram cõmunem omnium matrem, propter eximia merita iustißimè dici, memoriæ prodidit: quæ nos nascentes excipit, natos alit, semel editos semper sustinet, nouißimè complexa gremio, iam à reliqua natura abdicatos, tum maximè

meût mater operiens, nullo magis sacramento, quàm quo nos quoque sacros facit, etiam monumenta ac titulos gerens, nomen'que prorogans nostrum, & memoriam extendens contra breuitatem æui: demùm iam uita priuatos, suo iam iterum fouet gremio. Huc quoque pertinet Cæsaris somnium, qui in somno matri stuprum intulisse uisus est: quo admonebatur, futurum esse, ut orbem terrarum subigeret. per matrem enim, terram quoque intelligebat. ut est apud Suetonium in eius uita. Verùm Bruti historiam leges quoque apud Plinium lib. 15. cap. 30. Val. Max. lib. 7. cap. 3. § 2. & Ouid. lib. 2. Fastor. Ille tacens pronus matri dedit oscula terræ, &c.

Tricipitino.] Lucretiæ patre urbis præfecto.

Collatino.] marito Lucretiæ.

Coniurauit.] De hac coniuratione in fine noni capitis satis dictum est, cuius quoq; meminit Plutarchus in uita Publicolæ, & Sabell. lib. 8. cap. 9. § 13. Exemplor. ethnicor.

Primus Consul.] Cum Tarquinio Collatino. Duo enim semper Consules simul creati sunt, ut si unus horum non ritè imperaret, ab altero coerceretur. Vide Fenestellam cap. 7. de Magistratibus Romanorum, Blondum lib. 3. Romæ triumphantis, Pomponium tit. 2. lib. 1. Digest. Augustinum lib. 3. cap. 16. Ouidiũ lib. 2. Fastorum,

Brutus erat, &c. Ciceronem libro 3. de Legibus. Hic obiter quoque notandum, primo pòst reges exactos anno quinque Consules fuisse, quorum tamen primus fuit Brutus, qui collegam habuit Collatinum. In Bruti locum suffectus est Spurius Lucretius Tricipitinus, in huius deinde Marcus Horatius Puluillus. Tarquinio uerò Collatino succeßit eodem anno Publius Valerius Publicola. Cuius rei testes sunt, Augustinus, & Glareanus noster in Chronologia in Liuium & Dionysium.

Filios suos.] Titum & Tiberium, qui tum pubescere incipiebant.

Aquilijs.] Qui nati erant ex sorore Collatini Tarquinij consulis.

Vitellijs.) quorum soror Brutorum iuuenum erat mater. Verùm Dionysius Vitelliorum nominibus suppreßis, Gellios subijcit, Marcum uidelicet & Manlium, fratres uxoris Bruti.

Coniurarent.) Filij Bruti à Vitellijs, ut Liuius ait, uel ut Dionysius, ab Aquilijs ad cœnam uocati erant, in qua conspirauerant omnes, liberius uiuendi desiderio capti, Tarquinios in urbem noctu clàm recipiendos esse: quos propediem recepissent, nisi à Vitelliorum seruo, uel ut alij scribunt, à captiuo quodam ex urbe Cenina, cuius nomen erat Vindicis, consilia patefacta,

facta, literæq; à Consulibus, uel ut Dionysius ait, à Publicola interceptæ essent.

Virgis cæsos.) Fuit enim mos apud Romanos, ut hi qui capitis supplicio damnati essent, uirgis prius, quemadmodum etiam apud Iudæos, cæderentur: qui tamen mox lege abrogatus est. in Romanis enim castris qui militabant, si quid deliquissent, si externi, flagellis & uirgis, si uerò Romani ciues forent, uitibus cædebantur. Liuius deinde Drusus, & C. Gracchus, Tribuni plebis, ne liceret quempiam Latini nominis uirgis afficere, sed uitibus, plebißito sanxerunt, in hac re Latinos Romanis coæquantes. Vide Alexandrum ab Alexand. lib. 4. cap. 10. in fine.

Securi percußit.) Paternæ seueritatis exemplum: cuius quoque mentionem faciunt Valerius Max. lib. 5. cap. 8. § 1. Sabell. lib. 3. cap. 3. § 4. Ethnic. exemplor. Platina lib. 1. de optimo ciue, Plutarch. cap. 24. Parall. & in uita M. Bruti à principio, & Franciscus Petrarcha cap. 5. Epitomes, & qui à capitis principio citati sunt.

Paterne seueritatis Exemplum

Eos.) Tarquinios, Porsenam, aliosq; coniuratos. qua de re copiose Liuius, Dionys. & cæteri.

Certamine cum Arunte.) à quo contumeliosis uerbis ad singulare certamen prouocatus, infestis hastis progreßi, uterque alterum per scutum & thoracem traiecit, & deinde equo-

rum graui conflictu auersi, tam hic quàm ille moribundum equitem effudit.

Collega.) *à P. Valerio Publicola, qui ex ea pugna triumphans primus quadrijugo curru urbem, ut Plutarchus prodidit, ingressus est.*

Corpus laudatum.) *Funebrium orationum apud Romanos origo. Primus enim fuit Valerius Publicola, qui supremas Bruti laudes accurata oratione prosequutus est. post quem deinde institutum est, ut clarorum uirorum in funeribus, solennis laudatio esset. Nam & Appij decemuiri defuncti laudationem sequutis temporibus plebs æquis auribus audiuit. Et Scipionem in funere supremo, ut hominem diuinum, Maximus commendauit. De qua consuetudine lege Blondum lib. 2. Alexandrum ab Alexand. lib. 3. cap. 7. Dionysium Halicarnas. lib. 5.*

Matronæ anno luxerunt.) *Tantum honorem tribuerunt Romanorum matronæ primo consuli Bruto mortuo, quantum maritis suis. Mos enim erat Romanarum, ut defunctos maritos non ultra annum lugerent, eoq; temporis spacio uiduæ manerent, teste Valerio lib. 2. cap. 1. Certum autem lugendi tempus pro ætate hominum à Numa Pompilio constitutum est, ut refert in eius uita Plutarchus. Quibus autem modis & causis minuerentur lamentationes, cùm Liuius lib. 2.*

de

de ſecundo bello Punico, tum Nonius Marcellus ſatis oſtendunt. Tu ea de re multa leges apud Blondum lib. 2. Rom. triumph. Senecam libro 16. ad Lucilium, epiſtola 99. Alexand. ab Alexand. lib. 3. cap. 7. Petrar. lib. 2. Epiſtolarum, epiſtola 12. Sabell. lib. 7. cap. 1. § 1. & lib. 10. cap. 15. § 4. Ethnicor. exemplorum.

DE HORATIO COCLITE.
Cap. XI.

PORſena rex Hetruſcorum, cum Tarquinios in urbem reſtituere tentaret, & primo impetu Ianiculum cœpiſſet, Horatius Cocles (illo cognomine, quòd in alio prælio oculum amiſerat) pro ponte Sublicio ſtetit, & aciem hoſtiũ ſuſtinuit, donec pons à tergo interrumperetur, †cum quo in Tyberim decidit, & armatus ad ſuos tranauit. Ob hoc ei tantum agri publicè datum eſt, quantũ uno die circumarari potuiſſet. ſtatua quoq; ei in Vulcanali poſita.

al. tum in

IN CAPVT XI.

De Horatij Coclitis militari fortitudine, quem Dionyſius fratruelem alterius conſulum M. Ho-

ratij fuisse, atq; à Trigeminorum uno Marco Horatio, qui Trigeminos Albanos uicit, genus duxisse scribit. Copiose leges apud Liuiũ lib.2.dec. 1. Flor. lib.1.cap.10. Dionys. lib.5. Augustin. lib. 2. cap.18. Ciuitat. Oros. libro 2. cap.5. Eutrop. lib. 1. cap. 11. Plutarch. cap. 16. Parall. & in uita Publicolæ. Plin. lib. 15. cap. 36. & libro 34. cap.5. Valer. Max. lib.3. cap.2. § 1. Frontin. lib.2.cap.13. Iouian. Pontan. lib.1. de Heroica fortitudine, Petrarch. cap. 6. epitomes, Sabell. lib.7. Ennead.2. rapsod. Volater. lib.17. cap. 3. Vrban. comment. Theotimum lib.2. rerum Italicarum, Patricium Senensem de institutione princip. lib.2. tit.10.

Porsena rex Hetruscorum.] Fuit is Clusinorum rex, qui in Hetruria erant, Lartes nomine, cognomine uerò Porsena, qui confugientibus ad se Tarquinijs, pollicitus est, aut conciliaturum eos cum ciuibus de reditu, susceptioneq; imperij: aut recipientem, se, quæ ablata erant eis bona redditurum, ut legimus copiose apud Dionys.

Primo impetu cœpisset.] Subita inuasione Ianiculum occupasse, & ei præsidium ex Hetruscis imposuisse, demumq; uersus urbem properasse, cæteri scribunt.

Ianiculum.] montem altissimum Transtyberinæ

rinæ regionis, quem Romani iam ualidioribus firmarant munitionibus ac præsidijs, prouidentes omnino ne fieret hostibus aduersus urbem opportunus. De Ianiculo uide Marlianum libro 1. cap. 1. & lib. 7. cap. 9. & lib. 1. cap. 5. Publ. Victor. region. 14. Vrbis, Blond. lib. 1. Romæ instauratæ.

Cocles quod oculum amiserat.] Coclites dicuntur, autore Plinio lib. 11. cap. 34. qui altero lumine dempto nascuntur. Vnde Horatiũ quoq;, quòd oculum in clade amisisset, primùm Cyclopem nominauere quidam, mox delapsa loquendi consuetudine Coclem dici contigit, quanquam Coclitem plures scripserint. Vide Alexand. ab Alexand. lib. 1. cap. 9.

Ponte sublicio.] Sublicius pons primum ligneus, ad Auentini radices ab Anco Marcio, absque clauo ferreo, & fulturis, contignatione sola ita compactus est, ut belli temporibus adimi posset. eum deinde Aemilius Lepidus lapideum fecit, & ex suo nomine Aemilium denominauit. Postmodum uero Antoninus Pius imperator marmoreũ fecit, cuius uestigia esse tenemus, quæ hinc ad primas Auentini radices, inde ad nostram ætatem naualia cernuntur. In hoc olim pauperes à transeuntibus stipem petentes sedebant, & ex hoc facinorosi in Tyberim etiam præcipitabantur. Sublicium

licius autem dictus est à sublicibus, id est magnis trabibus, quibus conficiebatur. Vide Plinium lib. 34. cap. 5. & lib. 36. ca. 15. Pomp. Lætum § 88. & Marlian. lib. 7. ca. 7. Rom. antiquit. & Blond. lib. 1. Romæ instauratæ.

Stetit.] Primùm cum Spurio Largio, & Tito Herminio: & deinde ijs deficientibus, solus.

Aciem hostium.] *Acierum descriptionem ex utraq; parte, habes copiose apud* Dionysium.

Sustinuit.] Dionysius *ultra flumen dimicatum esse scribit, iusta acie, & tum demum rem Romanam apertè inclinasse,* Hetruscumq; *mixto agmine in urbem irrupturũ fuisse, nisi* Coclitis *uirtus ferocißimos hostium conatus fregisset. Est igitur* Romanæ *fortitudinis in re militari memoratu dignum exemplum.*

Tum.] *Vbi uidelicet exclamãtes audiuit, dissolutam esse à tergo magnam pontis partem.*

Ad suos tranauit.] *nec altitudine deiectus, (ut inquit* Valerius *) quassatus'ue, neque pondere armorum pressus, nec ullo uorticis circuitu actus, nec telis quidem quæ undique congerebantur prostratus, tutum enatandi euentum habuit.*

Armatus.] *nil omnino armorum (quod desperantis fuisset) abijciens.*

Ob hoc.] *Gratitudinis, & præmiorũ uirtutis exem-*

exemplū. Scribit tamen Liuius, cui & Dionysius Halicarnas. astipulatur, publicæ quoq; gratitudini priuatā etiam accessisse, cū quisq; suum defraudans genium, alimoniam in summa inopia Cocliti ad uictum contulerit.

Tantum agri datum est.] Priscis temporibus militaria dona, quæ militibus fortem operam nauantibus in bello à ducibus dabantur, heminæ, uel quartarij farris fuere (unde adorea laus bellica dicta) binaq; iugera, aut tantum agri quantum uno die circumarassent, amplissima dona putauere. Precia enim militiæ hæc habita sunt maxima, ut post exhaustos labores, milites emeritis stipendijs, sanguine & sudore partis agris donarentur. Hos enim lætissimos fructus, uelut opimam prædam, laborum periculorumq; accipiebant. Perniciosum enim ciuem putabant, cui bina aut septem iugera non essent satis. Vide Blondum lib. 6. Romæ triumph. & Alexand. ab Alexand. lib. 4. cap. 18. Genialium.

Arari.] iugo boum.

Statua in Vulcanali posita.] Dionysius ait, ei statuam in armis æneam in præclaro fori loco, à populo positam esse. cuius meminit quoq; Plinius libro 34. cap. 5. & cap. 6. qui tamen locum, in quem statua posita est, etiam non exprimit. Liuius autem, ut suprà, & Aulus Gellius libro 4. cap. 5.

cap. 5. non in Vulcanali, ſed in Comitio poſitam eſſe, memoriæ prodiderunt. Quem ſcrupulum Marlianus libro 3. cap. 19. Topographiæ ſatis ſoluit, qui Coclitis ſtatuam primo in Comitio fuiſſe ſcribit, quæ paulo pòſt de cœlo tacta, ut eſt apud Gellium quoque, in aream Vulcani tranſlata eſt.

DE MVTIO SCAEVOLA.

Cap. XII.

CVm Porſena rex urbem obſideret, Mutius Scæuola Codrus, uir Romanæ conſtantiæ, ſenatum adijt, & ueniam transfugiendi petijt, necem regis repromittens. Accepta poteſtate, in caſtra Porſenæ uenit, ibiq; purpuratum pro rege deceptus occidit. Apprehēſus, & ad regem pertractus, dexteram aris impoſuit, hoc ſupplicij † ab ea exigens, quod in cæde peccaſſet. Vnde cum miſericordia regis abſtraheretur, quaſi beneficium referens ait, trecētos aduerſum eum ſimileis coniuraſſe. Qua re ille territus, bellum acceptis obſidibus depoſuit, Mutio

prata

prata trans Tyberim data, ab eo Mutia appellata. Statura quoq; ei honoris gratia constituta est.

IN CAPVT XII.

Mutij Scæuolæ historiam lege apud Liuium libro 2. Dec. 1. Florum libro 1. cap. 10. Dionysium libro 5. Plutarchum cap. 4. Parall. Aristidem Milesium libro 4. histor. Augustinum libro 4. cap. 20. Ciuitatis, Orosium lib. 2. cap. 5. Eutropium libro 1. cap. 11. Valerium Max. libro 3. cap. 3. § 2. Martialem lib. 1. Dum peteret regem, &c. Syliū Italic. lib. 8. Scæuola cui, &c. Sabell. lib. 7. Ennead. 2. & lib. 5. ca. 8. & lib. 4. cap. 6. Exemplor. Volater. lib. 17. cap. 1. Vrbanor. comment.

Porsena rex Hetrusc.] Ad quem Tarquinius profugus cum suis confugerat. De quo diximus suprà à capitis 11. principio.

Vrbem obsideret.] Obsedit autem tertio anno post reges exactos, tribus annis continuis.

Mutius.] Mutiorum domum ab eodem Mutio primò nobilitatā, scribit Volaterran. lib. 17. cap. 1. Vrbanorum commentariorum.

Scæuola.] Cognominis ratio ex sequentibus liquet. σκαιὸρ enim Græcis idem est quod læuum, uel sinistrum. Is enim cum dextram igni dedisset,

set, ensemq; à Porsena datum laeua manu arripuisset, Scaeuola in posterum cognominatus est, ut Liuius, & Plutarchus in Publicolae uita, testantur. Vnde etiam Scaeae ab Vlpiano iurisconsulto dicũtur, qui sinistra manu pro dextra utuntur. Vide Alexand. ab Alexandro lib. 1. cap. 9. Genialium.

Cordus.] A' difficili partu, & tardo, cognominatum esse, quidam existimant. Vt apud Suetonium, Cordus Crementius, quod difficulter à matre editus esset: quo nomine etiam Iulius ille historicus, qui imperatorum uitas descripsisse fertur, salutatus est, quem imitaturum se Iulius Capitolinus in uita Gordianorum ait. Et hinc Quintilianus libro 1. Oratoriarum institutionum, praecipit scrutandos esse à subtili praeceptore origines nominum, unde Agrippa, Opiter, Cordus, Posthumius, &c. dicantur. Quam etymologiam Festus quoq;, & Volaterranus lib. 14. cap. ult. Vrbanorum com. & Alexander etiam ab Alexandro, loco paulò antè citato, probare uidentur.

Romanae constantiae.] Veteres enim Romani fortitudine bellica, animiq; constantia, semper caeteris insigniores fuerunt, ut testantur quotquot Romanorum historias decantarunt. Vnde natum prouerbium, Romanus sedendo uincit.

Senatum

Senatum adijt.] Ne adeundo ut transfuga, in urbem ut patriæ proditor retraheretur: aut si parum prosperè id consilium flueret, adessent tamen qui animi sui in patriam testes audirentur. Tertia ratio addi potest, ne ut priuatus in re tam ardua quicq̃ ignorantibus proceribus moliri diceretur.

Transfugiendi.] Transfuga dicitur is, teste Sexto Pompeio, qui liber, uel seruus, aut hostis suorum, sua uoluntate ad hostes transit: quos Romani detractis armis, ne quid insidiarum simulata transitione moliri possent, in postremam aciem inducebant, neque illis facile quicquam credebant. quà de re lege multa apud Alexan. ab Alex. lib. 4. cap. 7. & Blond: lib. 7. Romæ triumphantis.

Regis.] Porsenæ, qui tribus iam annis continuis urbem obsederat.

Castra.] Multiplicem castrorum formam leges apud Alexand. ab Alexan. lib. 1. cap. 12. Veget: lib. 3. cap. 8. de re militari, Blond. libro 3. de Roma triumphante.

Ibiq;.] Liuius, Plutarchus, & alij, ad regis tribunal, Tusco habitu indutum, Tuscorumq; lingua loquutum peruenisse scribunt.

Purpuratũ.] Regium scilicet scribam, stipendiũ militibus numerantẽ. Erat autem purpura regum & magistratuum primò, cuius deinde usus ad equites quoq; translatus est.

Aris imposuit.] *Quo significaret, tantā Romanis inesse constantiam, ut nullis malis ac pœnis quantumuis grauißimis frangerentur. Sic Spartiatæ olim pueros aris admouebant, donec multus è uisceribus sanguis efflueret: imò uirgis deinde & uerberibus cædebant, quo assuescerent à teneris annis, quicquid malorum contingeret, fortiter & magna cum constantia contemnere. Cuius rei testis est* Pontanus *lib. de* Fortitudine *2. cap. 7.*

Cæde peccasset.] *His usus uerbis,* Vt *scias rex quàm uile sit illis corpus, qui se patriæ deuouerunt, nihil inuitus hoc faciam.* Nam *& manus, quæ ictu aberrauit, det pœnas necesse est.* Videntur *autem hæc, quæ de* Mutio Romanorum *scribunt historiæ, haud multo ab ijs diuersa esse, quæ apud Græcos Agatarchides Samius libro secundo rerum* Persicarum, *&* Plutarchus *cap. 3.* Parall. *prodiderunt de Agesilao* Themistoclis *fratre, qui* Mardonium *pro* Xerxe *in* Persicis *castris, errore ductus interfecit: & deinde ad* Solis *aram, dextram, quæ cæde peccauerat, igni imposuit.*

Misericordia regis abstraheretur.] *Clementiæ & pietatis in hostem atrocißimum, memorabile exemplum.*

Quasi beneficium referens.] *Gratitudinis exemplum, dolo uelatum. Sed notandum est hoc*

loco, quosdam esse, qui contra Liuium, Dionysium, & Plinium nostrum (qui falsum de coniuratis sermonem fuisse scribunt) arte usum aliquanto maiore affirment, quasi Mutius mortem reformidans, ad Tribunal regis destitutus, ultrò fassus sit Porsenæ, se occulta quædam, si uita donaret, dicturum, quæ magnopere ad eius salutem pertinerent: & tum demum specioso mendacij genere hostis animum fregerit, ut de bello cum Romanis soluendo consilium iniret.

Similes.] *Eiusdem ætatis & generis, ac qui similiter pro salute patriæ aduersus omnia corporis & uitæ pericula, mortem uel oppetere sua sponte, uel te interficere animum induxerunt, accepta per iusiurandum fide. Huc autem pertinet Diogenis nobilißima responsio, qui adolescenti conquerenti, quòd à multis conturbaretur: Desine, inquit, & tu perturbationis indicia præ te ferre. Significãs, nulla re magis improbitatem lædentium finiri, quàm si qui læditur, dolorem ficta quadam ratione dißimulet: & tum illi qui incessunt hominem, ut illum discrucient, desinent, si uiderint illum nihil moueri. Extat apud Laertium in eius uita.*

Bellũ acceptis obsidib. deposuit.] *Dionys. scribit, primũ consultasse Porsenam, quo pacto insidias uitaret: & deinde legatos Romam misisse,*

ut ad pacem iniendam Tarquinium & filios exules reciperent. Si autem id non daretur, ut bona saltem illis redderent: postremò, ut agro decederent Hetruscis *circa flumen adempto.* Quod *unum, ut bello se soluerent* Romani, *à se impetrari promiserunt: obsidesq; datæ fidei testes,* Porsenæ, *priusquã de* Ianiculo *exercitum deduceret, dederunt.*

Mutia prata data.] *Militaris fortitudinis præmium amplißimum.* Vide *ea quæ in fine undecimi capitis de militaribus donis diximus.* De Mutijs *autem pratis transtyberinæ regionis, quæ fuerũt iuxta naualia transtyberina, ubi olim ludi piscatorij celebrabantur, uide* Blondum *lib. 6.* Romæ *triumph. &* Marlian.*lib.7.cap.8.*Tópog.

Statua quoque ei.] *Viris enim claris, & bene de republica meritis, mos fuit antiquis, statuas in templis, & alijs locis præclarioribus, quæ alijs ad uirtutem stimulum adderent, constituere.* Qua *de re* Plinius *libro 34. cap. 4. & lib. 33. cap. 12. lib. 34. cap. 5. & 6. &* Marlianus *libro 2. cap. 6. & 7.* Topographiæ. Eius *uerò statuæ, quæ* Mutio *apud* Curiam Hostiliam *collocata fuit, meminit* Cælius Rhodiginus *libro 18. cap. 12.*

Antiq.

DE

DE CLOELIA VIRGINE.

Caput XIII.

PORsena Clœliam uirginẽ nobilem inter obsides accepit: quæ deceptis custodibus, noctu castris eius egressa, equum quem sors dederat, arripuit, & Tyberim traiecit. A' Porsena per legatos repetita, reddita est. Cuius ille uirtutẽ admiratus, cum quibus optasset in patriam redire permisit. Illa uirgines, puerosq; elegit, quorum ætatem iniuriæ obnoxiam sciebat. Huic statua equestris in foro posita.

IN CAPVT XIII.

Quæ compendiosè hoc in capite de Clœlia nobilißima Romana narrantur, leges apud Liuium lib. 2. Dec. 1. Dionys. lib. 5. Plutarc. de Claris mulieribus cap. 14. & in uita Publicolæ, Flor. lib. 1. cap. 10. Oros. lib. 2. cap. 5. Eutrop. lib. 1. cap. 11. Valer. Max. lib. 3. cap. 2. Vergil. lib. 8. Aeneid. Et fluuium, &c. Syl. Italic. lib. 10. Nescia proh, &c. Claudian. de laudibus Serenæ uxoris Stiliconis, Boccat. de Claris mulierib. ca. 5. Othonẽ Phrisin. lib. 2. ca. 10. Sabel. lib. 7. Enn. 2. Rapsod. Verum hanc alij

Cœliam, Seneca ad Martiam, Cocliam uocant.

Inter obsides.] Captiuis enim omnibus receptis, & uiginti præterea obsidibus, decem uidelicet maribus adolescentibus, ac uirginibus totidem obsidionem soluisse Porsenam, historiæ tradunt: inter quas præcipui nominis fuere Clœlia & Valeria, Publicolæ consulis filia.

Deceptis custodibus.] Ferūt enim à custodibus impetrasse, quorum custodiæ traditæ erant uirgines obsides, ut liceret ire ad flumen, ut corpus lauarent: & ut tantisper oculos retro aspicientes amouerēt, donec depositis uestibus fluuiali aqua abluerentur. Quo facto, deceptis custodibus natando in ulteriorem ripam peruenerunt.

Equum arripuit.] Scribit de Claris mulieribus Plutarchus, sine equo omnes in ulteriorem fluminis ripā magno cum labore, auxilio tamen Clœliæ peruenisse: cuius uirtutem cum Porsena meritò admiratus esset, equum egregiè phalaris ornatum dono dedisse. Vnde plerique Romanorum historiographi, Clœliam equo uectam fluuium pernatasse scripsere.

Per legatos.] Regios oratores, de quorum potestate & iurisdictione Fenestella cap. 12. de magistrat. Rom. Alexand. ab Alex. lib. 6. cap. 3.

Repetita.] iure initæ pacis cum Romanis.

Reddita.] In seruanda enim fide à rege Hetru-

scorum,

ſcorum, uel quouis alio uinci turpißimum puta-bant. Romani *quippe, ut perpetuæ fidei custodes ſanctißimi uiderentur, non ſolum pacis fœdera in templo* Iouis Capitolini *columnis, aut æneis tabu-lis, ut perpetua monumenta extarent, inſculpſe-runt, & in æde* Iouis Piſtij *in ligneos clypeos ſcri-pta obtulerunt, ſed* Fidei *quoq; templa magnificis expenſis ædificarunt.* Qua *de re* Alexander *ab* A-*lexandro lib.5.cap.3.& lib.2.cap.22.et* Marlian. *libro 2.cap.5. & 12.* Plinius *libro 25.cap.10.*Cæ-*lius* Rhod.*lib.9.cap.22.*

Virtutem.] *Animi magnitudinem, & uirilem audaciam in muliebri corpore latitantem.*

Cum quibus.] *obſidibus intellige.*

In patriam redire permiſit.] Dato *equo, ut ſu-prà diximus, bellicoſißimo: quo doceret, uirtutem nullam eſſe ſine præmio.*

Illa uirgines elegit.] Et *hinc liquet uerißimũ illud eſſe, quod* Ariſtoteles *libro* Rhetoricorum *2. ſcriptum reliquit:*In *totum ea naturà ſeſe inuicem delectari, quæ generi ſint coniuncta, aut ſimilia: ut ſenem ſene, adoleſcentem adoleſcente, uirgi-nem uirgine.* Prima *enim familiaritatis conci-liatio ab ætatis æqualitate proficiſcitur.* Vide *pro uerbium,* Simile *gaudet ſimili,* Deus *ſimiles ubique coniungit, &c.*

Pueros.] *impuberes.* Eſt *enim pueritia ſemper*

amabilis, & quemadmodum ſpina quoq; innoxia eſt, atq; adeò ueſca etiam donec ætate dureſcat. Vide prouerb. Cum paruula eſt bona uidetur ſpina.

Quorum ætatem iniuriæ obnoxiam ſciebat.] Notandum quàm prudens fuerit Clœliæ conſiliū, quæ noluit iuuenes maturioris ætatis, aut quoſuis alios itineris comites, quàm uirgines et pueros ſibi eligere, quo eam ætatem potiſsimum ab hoſtium manu liberaret, quæ maximè opportuna iniuriæ eſſet, & ipſa ſimul in amiſſæ uirginitatis ſuſpicionem apud ſuos non incideret. Quandoquidem, ut Quintilianus alibi ait, non ſatis eſt abeſſe à turpitudinis crimine, niſi criminis quoq; ſuſpicionem effugias.

Statua equeſtris in foro poſita.] Statuam equeſtrem uirginis habitu, in uia quæ Sacra nuncupatur, qua ad forū itur, Clœliæ poſitā eſſe, legimus apud Dionyſium (qui ſuo tempore non amplius extitiſſe, ſed incendio circa ædes proximas exorto deletam eſſe ait) Plutarch. de Claris mulier. Plin. lib. 34. cap. 6. Senecam libro de Conſolatione ad Martiam, § 16. Marlian. libro 3. cap. 25. Petrum Marſum in Sylij Italici lib. 10. Milite non illo, &c.

Verùm Plutarchus ait, quoſdam fuiſſe, qui Valeriæ nomine hanc ſtatuam dicatam affirmarunt.

DE MORTE FABIAE GENTIS.
Caput XIIII.

ROmani, cum aduersum Veienteis bellarent, eos sibi hosteis familia Fabiorum priuato nomine deposcit: & profecti trecenti sex, duce Fabio consule, fuerunt. Cum sæpe uictores extitissent, apud Cremeram fluuium castra posuerunt. Veientes ad dolos conuersi, pecora ex aduerso in conspectu illorum † posuerunt, ad quæ progressi Fabij, in insidias delapsi, ad unum occisione perierunt. Dies quo id factum, inter nefastos relatus. Porta, qua profecti fuerãt, Scelerata est appellata. Vnus ex ea gente propter impuberẽ ætatem domi relictus, genus propagauit ad Q. Fabium Maximum, qui Hannibalem mora fregit, Cũctator ab obtrectatoribus dictus.

al. protulerunt

IN CAPVT XIIII.

De Fabiæ gentis bello aduersum Veientes suscepto, scribit Liuius lib. 2. dec. 1. Dionys. lib. 9. Florus lib. 1. cap. 12. Oros. lib. 2. cap. 5. Eutrop. libro 1.

cap.11.Gel.lib.17.cap.21.Plutarc.in uita Camilli, Ouid.lib.2.Fast.Idibus agrestis,&c.Seruius lib.6. Aeneid.Quo fessum,&c.Syl.Ital.lib.2.& 7. Volater.lib.16.cap.1.Vrban.com.

Veientes.] Qui sumptis armis Romanum agrum incursabant: & quum apertis uiribus non auderent, latrocinantium more per occasionem rem gerere incipiebant.De his Italiæ populis diximus suprà cap.4.

Fabiorum familia.] Fabiorum familiam nobilißimam ab Hercule, monstrorum domitore, originē duxisse,Festo & Iuuenali placet.Cuius familiæ uiros,quod primùm uenandi per fossas morem induxerint,à fodiendo Fodios dictos quidā prodiderunt,& deinde mutatis literis, & lapsa loquendi consuetudine Fabios appellatos. Alij uerò à leguminis specie cognomē hoc sibi uendicasse putarūt, eo quòd fabas uidelicet optimè seruerint, quod uerisimilius est.Sic enim & Cicerones à cicere, Lentuli à lente,& Pisones à pisa,apud Romanos agriculturæ semper studiosißimos,dicti & cognominati sunt.Qua de re multa Plin.lib.18.cap.3.Macrobius lib.1.cap. 6.Alexan. ab Alex.lib.1. cap.9. De Fabiorum autem familia Plin.lib.7.cap.41.& libro 22.cap.5.Volat.lib.16.ca.1.Syl.Ital.lib.6.circa finem,Stirpe genus,&c.Ouid.lib.1.Fastor.Nec gradus,&c.& Plut.in uita Fab.Max.

Priuato

Priuato nomine depoſcit.] *Scribit* Liuius,*Fabiam gentem ſenatum adijſſe, ibidemq́; petijſſe,ut* S. P. Q. R. *alia bella ſuſciperent obeunda,& Veientem hoſtem domeſticis opibus & priuato ſumptu,Fabijs ſuſtinendum concedant.*

Trecenti Fabij.] *inter omnes conſtat,306.Fabios aduerſus Veientes profectos eſſe, quod tamen recentioribus parum ueriſimile uidetur, cum paulo antè Romanæ legiones ægrè horum exercitum ſuſtinuerint.Veriora igitur uiſa ſunt ea quæ* Dionyſius *prodidit, quaternum milium hominum agmen ex amicis & clientibus à Fabia gente conflatum eſſe.*

Duce Fabio.] *Cæſonis conſulis ductu ad Cremeram itum,ait* Dionyſius.*Sed cum* Plinio *noſtro conſentit* Dionyſius,*qui ſcribit,*Marco Fabio*(qui ſuperiore anno conſul fuerat) duce bellum eſſe ſuſceptum.*

Sæpe uictores.] Collatis quippe ſignis aliquoties *aperto marte pugnatum eſt, & ſæpe* Fabij *ex pugna uictores euaſerant,ut copioſe apud* Liuium *&* Dionyſium *leges.*

Cremeram fluuium.] *Thuſciæ fluuium, qui* Dionyſio *teſte,haud procul* Veijs *diſtat,& quem* Volaterranus *libro 5. Geographiæ cap. 2. uicinum primæ portæ,& quinto ab* Vrbe *miliario eſſe ſcribit.*

Pecora

Pecora in conspectum protulerunt.] Vt Romanos prædã facientes longius à castris ducerent. Hoc Stratagema copiosius leges apud Liuium & Dionysium, ut suprà.

Ad unum perierunt.] Sed haud multi. non enim prius, ut Dionysius ait, hosti uincere contigit, quàm tertia pars Hetruscorum circa Fabios occubuerit.

Dies in quo id factum.] XV. scilicet Calend. Sextilis: qui duplici clade insignis apud Romanos fuit, quum eodem die apud Cremeram Fabij cæsi, & ad Alliam fœdè Romani à Gallis fusi fugatiq; sunt. Vnde Vitellio deinde Pontificatum amisit, quòd diem ad XV. Calend. Sextiles cæremonijs publicis sacram concilio edixisset. qua de re Alexander ab Alexandro lib. 4. cap. 20.

Nefastos.] Apud Romanos enim dierum quidam fausti & in agendis rebus fœlices, quidam atri & tristi omine infames habiti, quibus aliquid moliri, aut nouæ rei inceptare, euentus exitialis erat. In his exercitum cõscribere, legiones educere, manus cum hoste conserere, sponsalia inire, peregrè proficisci, aut quicquam publicæ uel priuatæ rei moliri, inceptu fœdum & exitiale æstimarunt. Obseruatumq; fuit, ut qui hostes bello lacessere, uel acies eo tempore committere tentarẽt, rem in non mediocre periculum & discrimen adducerent, ma-

gno

gno postea exitio consequuto. Praeterea in diebus fastis praetores omnia uerba sine piaculo proferre audebāt, in diebus uerò nefastis nequaquam. Qua de re uide M. Terentium Varronem, Plutarch. in Camillo, Macrob. lib. 1. ca. 16. Satur. Gel. lib. 5. ca. 17. Blond. lib. 2. Romae triumph. Alexan. ab Alex. ut suprà. Caelium lib. 14. cap. 9. Ouid. lib. 2. Fastor. Ille nefastus erit per quem tria uerba silētur, &c.

Porta qua profecti fuerant.] Carmentalem portā intellige, quae sub Capitolio à dextra, inter saxum Tarpeium & Tyberim, è regione aedis D. Catharinae, uersus circum Flaminium olim fuit, teste Marliano libro 1. cap. 4. & 3. Publio Victore in regione 8. Vrbis. Alexand. ab Alex. libro 1. cap. 2. Blond. lib. 1. Romae instaur. 20. & Ouid. lib. 2. Fastor. Carmenti portae, &c.

Scelerata est dicta.] Vt memoriam facinoris & rei dignitatem posteris relinquerent. Solebant enim Romani ijs locis, in quibus nefanda quaedam facinora committebantur, huius notae nomina imponere. Sic enim Cyprius pagus (à detestabili facinore Tulliae, quae super patris corpus carpentum egit) sceleratus dictus est. qua de re suprà cap. 7. Item sceleratus campus, iuxta Collinā portam, in quo Vestales incesti damnatae, uiuae defodi consuevere. Castra demum Drusi Claudij patris, scelerata dixere, eo quòd tristi fato in his sublatus sit. uide Alexan.

Alexan.ab Alex.lib.2.cap.6. Genialium dierum.

Vnus tantum domi relictus.] Ex tribus fratribus, Cæsone, Marco & Quinto, septem continuos gerentibus consulatus, relictum esse M. Fabio filium, Dionysius ait: & hunc quidem illum esse putauit, qui ex Fabiorum domo solus illustris domi relictus sit.

Vnus qui genus propagauit.] Addit Halicarnasseus, fabulosum uideri, quod cæteri Romanorum historiographi scribunt, quibus quoq; Plinius noster astipulatur, ex tam numerosa familia unũ tantum fuisse, qui domi filium impuberem reliquerit, cum uetus Romanorum lex uxores ducere coegerit: unde nimirum plures cùm pueros, tum in cunis adhuc iacentes, domi relictos, qui uelut uber seminarium genti alioqui interituræ fuerint, constabit. Sed dubiæ rei fides sit apud eos, qui talia tradiderunt. De lege autem Romanorum ex dogmate Platonis, qua cælibes pœnas luebant, & qui plures haberent liberos alijs præferebantur, lege Alexandrum ab Alex. lib.4.cap.8.

Propter ætatē impuberē domi relictus.] Qui de militari disciplina libros posteris reliquere, eos haud ferè quenq̃ minorē decē et septem annis, aut 46. maiorem, militiæ & tyrocinio ascribi uoluisse constat. Idq; à Seruio Tullio, uetere censione cautum fuisse primùm, quod æuo subsequente à Caio

Gracchо

Graccho lege sacrata sancitũ fuit. Cuius causa hæc fuit potißima, quod circa eam ætatem, aut suprà, uelut immaturos, aut præduros & effrenos, militiæ rudimentis minime idoneos putarunt. Ideò uetus constitutum erat, iuuenes nisi post pubertatem, & primo flore ætatis, militari sacramento et muneri adigere. Qua de re Blondus lib. 6. Rom. triumph. Alexan. ab Alex. lib. 1. cap. 20. meminit Cæl. Rhod. lib. 11. cap. 1.

Q. Fabiũ Maximum.] Dictatorem, qui ut Verrucosus à uerruca in labris, et Ouicula à clementia morum, ita quoq; à uirtute Maximus cognominatus est: cuius uita luculentißimè descripta extat apud Plutarchum, & compendiosè infrà cap. 43.

Hannibalem.] Pœnorũ ducem fortißimũ, quem nulla (ut Liuius ait) uicerat uis mali, nulla aduersitas hactenus. de cuius gestis copiosè Plutarchus, Liuius, & alij: compendiosè uerò Plinius infrà cap. 42. & Volat. lib. 13. cap. 3. Vrb. com.

Mora fregit, unde Cunctator dictus.] Hanc historiã copiosißimè descriptã leges apud Liuiũ lib. 23. & lib. 2. Dec. 3. Plut. in eius uita, in Hannibale, et § 2. Roman. apoph. Flor. lib. 2. cap. 7. Syl. Ital. li. 6. Cunctando Fabius, &c. et lib. 7. Sistere cunctando, etc. Verg. lib. 6. ex Ennio, Vnus qui nobis, &c. Ouid. lib. 2. Fast. Nã puer, &c. Plin. lib. 22. cap. 5. Front. lib. 1. cap 1. § 8. & lib. 1. cap. 3. § 2

Ab

Ab obtrectatoribus.] *Semper enim, iuxta tritum illud prouerbium,* Fœlicitatis ac uirtutis comes est inuidia: *de cuius natura & proprietate doctißimè* Cælius Rhodiginus *lib. 20.cap.30.*

DE LVCIO VALERIO PVBLICOLA.

Caput XV.

LVcius Valerius Volesi filius, primùm de Veientibus, iterum de Sabinis, tertiò de utrisque gẽtibus triumphauit. Hic, quia in locũ Bruti collegæ consulem nullum subrogauerat, & domum in Velia tutissimo loco habebat, in suspicionem regni affectati uenit. Quo cognito, apud populum questus, quod de se tale aliquid timuissent, immisit qui domum suam diruerent. Secures etiam fascibus dempsit, eosque in populi concione submisit. Legẽ de prouocatione à magistratibus ad populum tulit, hinc Publicola dictus. Cũ diem obijsset, publicè sepultus, & anno matronarum luctu honoratus est.

IN

IN CAPVT XV.

Lucius Valerius.] Publium Valerium, non Lucium, uocant Liuius, Dionys. Plutarch. Valer. & alij. de cuius gestis Liuius lib. 2. dec. 1. Plutarch. in eius uita, Dionys. lib. 9. Flor. lib. 1. cap. 9. Valer. Max. lib. 1. cap. 8. § 6. lib. 4. cap. 1. § 1. & lib. 4. cap. 4. § 1. Augustin. lib. 2. cap. 17. Ciuitat. Eutrop. lib. 1. cap. 11. Fenestell. cap. 7. de Rom. magistrat. Platina lib. 1. de Optimo ciue, Pontanus lib. 5. cap. 1. de Prudentia, Fulgosus lib. 9. cap. 3. § 2. Sabell. lib. 7. Enn. 2. rapso. Volaterr. lib. 20. cap. 2. Vrbanor. comm. & alij.

Volesi filius.] Plutarchus eius progenitorem quoq; Valerium uocat, quem authorem fuisse ait, ut Romani ac Sabini, cum antea hostes fuissent, in unum populum coirent.

Veientibus.] Italiæ populis, de quibus Plin. lib. 3. cap. 5. & li. 2. cap. 98. Vide ea quæ annotauimus in cap. 4. suprà. Veientes autem uicit, relictis non multo paucioribus quàm quinq; hominum millibus, qui etiam à Romanis capti sunt, pridie Calend. Martias, ab Vrbe condita 245. Olymp. 68.

De Sabinis.] Italiæ populis, de quibus suprà cap. 2. & 6. Duobus autem prælijs cũ his pugnatum est, quorum secundo Romanorum nemo cecidit, tredecim millibus hostium captis.

Triumphauit.] *Erat triumphus ingens honorum cumulus, quem multi duxerunt maximum uitæ bonum, quo nisi magnis conatibus deuictis perduellibus, uictores bello duces non honestabãt: adeò ut, nisi pro aucto imperio, proq; recuperatis his, quæ bello amissa erãt, triũphus haud cuiquã decernerẽtur. Quin etiã nisi suo ductu & auspicio, ac in sua, nõ aliena prouincia, eaq; pacata, & nullo manente bello, imperatores profligassent, hostes & uicissent, triumphare nemini licuit. De triumphantium autem dignitate, apparatu & cæremonijs, copiosè.* Plin. *libro* 5. *cap.* 5. Plutarch. in Romulo, & *cap.* 79. & 80. Proble. *Liuius lib.* 3. Dec. 1. & *lib.* 1. Dec. 4. Cic. in 7. Verrinarum, & in Pisonem. Blond. *libro* 10. Romæ triũph. Alexand. ab Alexan. *lib.* 1. *cap.* 22. *et lib.* 6. *cap.* 6. *Notandum est autem, Valerium Publicolam primùm ex consulibus triumphasse, & curru quadrijugo inuectum esse.*

In locum Tricipitini collegæ.] *Ita enim ubiq;, ac in omnibus Plinij nostri exẽplaribus quantũuis uetustißimis, legimus. cum tamen ex Liuio non Tricipitini, sed Bruti legendum sit: cuius hæc sunt uerba libro* 2. Dec. 1. *Regnum eum affectare fama ferebat, quia non collegam subrogauerat in locum Bruti. Cui astipulatur Valerius Max. libro* 4. *cap.* 4. *his uerbis: Consulatus initium*

initium Valerius Publicola cum Iunio Bruto auspicatus est, idemq; postea tres consulatus gessit, &c. Verùm hoc dubium inde natum esse reor, quòd primo post exactos reges anno quinq; consules electi sint. Primùm Brutus & Tarquinius Collatinus, Bruto suffectus est Spu. Lucretius Tricipitinus, cui mox M. Horatius Puluillus. Collatino uero expulso suffectus est P. Valerius Publicola, cuius rei & Liuius & Dionysius testes sunt locupletissimi.

Nullum subrogauerat.] *Exactis enim regibus duos semper consules creari uoluerũt, penes quos summa totius imperij esse deberet, quorum uno morte sublato, statim alius, qui Reipub. salutem promoueret, subrogaretur: ne sub unius imperio in posterũ esse dicerentur. qua de re alibi suprà diximus plura.*

Velia.] Eam montis Palatini partem, *quæ forum Romanum aspicit, quæq; in ortum æstiuum spectat, Veliam uocabant, ubi superioribus annis Mariæ nouæ templum sacratum est. Dictaq; Velia, quòd olim ante ouium tonsuram inuentam pastores eodem in loco lanam uellere consueuerint. Vide Pompon. Læt. § 17. Marlianum lib. 3. cap. 6. antiquit. urbis. & P. Victorem in region. urbis decima.*

Tutissimo loco.] *Erat quippe is locus, Plutarcho*

referente, difficili accessu, atq; arduo, ut eo descendente, ipse quoq; aspectus pompæ magnificus ex loco edito apparens, regiam dignitatē & fastum præ se ferret. Vocat autem eius domum Vitelliam.

In suspicionē regni affectati.] Hinc disces, nullam fidem esse tam spectatam, quæ non suspicioni & infamiæ subiecta sit.

Apud populum.] Cuius orationem lege apud Liuium & Sabellicum, ut suprà.

Immisit qui domum diruerent.] Vt effugeret omnis mali suspicionem. Scribit autem Iouianus, nocturno tempore, non exigua fabrorum operariorumq; conducta manu, domum omnem ab imis fundamentis tanta festinatione diruisse, ut gliscente iam die ædificium uniuersum solo æquatum uideretur. Plutarchus, cum amicis postmodum habitasse ait, donec populus ipse ædificandæ domus locum dederit: quo accepto, plebis sumptibus aliam domum magnificentißime ædificauit eo in loco, ubi fanum erat, in uico publico. Notabis autem hoc loco, falsæ suspicionis emendatione mirum in modum bonorum uirorum adaugeri existimationem & dignitatem.

Secures fascibus dempsit.] Vt cùm seipsum, tum consulatum quoq;, ex formidoloso placidum & gratū multitudini redderet, et ea moderatione ab inuidia & offensione populi liberaret. Duodecim

decim autem numero lictores erant, qui cum fasci bus uirgarũ, securim cuiq; consulum præferebãt, ad terrorem subditorũ. Lictorum enim munus erat, iussu consulis delinquentes uincire, nudatosq; uirgis cædere: & si crimen exposceret, securi percutere. Sed Brutus noster, secures à fascibus separauit, & cum solis fascibus ad populum concionatus est. & inde mansit in posterum, ut cum duodecim fascibus, totidẽ lictores sine securibus Consuli præirent. Illis autem magistratibus secures cum fascibus in urbe præferebantur, qui sine prouocatione summam imperij tenebant, utpote Dictatori, et Decemuiris, à quibus ad maius tribunal prouocatio non erat. qua de re lege Fenestellam cap. 7. de magistrat. Romanorũ, & Alexan. ab Alex. lib. 1. cap. 27.

Legem de prouocatione à magistratu.] Tres leges Plutarch. à Publicola latas numerat, quibus plurimum roboris plebi adiecisse ait. quarum prima permisit, reis dicta iam sententia, à Consulibus prouocationem ad populum: Secunda statuit capitale esse, si quis iniussu populi magistratũ adiret: Tertia demum, qua pauperibus prospexit, & ciuium uectigalia sustulit.

Vnde Publicola.] Quasi plebem colens, uel ut Plutarchus interpretatur, publica edens: quod nomen in posterum, dimisso priore (antea enim

mius dictator dictus, apud Regilli lacum cũ hostib. conflixit. Vbi cùm uictoria nutaret, magister equitum equis frenos detrahi iußit, ut irreuocabili impetu ferrentur: ubi & aciem Latinorum † fuderunt, & castra coeperunt. Sed inter eos duo iuuenes candidis equis insigni uirtute apparuerunt, quos dictator quæsitos, ut dignis muneribus honoraret, nõ reperit. Castorem & Pollucem ratus, †communi titulo dedicauit.

al. fregerunt

al. ædem communi

IN CAPVT XVI.

Tarquinius.] Sext. Tarquinius, de quo suprà 9.

Eiectus.] Profligatus cum uxore & liberis, ob stuprum Lucretiæ. De cuius eiectione dictum est suprà in fine capitis 8. & 9.

Maniliũ Tusculanũ.] Quẽ Dionysius nũc Maniliũ, nunc Octauiũ Tusculanum uocat. Verũ Volaterranus lib. 17. Vrbanorũ cõmentariorũ, Manlios omnes ab Octauio illo Manlio fluxisse asserit.

Tusculanum.] Tusculanorum ducem bellicosißimum, quem ab Vlysse & Circe ortum esse, apud Liuium legimus.

Generũ suum.] Tusculanũ illum non generũ,

manos olim, & quare fieri consueuerint, copiosissime leges apud Liuium ut suprà, Dionysiũ in fine lib. 5. Fenestell. cap. 8. & Pompon. Læt. cap. 16. de Rom. Magist. Blond. lib. 3. Rom. triump. Alexand. ab Alexan. lib. 1. cap. 6. & lib. 4. cap. 23. meminit Cæl. lib. 12. cap. 17. antiq lection.

Dictus.] Titum Largium primum dictatorem creatũ, apud Liuiũ legimus: cui mox Posthumius noster, qui prius consul fuerat, successit. Cuius dictaturæ meminit Orosius *lib. 2. cap. 5. &* Eutrop. *lib. 1. cap. 11. &* Fenestella, *ut suprà.*

Regillum lacum.] Qui est in agro Tusculano, & Algidæ *syluæ ingressu, de quo etiam* Plinius *lib. 33. cap. 3. Sabell. lib. 9.* Enn. 2. *Volaterranus lib. 6. cap. 1. Geographiæ.*

Magister equitum.] Florus *Cossum,* Liuius & Dionysius *Titum* Eubutium, Fenestella *cap. 9. &* Pomponius *16. Spurium Caßium uocant. Erat autem magister equitum, uelut magister consiliorum* Dictatoris, *atque in ipsius præscriptum parêre oportebat, ita ut si quãdo abesse contingeret, eius uices gerere, & munia obire posset. Quales igitur Tribuni clerum apud reges, tales ferè apud* Dictatores *magistri equitum erant: & quemadmodum* Dictator *summum habuit ius in populum, ita in milites quoque magister equitum. Vide ea de re* Fenestellam, *Pomponium Læ-*

k 5 tum,

tum, & Alexandrum ab Alexandro ut suprà.

Inter eos.] in media Romanorum acie.

Duo iuuenes candidis equis.] Apud Frontinum lib. 2. ubi docet quemadmodum sit incitandus exercitus ad prælium, legimus Aulum Posthumium oblata specie duorum in equis iuuenum, animos suorum erexisse, Pollucem & Castorē adesse dicens, ac sic prælium restituisse. Quo discendum est, præsentibus Dijs, ne gētiles quidem in summo uitæ periculo desperasse.

Candidis equis.] Fingunt Poetæ, Neptunum deum marinum, sanctißimo Castoris & Pollucis fraterno amore commotum, equos hos, quibus uisi sunt sæpißimè, dono dedisse. qua de re Higinus lib. 2. cap. 12.

Insigni uirtute.] Pro Romanis aduersus Latinos, cæterosq; cōfœderatos fortißimè dimicātes.

Dictator.] Aulus Posthumius.

Vt dignis muneribus honoraret.] Honor enim præmium est uirtutis. Arist. lib. 1. Ethicorum.

Castorem & Pollucem.] Geminos fratres, & Iouis ex Læda filios. de quibus Plinius lib. 7. cap. 22. & lib. 2. & cap. 37. Lact. lib. 2. cap. 8. Valer. Max. lib. 1. cap. 8. § 1. Iulius Higinus fab. 14. & lib. 2. cap. 22. Signorum cœlestium, Arat. in Phænomenis Fulgent. lib. 2. Mythol. cap. 16. Ouid. lib. 5. Fast. At mihi pande precor, &c. Verg. lib.

6. Ae-

6. Aeneid. Si fratrem pollux, &c. Seruius in 2. Aeneid. ubi hunc declarat uersum, Tyndarida, &c. Boccatius in genealogia deorum. & alij.

Communi titulo.] Geminis fratribus, non sine iudicio, unum & cõmune ambobus templum dicatum est, quum omnium fratrum inter se amantißimos fuisse, neq; de principatu unquam cõtendisse, imò semper communi consilio omnia consilia geßisse, constet: quorum uno defuncto, dimidium uitæ ab alio, ut Homerus ait, accepit, ita quidem ut alternatim uiuerent, ut est apud Higinum libro de Signis cœlestibus 2. & Verg. ut suprà, Si fratrem Pollux alterna morte redemit, &c. Stephanum Nigr. de fraterna beneuolentia.

Dedicauit.] Inserendum est, templum, uel ædem: in multis enim exemplaribus deest. Castoris autem et Pollucis templum in foro Romano, ante Rostra, apud Faustinæ templũ, ac prope Iuturnæ fontem olim fuisse, nemini dubium est: quod dedicauit uel Posthumius noster, uel eius filius duumuir, ubi Idibus Quintilibus (quo die prosperè cõtra Latinos est pugnatum) publicè iam inde quotannis sacrificatum est. Quo sacro perpetrato, transuectio equitum de more sequebatur, ut equites olearum ramis coronati, purpureisq; subtegminis punicei togis amicti, à templo Martis, quod extra pomerium fuit, digreßi, per forum

ante

ante ciuitatis ora multo fauore & lætitia præteruehebantur. Hanc aũt Geminorum ædem, L. Metellus deinde ex Dalmaticis manubijs restaurauit, Cæcilius Metellus statuis & columnis nobiliq; pictura exornauit, & Floræ simulachrum preciosissimũ in eam posuit. Cuius templi gradus deinde auulsit, teste Cicerone, Clodius. De hoc tẽplo lege Plin. lib. 34. cap. 6. Pomp. Læt. § 100. Rom. antiquit. Marl. lib. 3. cap. 9. Topograp. P. Vict. region. 8. urbis, qui tamen Castoris quoq; aliud nimirum templum in regionem urbis undecimam posuit. Sabell. lib. 8. Enn. 2. & lib. 1. Enn. 3. rapsod. Cæl. Rhod lib. 10. cap. 5.

Illud quoque in fine huius capitis notandum duximus, Castorem & Pollucem semper pro partibus Romanorum stetisse, ut qui albis insidentes equis P. Vatieno nocte uenienti, obuiam quoque facti sunt, nunciantes eo die regem Persen uictum atq; captum: quod paucis pòst diebus literæ Pauli uerum fuisse docuerunt. Cuius rei meminit Plinius lib. 7. cap. 22. Lactant. lib. Diuinarum institutionum 2. cap. 8. Plut. in uita Pauli Aemilij.

DE L. QVINTIO CINCINNATO. Cap. XVII.

LVcius Quintius Cincinnatus, filium Cesonẽ petulantissimum abdi-

abdicauit: qui & à censoribus notatus, ad Volscos & Sabinos cõfugit, qui duce Cœlio Graccho bellum aduersum Romanos gerebant, & Q. Minutiũ consulem in Algido monte obsidebant. Quintius dictator dictus, ad quẽ missi legati, nudũ eum arantẽ trans Tyberim offenderunt: qui insignibus sumptis, cõsulem obsidione liberauit. Quare à Minutio, & eius exercitu, obsidionali corona donatus est. Vicit hosteis. Ducẽ eorum in deditionem accepit, & in triumphi die ante currũ egit. Sextodecimo die dictaturã, quam acceperat, deposuit: & ad agriculturã reuersus, iterũ post 20. annos Dictator dictus, Spurium Meliũ regnũ affectantem, à Seruilio Hala magistro equitũ occidi iussit. Domũ eius solo æquauit. Vnde locus ille Aequimeliũ dictus.

IN CAPVT XVII.

Lucius Quintius.] *Notandum à capitis principio, ob duplex Cincinnati prænomẽ, ad diluendam*

dam turpitudinis & dedeco is notar. (*cum alter Luciorum cædis, alter uerò latrocinij damnatus esset*) *aliquãdo* Romæ *Lucij prænomẽ esse deuitatum. qua de re* Alexand *ab* Alex. *lib*.5. *cap*.5.

Cincinnatus.] *Apparet nomen à prolixis & intortis capillis natum esse, à* [illegible] *olei specie, ut quibusdam uidetur.* Eos *autem duntaxat capillos significat, qui ita intorti sunt, ut oleo perfusi madescant. ut testis est* Varro. *unde Cicero in* L. Pisonem, Erant *illi cõpici capilli & madentes cinnorum fimbriæ, &c.* Vide *quoq;* Alex. *ab* Alex. *lib*. 2. *cap*. 9. *Huius capitis autẽ historias omnes uide apud* Liu. *lib*. 3. Dec. 1. Dionys. *lib*. 10. Val. Max. *lib*. 4. *cap*. 4. § 7. Flor. *lib*. 1. *cap*. 11. August. *lib*. 5. *cap*. 18. Ciuit. Oros. *lib*. 2 *cap*. 12. Eutrop. *lib*. 1. *cap*. 11. Plin. *lib*. 18. *cap*. 3. Cic. *de finib*. Sabell. *lib*. 3. Enn. 3. Rapsod. *et lib*. 10. *cap*. 1. § 4. Exem *plor. ethnic.* Petrarch. *cap*. 7. Epitomes, *et alios*.

Cæsonem.) *Cæsones appellabant ueteres, qui cæsa matris utero in lucem prodijssent, sicuti Cæsares.* Vide *Solinum capite* 4. *Alexandrum lib*. 1. *cap*. 2. & 9.

Petulantißimum.) *Vt qui non tantum libertati obstabat, uerùm etiam omnes Tarquinios, superbia et fastu lõgè superabat hoc enim duce sæpe* Tribuni *pulsi foro: alij, quibus obuius fuisset, partim discerptis uestibus seminudi domũ mißi,*

seruiliter

seruiliter alij tractati, alij multis uulneribus confoßi, &c. Quem suis coloribus depictum apud Dionysium & Liuium uidebis.

Abdicauit.) *Abdicare filiũ dicitur, qui uiuens adhuc filium omnibus bonis priuat, & quasi ex tota familia & prosapia, ut ignotum, excludit: ut legimus apud Vallam lib. 5. Elegantiar. cap. 104. quod tamen Cincinnatum nequaquam fecisse, apud alios legimus. Liuius quippe & Dionysius apertißimè scribunt, patrem Cæsonis ter consulem, filij accusati culpam coram iudicibus extenuasse, & orasse si quid in quempiam filius iuueniliter deliquisset, eam sibi offensam cõdonarent, ne se iam senio confectum suauißimi filij præsidio spoliarent. Addunt præterea, patrem maximam census sui partem uendidisse, & uadibus pro filio (qui iam ad Tuscos exulatum confugerat) satisfecisse. quibus si fides adhibenda est, filium non abdicasse, imò pecunia aliqua ex parte redemisse, certò constabit. Est igitur non seueritatis, sed potius paterni amoris exemplum.*

A` censoribus.) *morũ magistris. Censura enim, ut apud Plutar. in P. Aemilio legimus, maximæ omniũ magistratuũ reuerẽtiæ erat, plurimæq; potestatis, tum in alijs rebus, tum maximè ad morũ emendationẽ. E` senatu quippe mouere indignos poterãt Cẽsores: equitibus auferre equos, notare*

infamia, censum agere, lustrum condere. de quorum authoritate, dignitate & officio, leges Liuium *lib.* 4. *ab Vrbe condita,* Fenestellam *cap.* 8. & Pomponium Lætum *cap.* 22. *de Romanorum Magist.* Varronē *lib.* 2. *agricul.* Cicer. *lib* 2. & 3. *de* Legib. *à princip.* Plut. *in* Paulo Aemil. & Problem. Ascon. Pedianum *actione prima in* Verrem, Gellium *lib.* 7. *cap.* 22. & *lib.* 4. *cap.* 12 & 20. Pomp. Iurisconsul. *tit.* 2. *lib.* 1. *ff.* Blond. *lib.* 3. *de* Rom. *triump.* Budæum *in* Annot. *in* Pandect.

A' Censoribus.] *Primò à* M. Volscio Fictore, *qui ante aliquot annos tribunus plebis fuerat. Deinde uerò ab* Aulo *quoque* Virginio, *à quo etiam accusatus est* Cæso, *teste* Patauino.

Notatus.] *castigatus, emendatus. Sic etiam* Cicero *in* Officijs, *animaduersiones* Censorum *notationem uocat.*

Volscos.] *Latij uel* Campaniæ *populos, & non solum atrocissimos, sed perpetuos ferè* Romanorum *hostes: quos* Tarquinius Superbus *ante omnes prouocauit, ablata per uim* Suessa Pometia: *quorum bellū* 200 *post eum annis durauit, teste diuersis in locis* Liuio. *Sed de his lege* Stabonē, Plin. *lib.* 3. *cap.* 5. Melam *cap.* 4. Solin. *cap.* 8. Volaterr. *lib.* 6. *cap.* 1. & *lib.* 38. *cap.* 8. Vrban. com.

Sabinos.] *De quibus diximus suprà cap.* 2. & 15. *item cap.* 8. & 6.

Duce

Duce Cælio Graccho.] Liuius Cluilium Gracchum appellat, Dionysius autem Equos & Volscos, Cæsonem Quintium damnatum & exulem à plebi ducem & imperatorem belli electum autumat, non Gracchum. Est autem ultionis & impietatis in patriam exemplum.

Minut. cons.] Qui deinde præter imperium Dictatoris, pugnans pro consule, legatus apud exercitum relictus est. ut ex Liuio quoq; annotat Volaterranus lib. 17. cap. 1. urbano com.

Algido monte.] Qui duodecim passuum millibus ab urbe distat & à quo sylua quoque monti subiacens, in cuius ingressu Regillus lacus erat, Algida dicta est, in cuius cacumine Algidum quoque oppidum ex aëris algore dictum fuisse olim, constat: quod nunc Roca Papæ ex ueteris situ descriptionis existimatur. Cuius rei testis est Volaterranus, lib. 6. cap. 1. Geograp. meminit quoq; Eutrop. ubi suprà.

Dictator dictus.] à Plancio scilicet Consule; sed Senatus populiq; Romani unanimi (ut ait Liuius) consensu.

Nudum arantem.] Scribit enim Dionysius Cincinnatum, damnato iam filio, omnia uendidisse, ac sibi tantum predium parasse trans Tyberim, in quo paucis cōtentus seruis, rusticā uitam egit, & præ mœrore & paupertate nec urbem

uidit, nec amicos salutauit, neq; ullius alterius lætitiæ partem sibi prorsus aliquam concesßit.

Misßi legati.] *Viatores propriè uocabant, qui quoties Senatus cogendus esset, ex agris senatores aduocarent, cōtumacesq; citarent & arriperent: quippe cū priscis temporibus proceres ciuitatis morarentur in agris, si quando consiliū publicum cogendum erat, à uillis accersebātur in senatum. ex quo, qui eos uocabant, propriè uiatores dicti sunt: qua de re lege Ciceronē de Senect. ubi disputat, senectutem miseram non esse, quòd priuet uoluptatibus, & Alexand. ab Alex. lib. 1. cap. 27.*

Arantem.] *Tritum enim apud ueteris agriculturæ studiosos prouerbium erat, Omnium optimum esse fimum qui ex frequenti uestigio domini (non seruorū) in agrum cadit. & sicuti equum, ita quoque agrum impinguare domini oculum. & hinc non iniuria agrum male colere, fuit censoria nota: & castigatio item censoria, minus arare quàm uertere.*

Insignibus sumptis.] *Equis (ut apud Dionysium est) faleris ornatis, cum fascibus quatuor & uiginti, & securibus, quibus antea ornabatur regium imperium. Hac de re Fenestella cap. 8. & Pompon. Læt. cap. 19. Rom. Magistrat. Blond. lib. 3. Rom. triump. Alexand. ab. Alex. lib. 1. cap. 6. & lib. 4. cap. 32. Sed notādum hoc loco, Dionysium*

nysium loco à capitis principio citato, non ad dictaturam, sed cõsulatum, à legatis ex agro uocatum, memoriæ prodidisse, & simili deinde modo (ut eodem libro, sed longe pòst scribit) ad dictaturam petitum ex eodem agro esse. Sed quocunque tempore, quamcunque etiam ad dignitatem inuitus uocatus sit, satis liquet ea tempestate uirtutem hominibus ornamento fuisse, non diuitias: nec eo tempore paupertatem cuiquam fuisse dedecori, nisi huic qui eam fortiter ferre non posset. Sed nunc, ut Naso lib. Amorum 3. canit.

Curia pauperibus clausa est, dat census honores,
Inde grauis iudex, inde seuerus eques.

Obsidionali corona.] Antiquitus nullæ nisi deo coronæ dabantur, & primus omnium liber pater ex hedera habuit: & postea sacrificantes cœpere etiã uictimas coronare, & in sacris certaminibus coronæ dabantur tanquam patriæ. Sed breui pòst mos inoleuit, coronas uarijs de causis hominibus dari. præcipua tamen obsidionalis, tanq̃ uirtutis præferẽs spectatissimũ insigne, æstimatione immẽsa longè præcellere credita est: hæc enim ex illo fiebat gramine, ubi ciues obsidiõe essent liberati, qua nulla nobilior publica militari lege definitur. Cæteras quippe Imperat. aut duces singulis militibus tradũt: graminea uerò, uelut multo maximũ decus præferẽs, nisi ab uniuerso exercitu

seruatori suo concedi minime poterat. Et *hac quidem corona Q. Cincinnatus noster primus omnium donatus fertur.* Vide *de coronis militaribus diuersis* Plin.*lib.16. cap.5. lib.33.cap.2.lib. 21. cap.2.*Gell.*lib.5.cap.6.*Blond.*lib.6.* Rom. tri. Alex.*ab* Alex *lib.4.cap.18.*Vol.*lib.26.philo.*

Aurea.]*Corona aurea obsidionali unius libræ pondo donatum esse,*Liuius *ait:triumphalis enim corona aurea ad honorem triumphi erat.Sic quoque* Marcum Valerium Consulem *præter gramineam, etiam auream coronam à* P. Decio *eiusq; militibus accepisse legimus.*

Ducem eorum.] Cœlium Gracchum,*uel ut* Liuius Cluilium Gracchum.

Ante currum egit.] *In triumpho enim semper, tum reges & captiui nobiles, etsi qui bello capti insignes essent, præcipuè hostiũ duces, contra quos indictum fuisset bellum,ex tanto fastigio deiecti, in uehiculis aut ferculis, cæteri uerò cateruatim uincti catenis in seruitij notam, præcedebant.*Vnde & Pompeium Magnum, *regum filios & obsides numero quatuor & triginta supra trecentos prætulisse legimus: inter quos* Tigranem,Aristobolum,& Mithridatis *filios quinque,filias uerò duas fuisse constat.*Vide Blondum *lib.10.*Rom.*triumphant.* Alexand. *ab* Alexand. *lib.6.cap.6.& quæ supra diximus cap.17.*

Dicta-

Dictaturam deposuit.] Quam sex menses retinere iuxta legem potuisset. Deposuit autem omnem dignitatem, ut inanis gloriæ studium à bonis uiris alienum esse doceret. Sed quo magis gloriam inanem fugit Cincinnatus, eo magis gloriam & laudē sibi peperit. iuxta Diogenis dicterium qui dum interrogaretur qua uia quis gloriā consequi posset? Gloriam si contempserit, respondit. Hanc autem huius historiæ partem leges quoque apud Blondum libro 8. Romæ triumphantis Alexander ab Alexandro lib. 3. cap. 11. Sabell. lib. 10. cap. 1. exemplor.

Ad agriculturam reuersus.] Vt quatuor agri iugera ipse coleret, quæ Prata Quintia in campo Vaticano cognominata sunt, teste Liuio lib. 3 Plin. lib. 33. cap. 1. hodie uerò Aprata nominantur ut legimus apud Marlian. lib. 7. cap. 12. Est autem Romanæ frugalitatis exemplum, quos Romulus ab initio statim sui imperij ad frugaliter uiuendum inuitauit, cum duas tantum ciuibus suis partes lege concessit, belligerandi scilicet & agriculturæ. his enim rebus homines multo fieri temperatiores, & uenereis rebus alijsq; cupiditatibus minus obnoxios putabat. De Agriculturæ dignitate & utilitate autem leges Ciceronem lib. 1. Officiorum & de Senectute, Plin. lib. 18. cap. 3. & 5. & 26. Verg. lib. 2. Georg.

& in eundem Landini *præfationem*, Horat. *lib*. 1.Epod.2. Martial.*lib*. 5.Politianum *in* Rustico, Elisij Calentij *poema*,Blōd.*lib*.8.Rom.triumph. Alexand.*ab* Alexand.*lib*.3. *cap*. 11. *omnium autem copiosissimè*, Marcum Varron. *&* Catonem, *de* Re Rustica *qui scripserunt*.

Spurium Melium.] *Equestris ordinis hominem prædiuitem, de cuius gestis* Liuius *lib*. 4. *ab Vrbe condita*, Florus *lib*. 1.*cap*.26. *Sabell.lib*.5. *Enn*. 3. Volaterranus *lib*. 17. *Vrban. comment. Sabell.lib*.8.*cap*.9.

Regnum *affectantem*.] Rem *specie quidem utilem, sed libertati omnino inimicam, aggressum esse, historiæ tradunt*. Emerat *quippe in summa frumentorum omnium apud* Romanos *penuria, per clientes & hospites, penè quicquid frumenti ex* Hetruria *fuerat aduectum, emptumq; multitudini gratis distribuerat: qua largitione ita fauorem populi sibi conciliauit, ut quacunque incederet uia, frequens circa illum multitudo ciuium conspiceretur, futurum consulatum haud dubio consensu repromittens*.

Occidi *iussit*.] *antequam moueretur seditio, quæ iam præ foribus erat*. In Melij *enim domo habita erant consilia, collocata uis armorū ingens. quidam ex* Tribunis *corrupti, qui ad prodendam libertatem cum* Melio *conspirarant*.Est *autem*

tem libidinis imperandi, pœnarumq; male affectati regni exemplum.

Seruilio Hala.] C. Seruilium Halam à fœdo oris halitu cognominatum esse, Alexand. ab Alexand. lib. 1. cap. 9. scribit.

Domum solo æquauit.] Vt tantorum facinorum, supplicijq; insignis memoria & sempiterna foret. Plerunq; enim Romani eorum bona, quos pro criminibus oppidò grauibus supplicio affecerant, publicarunt, ædesq; solo æquarunt, mutatis locorum nominibus. sic cum Marcellus quidā nequam & criminosus, propter latrocinia & sordes uitæ, capitali supplicio pœnas dedisset, bonis publicatis, ex ipsius domo macellum ædificarunt. Meminimus præterea Vitruuij Vaccij, cuius in palatio domus, ob regnum affectatum publicata & euersa: cui Vaccij prata, loco nomen dederunt. Nec minus M. Flacci turbulenti ciuis, qui cum C. Graccho seditionem molitus est, cuius domum Q. Catulus de manubijs Cymbricis porticum fecit, quæ Catuli appellatur. Vide Alexand. ab Alexand. lib. 3. cap. 13.

Aequimelium.] quòd æquata ibi Melij domus esset. Fuit autem Aequimelium inter Velabrum et Capitolium ad tabernas Laneas, ut est apud Valerium Maximum lib. 6. cap. 3. § 3. Marlianum lib. 4. cap. 9. & lib. 3. cap. 14. Axand.

ab Alexandro ut suprà, Liuium lib. 4. ab urbe condita & de bello Macedonico Varronem lib. 4. de lingua latine.

DE MENENIO AGRIPPA. *Cap. XVIII.*

MEnenius Agrippa cognomento Lanatus, dux electus, aduersum Sabinos, de ijs triũphauit: et cum populus à patribus secessisset, quòd tributum, & militiam toleraret, nec reuocari posset, Agrippa apud eum, olim inquit, humani artus cum uentrem ociosum cernerent, ab eo discordarunt & suum illi ministerium negauerunt; Cum eo pacto & ipsi deficerent, intellexerunt uentrem, acceptos cibos per omnia mẽbra digerere, & cum eo in gratiam redierunt. Sic Senatus, & populus quasi unum corpus discordia pereunt, concordia ualent. Hac fabula populus regressus est.* Creauit tamen tribunos plebis qui libertatem suã aduersum nobilitatis superbiam defende-

defenderēt. Menenius autem tanta paupertate deceſſit, ut cum populus collatis quadrantibus ſepeliret, locū ſepulchro Senatus publicè daret.

IN CAPVT XVIII.

Menenius Agrippa.] *Agrippas ueteres uocabant, qui contra naſcentium legem, pedibus prius ex utero emerſis, nati eſſent: quaſi ægrè partos, quòd plerunq; omen infœlicitatis fuit. Sed in uno Marco Agrippa, cuius egregiū facinus hoc capite Plinius deſcribit, fœlicitatis exemplum fuiſſe ſcribunt: nec tamen uſq; eò inoffenſæ, ut non plura aduerſa pertulerit, quàm ſecunda. Nam & miſera pedum ualetudine, & aperto coniugis adulterio & aliquot infœlicitatis notis retrouerſi ortus omen luit. Qua de re lege Plin. lib. 7. cap. 8. Solin. cap. 4. Polyhiſtor. Gell. lib. 16. cap. 16. ex Varrone, Alexand. ab Alex. lib. 1. cap. 9.*

Cognomento Lanatus.] *à cana lanugine enaſcente: unde etiam Capitolinus lanatus dictus eſt. Sic quoq; Columella de re ruſtica uuas amineas lanatas, à naſcente lanugine uocat.*

Aduerſum Sabinos.] *De Menenij Agrippæ militari fortitudine & eloquentia qua populū patribus reconciliauit, Liuius lib. 2. Dec. 1. Dionyſ. lib. 6. Auguſtin. lib. 2. ca. 18. & lib. 3. ca. 17. quoq;*

Ciuitat.Plutarch.in Coriolano. Appian.lib.1. bello.ciuiliũ, Val. Max.lib.8.cap.9.§1.Verg.lib.8. Aeneid. Horat.li.1.Carm. Od.6.Pomp.Iuriſcon. tit.2.1.ff.Feneſtel.tit.10.Pomp.Læt. tit.18.Rom. magiſt.Sabell.lib.9.Enn.2.Vola lib.13.urb.com.

De his triumph.] *Conſentit quoq; noſtro authori Dionyſius, qui ait Meneniũ (quem Memmiũ Plutarchus uocat) conſulem de Sabinis triumphaſſe. Sed Liuius Caßio & Caminio conſulibus, Titum Geganium & P. Minutiũ ſtatim ſubijcit, omni interim Sabini belli mentione ſuppreſſa.*

Seceßiſſet.] in Sacrũ montem, trans Aniene, quæ fuit prima poſt reges exactos in urbe diſcordia, quæ accidit anno 4. Olym.71. ab Vrbe condita 260. ab eo uero quo libertas parta erat, 16. Cuius rei meminerũt quoq; Oroſius lib.2. cap.5. Eutrop. lib. 1.cap.1. Euſeb.in Chronicis. Seceßit autem populus Sicinio Belluto duce.

Tributũ.] *Tributum, ut M. Varro de ling. Lat. oſtendit, dictũ eſt à tribubus, quòd ea pecunia quæ populo imperata erat, tributũ à ſingulis exigebatur: per quam occaſionem tribuni quoq;, quod tributum exigerent, dicti ſunt. tributor autẽ ab omnibus, pro modo facultatũ, facta diſtributione per centenas partes, efflagitabatur apud Romanos, quæ deinde poſt Papirij de Samnitibus triumphũ, ut Liuius in decimo teſtatur, in ſtipẽdia militũ collata*

lata sunt. De tributo aũt soluendo, more apud Romanos uetustißimo, leges Liuiũ lib. 2. et lib. 30. & copiosißimè Blondũ li. 5. Ro. triũph. à principio.

Militiã toleraret.] Quietis enim & florentibus Romanorũ rebus sanctißimè seruatũ legimus, ut adolescentes alioquin ocio marcescentes, disciplina militari instruerentur, quorum nomina ex iuniorum tabulis excipientes, ab anno decimoseptimo ad uigesimũ sextum primo pro patria, certis datis custodibus & militiæ magistris dimicare cogebantur: qui si militiæ se non obtulissent, publicè, ut terræ inutilia pondera, damnabantur. & hinc Liuius lib. 27. scriptum reliquit, omnes adolescentes decem & septem annos natos, ærarios esse factos, eo quod militare noluissent. Vide hac de re Liuium lib. 22. & 24. Blondum lib. 6. Rom. triumph. prope princip. Alexan. ab Alexan. lib. 1. cap. 20.

Olim humani artus.] Extat hæc fabula inter apologos Aesopi, philosophi clarißimi, quem haud immeritò sapientem esse existimatũ, Gellius scribit, quum quæ utilia monitu suasuq; erant, non seuerè, non imperiosè præceperit, (qui philosophis mos est,) sed festiuos cõmentus apologos, res salubriter animaduersas in mentes animosq; hominũ, cum audiẽdi quadã illecebra induxerit. cuius fabulæ inter omnes semper præualuerunt:

quòd

quod innuere (quanquã obscurius) institutionum oratoriarum quinto, Fabius animaduertit, quum ait. Ille quoq; fabulæ, quæ etiã si ab Aesopo originem non acceperunt (nam uidetur primus earum auctor Hesiodus) nomine tamen Aesopi maximè celebrantur, ducere animos solent, & præcipuè rusticorum & imperitorum, qui & simplicius quæ ficta sunt, audiunt: & capti uoluptate, facile ijs quibus delectantur consentiunt. Vixit autem Aesopus Crœsi Lydorum regis tempore, cui fabulas suas dicauit.

Sic senatus.] Affabulatio & accõmodatio fabulæ. Est enim ciuitas humano corpore persimilis. nam compositum est utrunq; ex multis partibus, nec in eis uim eandem pars quæq; habet, neq; usus pares exhibet.

Discordia pereũt cõcordia ualent.] Cõcordiæ cõmendatio, qua paruæ (ut ille ait) res crescũt, discordia aũt maximæ dilabũtur. Vnde rectè Tyresius Scipioni interrogãti qua de causa Numantia prius inuicta durasset paulò uerò post funditus euersa esset? respondit. Cõcordiam uictoriã, discordiam excidiũ præbuisse. cuius apophthegma extat apud Oros. lib. 5. cap. 8. Eutrop. lib. 4. cap. 7.

Hac fabula populus regressus est.] Locus de fabularũ & apologorũ utilitate, quibus summi oratores imperitam plebem sæpe ad meliora reuocarunt,

runt. Sic enim summus orator Demosthenes, in conspiratione Graeciae ciuitatum fabulam de lupis & ouibus, (ut Aristobolus Cassandreus apud Plutarchū autor est) recitauit: & simili quoq; modo Themistocles, ne nouarēt magistratus, Atheniensibus persuasit, fabula de uulpe muscis obsita, ut Plutarchus in Themistocle autor est. De usu autem fabularum lege Aphthoniū in progymnasmatis Quintilian. lib. 5. cap. 11. Roterod. lib. 2. Cop. Cael. lib. 18. cap. 7.

Tribun. pleb.] Lucium Iunium Brutū, & C. Sicinium Bellutum, qui tres sibi collegas cooptarunt, Caium Publiumq; Licinios, & Icilium Rugam, secundū Dionysium: Plutarchū uerò in Coriolano, C. Liciniū, Licium, Albutium, Brutum, & Siciniū Belutum, quorū tanta erat autoritas, ut quicquid senatus decreuisset, demum ratum haberetur, si tribuni approbassent, caetera uero pro arbitrio reijcerent. Creati sunt autem quarto Idibus Decemb. De tribunorū autem plebis origine, electione, officio & authoritate leges Fenestell. cap. 10. Laetum cap. 18. Ouid. lib. 3. Fastor. Plebs uetus, &c. Valer. Max. lib. 2. cap. 1. § 12. Blond. lib. 5. Rom. triumph. Alex. ab Alex. lib. 5. cap. 2.

Paupertate decessit.] Frugalitatis, cōtemptusq; diuitiarum memorabile exemplum: quo docemur nullis nisi inuitis & recusantibus grauē & inde-

coram

coram esse paupertatem, quæ ad benè beatæq; uiuendũ multo aptior est, quàm largæ diuitiæ. quod cùm uitæ usus facile demonstrat, tum sapientum uirorum documenta, qui respuerunt omnes diuitias, uel quia tutius sit ad securitatem, uel quod ad uirtutem aptius, ita uiuere. Cuius rei alia multa exempla pete ex Valer. Max. lib. 4. L. Domitio Brusonio Contursino lib. Facet. 5. Sabell. lib. 8. cap. 5. Exem. Fulgos. lib. 4. cap. 4. rerũ memorab.

Collatis quadrantibus sepeliret.] Hoc est, tribus uncijs. ita enim quadrãtẽ Priscianus, Budæus & Alciatus diuidunt. Verùm Liuius & Valerius Maximus collatis in capita non quadrantibus, sed sextantibus, funeratum scribũt. De cuius paupertate quoq; Plin. lib. 33. cap. 10. Platina lib. 1. de optimo ciue, & qui antè citati sunt.

Locum sepulturæ daret.] Gratitudinis exemplum est, cuius uirtutis ea natura est, ut etiã post mortẽ non quiescat. Quæ enim defunctis dantur, pietatis, amoris ac uirtutis testimonia sunt: in quo non spectatur, quid uelit is cui honos exhibetur, sed quid meritus sit: honorificè igitur Romani eos qui bene de patria meriti erant, & suis etiam, uel populi expensis, si diuitiæ deessent, sepeliebãt. Sed duodecim tabularũ lege postea sancitũ est, ne intra urbem sepelirent, sed unumquenq; in agrũ suum funerarent: cineres tamen illorũ qui triumphassent,

phassent, aut Rempub. auxissent, in urbe conderent. Cuius rei testis est Cicero lib. 2. de Legibus, Blond. lib. 2. Rom. triumphan. & Alexand. ab Alexand. lib. 6. cap. 14.

DE CN. MARTIO CORIOLANO.
Cap. XIX.

CNeus Martius captis Coriolis, urbe Volscorum, Coriolanus dictusq; ob egregia militiæ facinora, à Posthumio optionem munerum accipiens, equum tantum, & hospitem sumpsit, uirtutis & pietatis exemplum. Hic consul graui annona aduectum è Sicilia frumentum, magno precio, dandum populo curauit, ut hac iniuria plebs agros, non seditiones coleret. Ergo à tribuno plebis Decio die dicta, ad Volscos concessit, eosq; duce Actio Tullio aduersus Romanos concitauit, & ad quartum ab urbe lapidem castra posuit. Cūq; nullis ciuiū legationibus flecteretur, à Veturia matre, & Volumnia uxore matronarum numero

comita

comitata motus, omisso bello ut pro ditor occisus est. Ibi templum Fortunæ muliebri constitutum est.

IN CAPVT XVIII.

Quæ de Coriolano præsenti in capite à Plinio scribuntur, leges apud Liuium lib.2. Dec.1. Dionys. lib.7. & 8. Plutarch. in eius uita & de fortuna Romanorũ, Florum lib.1. ca.22. Eutrop. lib.1. cap.11. Gell. lib.17. cap.21. Valer. Max. lib.5. ca.4. § 1. lib.4. cap.3. § 6. & lib.5. cap.2. § 1. Frontinum lib.1. cap.8. § 1. Fulgos. lib.7. cap.5. § 1. Boccat. cap.53. de claris mulieribus Appian. lib.1. bellorum ciuilium. Sabell. lib.9. Ennead.2. Rapsod. & lib.7. cap.1. exemplorum, & alios.

Captis Coriolis.] Erat Coriolorum oppidum longe dignitate præstantißimũ. quod cum consul Cominius admoto exercitu circũsedisset, capere primo impetu nõ potuit, uerũ Cneus Marcius cũ omnium fœlicißimè contra Coriolanos pugnasset hinc Coriolani nomẽ tertium assequutus est. unde apparet propriũ ei nomẽ extitisse Caio, alterũ uerò Martiũ, à familia. A' rebus enim gestis, aut forma, aut uirtute & fortuna, huiusmodi nomina indi solebãt. Qua de re Plin. lib.18. ca.3. Macrob. lib.1. cap.6. Satur. & Alex. ab Alex. lib.1. cap.9.

Ob egregia facinora.] Fuit enim Coriolanus, Plutarcho teste, (qualẽ Cato militẽ esse optabat) non

non manu tantum, aut ictu, uerùm & uocis sono, & uultus aspectu hosti terribilis, animoq; insuperabilis. Quin quoq; cum multa bella per id tempus decernerent Romani, à nullo sine corona aut præmio discessisse uisus est.

Posthumio.] *Posthumio Cominio, qui cum Spurio Cassio secundo consul fuit, anno uidelicet primo, Olymp. 72. ab Vrbe uerò condita 261.*

Optionem munerum accipiens.] *Posthumius posteaquam insigni oratione militibus Coriolanũ commendasset, optionem dedit, ut ex omnibus donis militaribus, ex agri decem iugeribus, decem captiuis, & totidem ornatis equis, centenario boum grege, argentiq; quantum sustinere posset, sibi eligeret uirtutis suæ testimonium. Vnum saltem ex captiuis & hospitem, item equum accepit, ut ostenderet, quanti moderationem animi faceret.*

Equũ.] *Romani enim cum cæteris bellicosiores uideri percuperent, summa semper apud eosdẽ cura fuit ut quàm optimos equos ad belli studium alerent. Duobus enim, ut Sex. Pompeius scribit, paribus equis, id est duobus utebantur in prælio, ut sudante altero, transirent in siccum. Vnde quoq; ad equos emendos, ut apud Liuium lib. 1. ab Vrbe condita legimus, dena millia æris ex publico data, & qui equos alerent, ijs uiduæ attributæ. Qua de re copiose leges Cælium lib. 21. cap. 30.*

Et hospitem.] Volscum quendam, uirum æquitate & modestia clarum, quem olim Romæ hospitio susceperat. Cum enim multæ sint necessitudines & uincula, quibus homo homini iungitur, nullum tamen propemodum maiore sibi religione sanxit uita, quàm hoc quod hospitale uocant: de quo tanta est ab initio recepta opinio, ut ad illud uindicandum Iouem è cœlo lapsum uetustas fabulata sit, philosophi uerò omnia cognationis & affinitatis iura huic uni posthabenda censuerint. Fecit autem illud ipsum Coriolanus, quod Calabri: qui cum hostibus extra aciem familiaria iura seruabant, in acie uerò pugnabant uehementissimè. de quibus Alexand. ab Alex. lib. 4. cap. 10.

Graui annona.] Hoc est, cum Romæ frumenti & annonæ tanta esset penuria, ut prompta pecunia panes parandi omnis deesset facultas.

Aduectum frumentū.] In Siciliā missi erant P. Valerius & L. Geganius consules, ut triticum emerent: qui tempestate iactati, in ipsa insula hyemare coacti sunt: sed imminente æstate ad quinquaginta millia modiorum tritici, concedente Gelone, eius insulæ (ut Macer Licinius prodidit) tyranno, parārunt: nec fames timenda erat amplius, si benignè patres annonam populo remisissent. Verùm cum necessitas postularet, de suo annonam aduexit Coriolanus, & ciuibus penuria laborantibus diuendidit,

didit, unde hanc sibi patrum inuidiam & odiũ conciliauit. Huius rei obiter meminit Oros. lib. 2. cap. 5. & Eutropius ubi suprà.

E Sicilia.] insula omnium fertilißima. Vnde Florus lib. 4. cap. 2. Siciliam Sardiniamq́; finitimas insulas, annonæ pignora: Cicero in quarta actione Verrina, alijsq́; locis, & Liuius lib. 2. de bello Punico, horreum populi Romani uocant, quæ sæpenumero eorum maximos pauerit exercitus. De hac insula, eiusq́; ubertate, leges Claudianum de raptu Proserpinæ lib. 1. Ouid. lib. 13. Lucret. libro 1. Syll. Ital. lib. 14. Diodor. lib. 6. Polyb. de primo bello Punico, Thucyd. lib. 6. Strab. lib. 6. Plin. libro 3. Solin. cap. 11. Mel. lib. 2.

Die dicta.] Dicere diem idem est quod accusare. nam qui accusat, diem reo denunciat, quo ad causam dicendam præsto sit. Non autem unam ob noxam accusatum legimus apud Plutarchum, cum primò accusatus sit, eo quòd regnum illicitè affectasset. Secundò, quòd captam ex Antiatum agro prædam in ærarium non retulisset, sed militibus suis priuatim diuisisset. Tertiò, quòd facili uenundari annonam inhibuisset: & ultimò, tribunitiam quoque potestatem populo intercipere suasisset. Vnde disces inuidiæ naturam, quæ serijs etiam in rebus multa mendaciter confingit, & malum malo conduplicat, modo obsit

illi cui ex animo male uult.

À tribuno plebis.] Dicebatur enim dies ad populum, à magistratibus, aut à tribunis plebis, quibus tantū ius dicēdi diem facultas data fuit. Nonnūquam tamen à priuatis quoq;. Siquidem Lucullus, cum nullum magistratum geßisset antea, Seruilio Auguri peculatus diem dixit. Et M. Cotta quoq;, uirili toga sumpta, Cn. Carbonem reum postulauit. Qua de re uide Alexand. ab Alex. lib. 3. cap. 5. Notabis autem populi Romani ingratitudinem, qui collectis publicè suffragijs Coriolanum leuißimas quasdam ob causas damnarunt, cuius tamen militari fortitudine multis nominibus Romanorū Respub. adaucta erat.

Ad Volscos.] *Qui ducentos per annos cū Romanis bella gesserunt, & perpetui ferè Romanorum hostes fuerunt. qua de re copiosè* Volaterranus *lib. 38.* Vrban. com. *Plerunq; autem (ut hic Coriolanus) iniuria affecti ad eos confugimus, quos & nobiscum sentire, & simili quoq; odio aduersarios nostros prosequi putamus.*

Actio Tullio.] *Ita quoq; Liuius uocat, Plutarchus autem* Tullum Amphidium, *alij* T. Tatium *appellant.*

Aduersus Romanos concitauit.] *Vindictæ & impietatis quoq; in patriam exemplum. Fuit autem hic secundus, qui post Tarquinium hostes contra*

tra patriam incitauit.

Ad quartum lapidem.] Eutropius, ad quintũ miliarium accessisse: Dionysius autẽ & alij, paulo plus triginta stadijs distantia ab urbe castra, secundum uiam qua itur ad Tusculum, posuisse aiũt. Per lapides autem miliaria signabat antiquitas: unde Martialis canit, Ad lapidẽ Torquatus habet prætoria quartũ, Ad quartũ breue rus emit Otacilius.

Nullis legationibus.] Nam primũ legatos ex primoribus patrum miserant, de pace ineunda, ex quibus M. Minutius cæterorum consensu, uerba ad Coriolanum fecerat: quibus non exauditis, decem alios ex urbe miserunt. qui dum quoq; nullum pacatius responsum accepissent, Pontifices demum & omnes qui sacros honores in urbe gerebant, cũ infulis & alijs insignibus supplicatũ in castra miserunt, sed frustrà. Altius enim uindicta animum insederat, quàm ut ullis legationibus erui potuerit, ut patriæ parceret.

A Veturia matre.] Quæ cum nuru & duobus nepotibus, quorum maior undecim erat annorũ, alter uerò crepundijs nuper egressus, in castra filij se recepit. Verùm Plutarchus in Coriolano, Veturiam uxorem, Volumniam autem matrem fuisse scribit. Vide Alexan. ab Alex. libro 1. cap. 13.

Motus.] Veturiæ matris & Volumniæ quoq; orationes doctissimas, quibus apud Coriolanum

pacem patriæ impetrarunt, lege apud Liuium, Dionysium, *&* Plutarchum *ut suprà.* Ex hac *igitur disces historia, uix ullam esse hominis tam graue affectionem, quam pietas in parentes & coniuges non facile superet.*

Proditor *occisus est.*] Quo *mortis genere* Coriolanus *interierit, dissentiunt authores. Alij nanque cum* Romanis *finibus copias abduxisset, non multo post Antij absoluti belli inuidiam, multitudinis incursu lapidibus obrutum: alij ferro trucidatum, memoriæ prodiderunt.* Fabius *uerò* Pictor, *Romanarum rerum author longè antiquissimus, eum in exilio consenuisse scribit, hancq; sæpe exacta iam ætate ab eo uocem usurpatam,* Multo *miserius sibi seni exilium esse, quàm iuueni fuisset.*

Ibi.] In *Latina scilicet uia, quarto ab* Vrbe *miliario, in quo loco Coriolanus matris precibus adactus, ab urbis excidio temperauit.* Vide Marlian. *lib.7.cap.17.*

Templum fortunæ muliebri.] Inter *numina pleraq;, quæ ueteres habuêre, olim à* Romanis For*tunam eximiè cultam, scriptum in antiquitatibus est. Idq; ex eo coniectari licet, quod plures illi ædes fuisse, ac diuersis nominibus denominari, uulgo proditum est: ut legimus apud* Plinium *libro 34. cap. 8. libro 36. cap. 22. & 25. lib. 8. cap. 48. libro*

36.

36.cap.5.libro 2.cap.7.Marlian.lib.2.cap.5. lib. 4.cap.7. & 12. lib.5.cap.8. &c. Alexandrum ab Alexandro libro 1. cap. 13. Cælium libro 18. cap. 34.lib.13.cap.12.lib.18.cap.14.&c. In fortunæ autem muliebri templo semper Calendis Decembribus, quo die bellum fuerat solutum, post reges exactos anno 18. ritè sacrificabant, ad perpetuam huius facti memoriam. Pulchrum enim, & in primis memorabile facinus, quod in ea urbe, quæ futura erat caput & arx omnium gentium, fortitudo muliebris cum uirili toties certarit. Notanda præterea ex fine huius capitis, Romanorũ gratitudo erga Veturiam, Volumniam, cæterasq́; matronas, quarum precibus pax patriæ data est. In harum enim honorem non tantum fortunæ templum ædificarunt, sed ut Valerius ait, benignißimis decretis adornarunt eas, sanxerũtq́; ut fœminis semita uiri cederent.

DE LICINIO STOLONE, PRIMO *Cos. ex plebe. Caput XX.*

FAbius Ambustus ex duabus filiabus alteram Licinio Stoloni, alteram Aulo Sulpitio patritio coniugẽ dedit. Quarũ plebeia cũ sororẽ salutaret, cuius uir tribunus militũ

consulari potestate erat, fasces lictorios foribus appositos indecẽter expauit: à sorore irrisa, marito questa, qui adiuuante socero, ut primum tribunatum plebis aggressus est, legẽ tulit, 'ut alter cõsul ex plebe crearet. Lex, resistẽte Appio Claudio, lata tamẽ. Et primus Licinius Stolõ cõsul factus. Idem lege sanciuit, ne cui plebeio plus centum iugera agri habere liceret. Et ipse cum iugera centũ quinquaginta haberet, & altera emancipati filij nomine possideret, in iudicium uocatus, & primus omnium sua lege punitus est.

IN CAPVT XX.

Ambustus.] Ambustus cognominatus est, quòd olim adolescens fulmine in naribus tactus, deflagrauerit. Cuius rei testes sunt Alexand. ab Alex. lib. 1. cap. 9. Volat. lib. 16. cap. 1. & 4.

Ex duabus filiabus.] Quarum nomina nullibi expressa legimus. Sed extat historia huius capitis apud Liuium lib. 6. Dec. 1. circa finem, Florum lib. 1. cap. 26. Valer. Max. lib. 8. cap. 6. § 3. Sabel. lib. 4. Enned. 3. Rapsod. Volater. loco iam citato,

&

& lib quoq; 19.cap.3. Vrbanorum commen.

Alteram.] natu, ut Liuius ait, minorem.

Licinio.] illustri quidem uiro, sed plebeio.

Stoloni.] Stolonis cognomē adeptus est, quòd agriculturæ studiosus plantas & arbores ablaque aret, & resectis fruticibus, quos stolones agricolæ uocant, curare soleret. Vt legimus apud Columel. de re rust. Gell. lib. 16. cap. 11. Plin. lib. 17. cap. 1. & 10. Alexan. ab Alex. ut suprà, Volat. lib. 16. ca. 4.

Licinio.] Licinios uocabant Romani, qui par uis oculis nascerentur. Alexan. ab Alex. ut suprà.

Aulo Sulpitio.] Volaterranus lib. 19. cap. ultimo Vrbanorum, non Aulum, sed Seruium Sulpitium hunc uocat.

Patricio.] Romulum urbis authorem in duos ordines populum diuisisse, apud Liuium in primo legimus, plebeium scilicet, & senatorium: illorūq; progeniē Patricios, seu optimates, exemplo Atheniensium, quos ἀπατρίδας uocant: humiliores uerò, & inopem uulgum, Plebeios nuncupasse. Qua de re multa lege apud Alexandrū quoq; ab Alex. lib. 5. cap. 18.

Plebeia.] Stolonis uxor.

Sororem.] Sulpitij uxorem.

Salutaret.] inuiseret. Persæpe enim sorores Fabiæ cōuenientes, sermone tempus, ut Liuius ait, terere solebāt.

consulari potestate erat, fasces lictorios foribus appositos indecẽter expauit: à sorore irrisa, marito questa, qui adiuuante socero, ut primum tribunatum plebis aggressus est, legẽ tulit, ut alter cõsul ex plebe crearet. Lex, resistẽte Appio Claudio, lata tamẽ. Et primus Licinius Stolõ cõsul factus. Idem lege sanciuit, ne cui plebeio plus centum iugera agri habere liceret. Et ipse cum iugera centũ quinquaginta haberet, & altera emancipati filij nomine possideret, in iudicium uocatus, & primus omnium sua lege punitus est.

IN CAPVT XX.

Ambustus.] Ambustus cognominatus est, quòd olim adolescens fulmine in naribus tactus, deflagrauerit. Cuius rei testes sunt Alexand. ab Alex. lib.1.cap.9. Volat. lib. 16.cap.1. & 4.

Ex duabus filiabus.] Quarum nomina nullibi expressa legimus. Sed extat historia huius capitis apud Liuium lib.6. Dec.1. circa finem, Florum lib.1.cap.26. Valer. Max. lib. 8.cap.6.§ 3. Sabel. lib.4. Enned.3. Rapsod. Volater. loco iam citato, &

& lib quoq; 19.cap.3. Vrbanorum commen.
Alteram.] *natu, ut Liuius ait, minorem.*
Licinio.] *illustri quidem uiro, sed plebeio.*
Stoloni.] *Stolonis cognomẽ adeptus est, quòd agriculturæ studiosus plantas & arbores ablaqueare, & resectis fruticibus, quos stolones agricolæ uocant, curare soleret.* Vt legimus apud Columel. *de re rust.* Gell. *lib.16.cap.11.* Plin. *lib.17.cap.1.& 10.* Alexan. *ab* Alex. *ut suprà,* Volat. *lib.16.ca.4.*
Licinio.] *Licinios uocabant* Romani, *qui paruis oculis nascerentur.* Alexan. *ab* Alex. *ut suprà.*
Aulo Sulpitio.] *Volaterranus lib.19.cap.ultimo Vrbanorum, non Aulum, sed Seruium Sulpitium hunc uocat.*
Patricio.] *Romulum urbis authorem in duos ordines populum diuisisse, apud* Liuium *in primo legimus, plebeium scilicet, & senatorium: illorũq; progeniẽ* Patricios, *seu optimates, exemplo* Atheniensium, *quos* ἀπατρίδας *uocant: humiliores uerò, & inopem uulgum,* Plebeios *nuncupasse. Qua de re multa lege apud* Alexandrũ *quoq; ab* Alex. *lib.5.cap.18.*
Plebeia.] *Stolonis uxor.*
Sororem.] *Sulpitij uxorem.*
Salutaret.] *inuiseret.* Persæpe *enim sorores* Fabiæ *cõuenientes, sermone tempus, ut* Liuius *ait, terere solebãt.*

Cuius uir.] A. *Sulpitius.*

Tribunus militaris.] *De tribunorum militum electione, officio, authoritate, lege copiosè* Fenestellam *cap.* 16. Pomp. *Læt. cap.* 19. *Alexan. ab* Alex. *lib.* 5. *cap.* 2. *&* *lib.* 6. *cap.* 18.

Consulari potestate.] *Præter plebis tribunos, creauere* Romani *alios consulari potestate, anno ab* Vrbe *condita* 313. *iisdem auspicijs quibus consules, tam ex plebe quàm ex patribus.* Nam *cũ* Canuleius *legem ad populum ferre contenderet, ut ex plebe consules facere liceret,* Patresq; *ne consulatus cum plebe promiscuus foret, obsisterent, eò res ducta est, ut tribuni militum* Consulari *potestate fierent tam ex plebe quàm ex patribus, idemq; iuris quod* Consules *haberent.* Nam *& sella* Curuli, *consulari prætexta, lictoribus, & fascibus consularibus exornabantur: ut tum alijs in autoribus, tum apud* Liuium *hinc inde legimus.*

Fasces *lictorios.*] De *fascibus, & alijs* Consulum, *aliorumq; magistratuum ornamentis, diximus suprà cap.* 15. *Sciendum tamen, præterea tribunis non uirgas, ut consuli & prætori, sed ad terrorem audaciæ uites lictores prætulisse: & contumaces milites* Romani *uel* Latini *nominis iussa minus exequentes, non uirgis, sed uitibus per centuriones, exteros uerò fustibus tractatos esse.* Et Alexandrum *deinde* Seuerum *longè pòst, tribunis*

non

non lictores, aut apparitores, sed milites anteire iußisse. Discendum præterea ex Bruto Plutarchi, *ideò fasces magistratuum fuisse ornamenta, ut significaretur, nō oportere magistratus iram promptam & dissolutam esse, sed mora & cunctatione, dum fasces uinculo soluerentur, frangi & mitigari debere.*

Foribus appositos.] Florus ait, *lictoriæ uirgæ sonum penatibus ignotū expauisse.* Mos enim fuit, *ut lictor uirga fores percuteret, quas* Consul *aut alij magistratus eius notæ fuerant intraturi: quem morem tangit* Plinius *lib.7.cap.30.*

Sorore.] Sulpitij tribuni uxore.

Irrisa.] *Insolētißimè irrisam à sorore, ait* Flor.

Marito.] Stoloni.

Socero. Fabio *Ambusto.*

Aggressus.] *Scribit* Florus, Tribunatum & *magistratuum consortium quasi ui extorsisse potius quàm petijsse. Est autem libidinis regnandi, inanisq; gloriæ satis memorabile exemplum, quo docemur, quàm facilè ad gloriæ & summum dignitatis fastigium perueniendum cogitemus, si uxorū, quæ semper laudis & honoris studio ducuntur, stimulis agitemur.*

Vt alter consul ex plebe.] Tametsi *ad* Dictaturam, Consulatū, Præturam, et Censuram, *primùm nulli nisi patricij admitterentur, sequutis tamen*

tempo-

temporibus Patricij *magistratus cum plebe, ut ex præsenti liquet capite, communicati fuere, non tamen sine maxima seditione. Aßiduis enim tribunitijs seditionibus uicti senatores, alterum ex plebe consulem creandum difficulter censuerunt, Licinium scilicet* Stolonem. *Qua de mutatione lege* Alexand. *ab* Alex. *lib.* 6. *cap.* 24. *meminit* Plutar*chus in Camillo.*

Resistente Appio.] *Qui tum hac in causa, tũ aliàs quoq; plebi uehementer infestus fuisse dicitur, teste* Plutarcho *in uita* Coriolani. *Leges autem apud* Romanos *ratæ non habebantur, nisi prius ad populum latæ, & per præconem prolatæ, iuratæ & receptæ, in foro propositæ, ac in ærariũ conditæ fuissent.* Nam *sacrosanctum quid fieri minime poterat, nisi per populum plebemq; sacratũ esset.* Vide Alexan. *ab* Alex. *lib.* 6. *cap.* 14.

Licinius primus consul.] Dissentiunt *in primi* Consulis *electione authores.* Primum *enim ex plebe consulem* Lucium Sequaciũ *fuisse, tradit* Fenestella *de* Magistratibus Roman. 7. *cap.* Alij Lucium Sextium. Vide *quoq;* Alexan. *ab* Alex. *lib.* 6. *cap.* 24. *Facta autem sunt hæc anno* 1. Olym. 104. *ab* Vrbe *uerò condita,* 389.

Legem sanciuit.] *Huius legis meminit* Plinius *quoq; lib.* 18. *cap.* 3. Valer. Max. *lib.* 8. *cap.* 6. Gell. *lib.* 19. *cap.* 20. Alexan. *ab* Alex. *lib.* 2. *cap.* 9.

Centum

Centum agri iugera.] *Sic ubiq; legimus, sed male. Quingenta enim agri iugera legendum est, ex Plinio, cuius hæc sunt uerba: Quippe etiam lege Stolonis Licinij incluso modo quingentorum iugerum, & ipso sua lege damnato, cum substituta filij persona amplius poßideret, &c. Cuius autoritatem quoque Valerius secutus, ait: Cum lege sanxisset, ne quis amplius quàm quingenta agri iugera poßideret, ipse mille comparauit, &c. iuxta cuius autoritatem, & paulo pòst, non centum quinquaginta, in nostro authore, sed mille legendum quoque est. Primum enim numerum, si ob filium conduplicaueris, mille tantum inuenies agri iugera.*

Iugera.] *Iugerum est campi mensura, quam ducentis pedibus Mathematici contineri scribunt. Quintilianus lib. 1. cap. 18. ducentis quadraginta pedibus in longitudinem, dimidij in latitudinem iugerum describit: & est, quod uno boum iugo die arari poßit, teste Valla lib. 1.*

Emancipati.] *Emancipatio secundum iurisconsultos, est relaxatio patriæ potestatis coram iudice facta, & dicitur quasi extra manum & potestatem patris, & quasi sui iuris. Qua de re iurisperitos consule.*

In iudicium uocatus.] *A Marco scilicet Popilio Lenate.*

Sua

Sua lege punitus est.] *Vt doceret alios, nil aliud præcipi debere, nisi quod prius quisque sibi imperauit. Tum enim salua est Resp. si legislatores, suas quoq; leges sanctißime custodiant, & sibiipsis custodiendi neceßitatem imponant. In qua re non immeritò toties Lycurgus Spartanorum legislator collaudatus est, non inuentione legum magis quàm exemplo clarior, ut qui nil unquam lege in alios sanxit, cuius non ipse primus in se documenta daret: unde populum in obsequia principum, principes autem ad iustitiam imperiorum firmauit, teste Iustino lib. 3.*

DE VIRGINIO CENTVRIONE FIliæ occisore *Cap. XXI.*

POpulus Romanus cum seditiosos magistratus ferre nō posset, decemuiros legibus scribendis creauit, qui eas ex libris Solonis translatas, duodecim tabulis exposuerunt. Sed cū eo pacto dominationis magistratū sibi prorogarēt, unus ex ipsis Appius Claudius Virginiam, Virginij centurionis filiam, in Algido militantis, adamauit: quam cum corrumpere non posset, clientē subornauit, qui eam† in seruitutē deposceret:

al. uindex in seruitutem.

ſceret: facile uicturus, cum ipſe eſſet accuſator, et iudex. Pater re cognita, cũ ipſo iudicij die ſuperueniſſet, & filiam iam addictam uideret, ultimo eius alloquio impetrato, cum eam in ſecretum abduxiſſet, occidit, et corpus eius humero gerens, ad exercitum profugit, & milites ad uindicandum facinus accendit: qui creatis decem tribunis, Auentinũ occuparunt. Decẽuiros abdicare ſe magiſtratu præceperũt, eosq; omnes aut morte, aut exilio punierũt. Appius Claudius in carcere necatus eſt.

IN CAPVT XXI.

Cum ſeditioſos magiſtratus.] *Fuit hæc ſecunda, ut apud Florum legimus, urbis diſcordia, quæ ob Decẽuiratus libidinẽ cõflata eſt, anno ab Vrbe cõdita (iuxta Liuium, Oroſium & Eutropiũ) triceſimo altero: uel ſecundũ Dionyſiũ, Olymp. 82. hoc eſt, annis ab Vrbe condita 300. expletis: qui lib. 7. Antiquitatũ ſuarum, paucorum annorum errorẽ uenia dignũ exiſtimat. Huius aũt capitis hiſtorias ad longũ uſq; leges apud Liu. lib. 3. Dec. 1. Dionyſ. lib. 10. circa finẽ, et per totũ undecimũ. Auguſt. li. 3. ca. 17. ciuit. Oroſ. li. 2. ca. 13. Eutrop. lib. 1. ca. 12.*

Flor.

Flor.lib.1.cap.24.Valer.Max.lib.6.cap.1.§3. Anton.Tom.1.Tract.4.cap.5. §7.Bocatium de Claris mulieribus cap.56.Sabel.lib.4.Ennead.3.Rapsod.& lib.4.cap.5.§ 4.Exemp.ethnicor.Volater. lib.20.cap.2.Anthrop.

Ferre non posset.] Propter leges ex arbitrio procerum aduersus plebem hactenus cōditas, quas suo ordine recenset Fenestella cap.14.de Rom.magistratibus.ex quo liquet, ea tempestate apud Romanos, non aliter quàm apud Aßyrios olim, principum arbitria pro legibus fuisse.

Decemuiros.] Appium uidelicet Claudium, Titum Genutium, P.Sextium, L.Veturium, C.Iulium, A.Manlium, P.Sulpitium, P.Curiatiū, T. Romulium, & Sp.Posthumium. De quorum potestate & authoritate leges Fenestellā cap.14. Pomponium Lætum cap.22.de Rom.magist.

Ex libris Solonis translatas.] Ad Solonis leges aduehendas Athenas mißi sunt legati, P. Sulpitius Camerinus, Spur.Posthumius Albinus, & A.Manlius: qui anno tertio demum postquam recesserāt, leges scriptas retulerunt.

Duodecim tabulis exposuerunt.] Solonis leges in decem tabulas insculptas (quibus boni æquiq; iussa, praui delictorumq; depulsio, tum iudiciorū ordo, et bene uiuēdi norma, pœnæq; ac præmia cōstituta erāt, & à quib. postea omnis diuini humaniq; iuris

iuris sanctio manauit) primò attulerunt, & deinde cum quædam deesse uiderentur, alias duas addiderunt. & inde duodecim tabularum leges appellatæ, quas quidam eburneis, alij æneis tabulis impressas, & pro rostris positas, memoriæ prodiderũt. Verùm de duodecim tabularum legibus, uide Gell. *lib.* 20. *cap.* 1. Alexand. *ab* Alexan. *lib.* 6. *ca.* 12. Pompon. I. C. *in. l. ff. de origine iur.* Caium *l.* 4. *ff. ad l.* Aquil. Vlpian. *l.* 1. *ff. de tigno iunct.* Paulum *l.* 1. *ff. arbor. furt. &c. Scriptæ autem fuerunt ab* Hermodoro Ephesio, *cuius statua* Romæ *fuit in Comitio, ut author est* Plinius *lib.* 34. *ca.* 5.

Solonis.] Atheniensium *philosophi sanctißimi, de cuius legibus uide* Valer. *lib.* 5. *cap.* 3. § 15. Plutarch. & Diogenem *in eius uita,* Gell. *lib.* 2. *cap.* 11. & *lib.* 11. *cap.* 18. Fulgos. *lib.* 7. *ca.* 2. § 20.

Appius Claudius.] Regillanus *cognominatus.* Ex Sabinis *uerò* Claudios, *ab authore* Appio Clauso, *gẽtis principe, qui cũ multitudine clientũ* Romam *commigrauit, ductos ferunt, ex qua familia multi insignes nobilitate & honoribus cõtrà furores tribunitios, pro patribus perpetui defensores extitere.* Qua de re Plutarch. Volat. *lib.* 14. Alex. *ab* Alex. *lib.* 1. *cap.* 9.

Centurionis.] & Numitoriæ, *honestißimæ matronæ.*

Algido.] *monte, qui duodecim millibus pas-*

suum

suũ ab Vrbe distabat: de quo diximus suprà ca.17.]

Corrumpere.] *primò precibus, deinde donis ingentibus. ultimò minis atrocissimis, ut copiosè apud* Dionysium *&* Liuium *leges.*

Clientem.] *Marcum scilicet Claudium libertum, hominem confidentẽ, & ad omne ministeriũ paratũ.* Moris *autem fuit apud antiquos, ut prouinciales in clientelam se darent proceribus* Romanis, *quos patronos sibi adoptabant, non tantum publicè, sed etiam priuatim, & hos deinde clientes uocabant.* Vide Alexand. *ab* Alexand. *lib.6.cap.10. & copiosius lib.5.cap.24. &* Iurisperitos, *suis locis.*

Vindex posceret.] *tanquam seruam, & fugitiuum mancipium. Cuius orationem astutissimam, & fraude scatentem, leges apud* Dionys. *&* Liuium *ut suprà.* Notandum *autem, dari uindicias secundum libertatem, cum* Prætor *super assertione liberi capitis, aut seruilis personæ, quem assertor seruum aut liberum dicit, de quo ambigitur, datis inducijs decernit edicto, ne interim asserto uis inferri ualeat per assertorem, sed ut in libertate qua fungitur, maneat: cum uerò* Prætor *assertum in seruitute pro seruo teneri apud assertorem interim iubet, uindiciæ secundum seruitutem dari.* Vide Alexand. *ab* Alexand. *lib.6.cap.10.*

Cum

Cum ipse accusator & iudex.] Non potuit esse iuxta æquitatis legem in una causa accusator & iudex in foro publico: subornauit igitur clientem qui accusaret Virginiam, ut sub prætextu bonus iudex uideretur. Cui meritò opponendus est Scipio ille Minor, qui cum Licinium prætereuntem uidisset, Hunc, inquit, uirum peierasse scio: uerùm quoniam nullus illum defert, non possum accusator esse & iudex. Quòd in Censore, moderationis & iustitiæ memorabile fuit exemplum.

Pater.] Lucius Virginius, quem Valerius uirum quidem plebeium, sed patricij spiritus hominem uocat.

Re cognita.] Per impigros enim iuuenes, fratrem Icilij, & Numitorij filium, à quibus accersitus est, rem omnem audiuerat.

Superuenisset.] sordida ueste, fre[?]orũ more amictus, & amicis alijsq; bonis uiris comitatus, qui uirginis casum iniquè ferebant.

Addictam.] iniustißimo Appij iudicio. Cuius hæc uerba apud Dionysium legimus: Ego ne quid temere fecisse uiderer, expectandũ duxi parũper, dum res aliquo modo componeretur. Cæterum cum nihil, ut uideo, illis conuenit, testor ego & decerno, Marcum Claudium libertum puellæ esse dominum: quibus dictis, ut mancipium abducere

puellã iußit, datis duodecim lictoribus, ut comitarentur, ne quam uim formidaret.

Occidit.] arreptum de mensa cuiusdam lanij cultrum, per uiscera filiæ exegit. Pudicitiæ conseruandæ memorabile exemplum Virginius, qui pudicæ filiæ interemptor potius, quàm corruptæ pater esse uoluit. Est autem miserandum hoc spectaculum editum ad Tabernas Laneas, quibus postea Nauis nomen fuit: quem deinde locum longè pòst Sempronius, cum Publij Africani æde emit, & Basilicam, quam Semproniam uocant, eodem loco, prope S. Gregorij templum in Velabro construxit. Vide Marlian. lib. 4. ca. 8. Rom. antiquit.

Corpus humero.] Discrepant alij à Plinio nostro, asserẽtes Romæ Virginiæ cadauer relictum, patremq; ira cõmotum, parato ad id equo ad exercitum fugisse, & de ultione statim cogitasse.

Ad exercitum.] quem Romam properans, in Algido monte reliquerat.

Profugit.] cum Icilij fratre, & Numitorio.

Milites accendit.] enumerans Appij in se crudelitatem, libidinem in filiam iam desponsatam, inde rapinas, cædes, & alia nefanda, quæ copiose leges in eius ad milites oratione apud Dionysiũ, & Liuium.

Creatis tribunis.] iussu & instinctu Virginij, qui aliquo capite opus esse dictitabat.

Decem

Decem tribunis.] *Aulum Virginium, L. Icilium, P. Numitorium Virginiæ auunculum, C. Sicinium, M. Duillium, C. Aponium, M. Ticinium, Appium Iulium, M. Pomponium, & C. Oppium.*

Decemuiros abdicare se.] *Pomponius Lætus de Romanorum magistratibus cap. 22. Anno ab urbe condita 309. Decemuiros pro consulibus creatos, & tertio demũ anno libidine Appij Claudij depositos esse ait. meminit Alexander ab Alexand. lib. 5. cap. 2. Constat igitur ex omnibus ferè Romanorum historijs, annis 45. consules Romæ defuisse, sub decemuiris duobus annis, sub tribunis militum annis 43. ac sine magistratibus annis 4 Romam fuisse.*

Aut morte aut exilio.] *Apud Dionysium legimus, Decemuiros, priusquam eis dies diceretur, seipsos exilio mulctasse, & bona eorum à quæstoribus Romanis omnia publicata esse: ut docerẽt, quantis pœnis tentata castißimæ uirginis pudicitia luenda esset.*

In carcere.] *quem ipse semper Appius Romani plebis domicilium uocare solitus erat, teste Sabellico lib. 10. ca. 4. § 4. Ethnicor. exempl. Aedificauit autẽ Appius Claudius illum ipsum carcerem eo in loco ubi hodie S. Nicolai templum est, in quo deinde iudicij reus sibi mortem consciuit, teste Marliano lib. 4. ca. 1. Topographiæ. Sed alij*

tribunorum iussu occisum affirmarūt, genere mortis incerto: ita tamen, ut immoderatæ libidinis & falsi quoq; iudicij condignas pœnas dederit.

DE AESCVLAPIO ROMAM ADVECTO. *Cap.* XXII.

ROmani ob pestilentiā, responso monente, ad Aesculapium Epidauro accersendum, decem legatos, principe Q. Volumnio, miserunt. Qui cum eò uenissent, & simulacrum ingens mirarentur, anguis è sedibus eius elapsus, uenerabilis, nō horribilis, per mediam urbem, cum admiratione omniū, ad nauem Romanorum perrexit, & se in Volumnij tabernaculo conspirauit. Legati deum uehentes Antiū profecti sunt, ubi per mollitiem maris anguis proximum Aesculapij fanum petijt, & post paucos dies ad nauim redijt: & cum aduerso Tyberi subueheretur, in proximā syluam desiluit, ubi templum ei constitutum, & pestilentia mira celeritate sedata est.

IN CAPVT XXII.

Ob pestilentiam.] *non tam hominum quàm iumentorũ, unde urbs exhausta erat funeribus infinitorum clarorum uirorum: tribus enim integris annis pestis grassata erat.* De qua Orosius lib. 2. cap. 13. Eutrop. lib. 1. ca. 11. Phrising. lib. 2. cap. 18. Anton. Tom. 1. Tit. 4. cap. 5. § 13.

Responso monente.] *Sibyllina enim oracula sacerdotes inspexerant, quæ semper magni nominis apud* Romanos *fuisse constat, ut quorum oraculorum libri à* Tarquinio *Superbo, magno ære coempti, ad* Cornelium *usq; Syllam mansere incolumes: tunc enim incenso* Capitolio, *cum omnia perflagrarēt, ipsi pariter absumpti sunt.* Qua de re Plin. lib. 13. cap. 13. Marlian. lib. 2. ca. 10. & lib. 3. cap. 19. Topograph. Alex. ab Alex. lib. 3. ca. 16.

Ad Aesculapiũ.] Fuit hic Podalirij et Machaonis *parens, & omniũ qui unquã extiterunt medicorũ peritißimus: ut qui nõ tantum homines grauißimis morbis laborantes curare, uerumetiam uita iam defunctos (utpote* Hippolytũ *iniquitate nouercæ & parẽtis inscitia interfectũ, &* Glaucũ *quoq;* Minois *filiũ, & alios) ad uitã reuocare potuit. Vnde antiquitus ob artis præstantiã in* Deorum *numerũ relatus, &* Apollinis *filius creditus est.* Qua *de re lege* Hyginũ *li. 2. de Signorum cœlestiũ historia, ca. 14. & fabula quoq; 49.* Diodo

rum Sicul.libro 5.de Fabulosis antiq.gestis,Plin. lib.29.cap.4.Bond.lib.1.Rom.triumph.

Epidauro.] *Epidaurus Limera olim uocata,quod pratis abundet: uel quasi limenera,quod ualde fuerit portuosa.* Item Milesia *&* Aemera *à sanguinis effusione, tum pecudum, tum taurorum,quibus aram Aesculapij uenerabantur. Vnde etiam Epidaurus dicta,ut Stephanus testis est. Sita autem est hæc ciuitas in recessu Saronici sinus, natura munita, montibus circundata, & ob huius Aesculapij templum quàm plurimùm nobilis, in quo ægroti nocturno tempore somniātes à numine curabantur: quā ob causam hoc templum undiq; ægrotantium multitudine confertum fuisse legimus, pendentibus paßim tabellis, quibus eorum qui à morbis liberati erant, languores inscribebantur. Qua de re leges Strabonem lib. 8. Vnde disces,quàm uersutus, fraudis & insidiarū sub pietatis prætextu,sit excogitator dæmon,& miraculorum acceßione locupletißimus ostentator, qui etiam hodie apud suos, ubi in sanctis colitur, non his absimilia miracula facit. Qua de re lege quæso* Ioachinū Vadianū, Heluetiæ *nostræ* Phœnicem,*in* Pomponij Melæ *lib.2.cap.3.sanctißimè differentem.*

Decem legatos.] *Sunt enim deorum sacra cum maiestate et maxima solennitate peragenda.*

Verùm

Verùm quæ præsenti capite de Aesculapio Romam *accersito scribit* Plinius, *leges copiosius apud* Liuium *lib. 10. Dec. 1. in fine*, Valerium Maximum *lib. 1. cap. 8. § 3.* Plinium *lib. 29. cap. 4.* Lactãtium *lib 2. cap. 8.* Antoninum *tom. 1. tit. 4. cap. 5. § 17.* Sabell. *lib. 8.* Enn. *4. rapsod.* Volaterranum *lib. 33. cap. 17.* Vrban. *com.*

Q. Volumnio.] Valerius Maximus Q. Ogulinum *uocat*. De Volumniorum *autem familia, lege* Volaterranum *libro 20. cap. 2.* Vrban. *comment. in fine.*

Anguis.] *loci genius, uel malus dæmon, quod potius crediderim. Constat autem, ueteres ideo anguem dicasse* Aesculapio, *quòd multa huic animali remedia inessent, ut testis est* Plin. *lib. 29. cap. 4. & lib. 30. cap. 3. Verùm de* Aesculapio *in serpentem uerso, lege* Ouid. *lib. 15.* Metamorph. *circa finem*, Hunc *modo serpentem, &c.* Horatium, *alicubi apertißimè hac de re scribentem.*

E sedibus elapsus.] *Ab ijs enim qui* Epidaurum *inhabitant, rarißimè, nunquam tamen sine magna hominum fœlicitate, uisebatur.*

Per mediam urbem.] *per medias (ut* Valerius *scribit) & celeberrimas quasq; urbis partes.*

Nauem.] Triremem *uocat* Valerius, *cuius descriptionem & imaginem quoq; ex antiquis* Romanorum *marmoribus, habes apud* Bayfium *in*

L. 2. *Tractatu de Captiuis & postlimin. reuerſ. lib. 49. Pandectarum.*

Volumnij.] Ex Valerij *authoritate legendum eſt* Ogulini, *ut paulo antè.*

Conſpirauit.] *hoc eſt, in multiplicem orbem, & quaſi in ſpiras ſe collegit.*

Antium.] *uetuſtiſsimam Latij ciuitatem, & ducentis ſexaginta ab* Hoſtia, *ſtadijs diſtantem, quæ cum à* Cinna *poſtmodum, &* Mario *(ut apud Liuium in 4. ab Vrbe condita legimus) expugnata ſit, ruinæ quædam in littore & nemoribus ſuperioribus annis uiſæ ſunt tantum.* Huius *urbis meminit* Strabo, & Plinius *lib. 3. cap. 5.*

Mollitiem.] *Alij malitiam legunt, ſed malè: intelligit autem maris tranquillitatem.*

Ad Apollinis fanũ.] Scribit Valerius, *anguem myrtum quendam inſediſſe, quæ in ueſtibulo* Aeſculapij *fuiſſe dicitur.* Vocat *autem fanum, à* Fanis *dijs, qui diuina oracula, ut* Martianus Capella *ait, ederè ſolebãt: uel à* Fauno, *qui, autore* Probo, *primus horum locorum conditor fuit, teſte quoque* Marliano *lib. 7. cap. 6.* Topograph.

Poſt paucos dies.] *poſt triduum uidelicet.*

In *proximam ſyluam.*] In *inſulã deſiliuiſſe,* Valerius *& alij ſcribunt, quæ eſt etiam hodie in medio flumine, habens biremis formam. de qua uide* Ouid. *lib. 15.* Metam. *Inſula nomen habet, &c.*

Marlia-

Marlianum lib.6. cap.12. & lib.7.cap. 6. Pub. Victorem in region.14. urbis. In hac autem insu*la,propter* Aesculapium *in agris ægri poneban-tur,& propè eiusdem* Dei *templum erat nosoco-mion,id est ægrotorum sanandorũ locus,eo quod hic* Deus *medicinæ inuentor & cultor esset.*

Vbi templũ cõstitutum.] Dubitasse *doctißimos in omni scientiarũ genere uiros legimus,quam ob causam* Aesculapij *templũ extra* Vrbẽ *conditum sit: An quod foris salubrius quàm in urbe habitare crediderint?* Nã Græci *quoq; in locis eminẽtio ribus,* Aesculapij *templa plerunq; collocarunt.* An *quòd deum ex* Epidauro *accersitũ, in urbem commigrasse existimarunt:cum in* Græcia *quoq; nõ in urbe,sed procul ab* Epidauro *eius templum fuerit. Aut quod uerisimilius est, quod serpens è naui prosiliens, in eundẽ locũ se receperit.* Qua *de re* Plut.*in* Probl.*meminit quoq;* Plin.*lib.29. cap.1.* Verùm Aesculapij *quoq; templũ in hortis* D.*Mariæ nouæ fuisse uersus* Amphiteath. *et pro pe* Concordiæ *templũ, legimus etiã apud* Pomp. Læt.*tit.3.Rom.antiquit.&* Marl. *lib.3.cap.12.*

Pestilentia sedata est.] Hoc *miraculum diuus* Aurelius August. *lib. de* Ciuitate Dei *cap. 3. 12. & 17 .cacodæmonis fraude editum fuisse ait,qui dies noctesq; insidias hominibus struit, et sæpenu mero in reb. pietatẽ redolẽtibus,humanũ fragile*

genus

genus decipit. Vocatus enim idem Aeſculapius anno poſtmodum quadringenteſimo primo ab Vr*be condita, alia peſte apud* Romanos *graſſante, populum à dira labe liberare nõ amplius potuit.*

DE FVRIO CAMILLO.

Cap. XXIII.

FVrius Camillus cum Phaliſcos obſideret, ac ludi literarum magiſter, principum filios ad eum adduxiſſet, uinctum eum ijſdem pueris in urbem redigendum, & uerberandum tradidit. Statim Phaliſci, ſe ei ob tantam iuſtitiam dediderunt. Veios decenni obſidione domuit, deq; ijs triumphauit. Poſtmodum crimini datum, quod albis equis triumphaſſet, & prædam inique diuiſiſſet, die dicta, ab Apuleio tribuno plebis damnatus, Ardeam cõceſsit. Mox cum Galli Senones, relictis ob ſterilitatem agris ſuis, Cluſium †Hetruriæ obſiderẽt, miſsi ſunt Romani tres legati, qui Gallos monerent, ut ab oppugnatione deſiſterent. Ex ijs unus contra ius gentium in aciem

† *al. Italiæ*

pro-

processit, & ducem Senonum interfecit. Quo commoti Galli, petitis in deditionem legatis, nec impetratis, Romam petierunt, & exercitum Romanum apud Alliam fluuium occiderunt die XVI. Calendis Augusti, qui dies inter nefastos relatus, Alliensis dictus. Victores Galli urbem intrauerũt, ubi nobilissimos senum in curulibus, & honorum insignibus primò ut deos uenerati, deinde ut homines, despicati interfecere. Reliqua iuuentus cum Manlio in Capitoliũ fugit, ubi obsessa, Camilli uirtute † liberata est: qui absens Dictator dictus, collectis reliquijs, Gallos improuisos internetiõe occidit. Populum Romanũ migrare Veios uolentem retinuit. Sic & oppidum ciuibus, & ciueis oppido reddidit.

al. seruata

IN CAPVT XXIII.

Huius capitis historias fusius prosequuntur Liuius libro 5. Decadis 1. Florus libro 1. cap. 13. & 12. Plutarchus in uita Camilli, Volaterranus

nus lib. 14. cap. 2. Vrban. com. Petrar. cap. 8. Epitomes, Sabell. lib. 9. Ennead. 3. rapsod. & qui ad finem huius capitis suo loco citantur.

Faliſcos.] *Hetruriæ populos, de quibus Strabo, Plinius lib. 2. cap. 106. & lib. 7. cap. 2. Volaterran. lib. 5. cap. 2. Geographiæ.*

Ludimagiſter.] *Nefandum huius ludimagiſtri, & indignum plane facinus, ſcribunt quoque Claudianus in Gildon. Ductosq; Camillos, &c. Valer. lib. 6. cap. 5. § 2. Front. lib. 4. cap. 4. § 1. Platina lib. 2. de Optimo ciue. Sabell. lib. 10. cap. 4. § 3. Eſt autem perfidiæ, proditionis, & impietatis in diſcipulos exemplum.*

Principum filios.] *quos extra urbem ſpaciatum ſecum duxerat: proditurus non tam honeſto loco adoleſcentes, quàm urbem ipſam.*

Tradidit.] *Iniuria enim uel dolo hoſtes uincere inhoneſtum putabat: cum non fraude, ſed propria uirtute, magnum fortemq; ducem militare deceat.*

Tantam iuſtitiam.] *Rara quidem iuſtitia, quæ in paucis hodie relucet, quam Camillus pluris facere quàm uictoriam uiſus eſt: de qua Valer. lib. 6. cap. 5. § 2.*

Dediderunt.] *miſſis Romam legatis. quorum orationem luculentiſſimam, apud Liuium leges. Ex quo diſces exemplo, animos interdũ ferociſſimos,*

simos, iustitia & beneficentia capi, quorum mœnia expugnari possunt.

Veios.] *urbem Hetruriæ antiquißimam, & ditißimam. de qua Strabo, Plinius lib. 3. cap. 5. lib. 2. cap. 98. & lib. 3. cap. 17. Volaterranus lib. 5. cap. 2. & lib. 38. cap. 8. Vrban. com.*

Decenni obsidione.) In huius *urbis obsidione, primum sub pellibus hyematum, & adactus miles sua sponte iureiurando, nisi capta urbe non remeare. Vide* Florum *lib. 1. cap. 12.* Augustinum *lib. 2. cap. 17. & lib. 3. cap. 17. Antonin tom. 1. tit. 4. cap. 5. § 9. Sed quo die Veios cœperit, pete ex* Plinij *lib. 3. cap. 12.*

Domuit.) De *Camilli in recuperanda urbe clementia, lege* Fulgosum *lib. 5. cap. 1. § 1.*

Albis equis triumphasset.) Quod *nulli antea licuit, de quo triumpho lege* Liuiũ, Plutarchum, Blondum *lib. 10.* Rom. *triumph. Alexand. ab Alexand. lib. 6. cap. 6. qui tres triumphos unà egisse, lib. 1. cap. 22. scriptum reliquit.* Ideo *autem crimini datum est, quòd albis equis triumphasset, quod dijs immortalibus in eo similis esse uoluerit. albis enim equis* Iouem *& Solem uehi, apud* Higinum *legimus, & alibi* Plinius *lib. 33. cap. 7. Camillum minio illitum triumphasse ait.*

Prædã iniquè diuisisset.) Redactis *enim, ut est apud* Plutarchũ, *in ditionẽ* Romanorũ Falerijs,

factaq;

factaq; pace cum omnibus Faliscis, uasa Camillus colligere iußit, atq; (expectantibus prædã militibus) discessit. apud quem deinde despoliorũ expilatione portæ æneæ ex Hetruscis inuentæ sunt.

Ab Apuleio.] Non *Saturnino Apuleio, qui tribunus plebis de agrorũ diuisione legem tulit: de quo infrà cap. 73. Quod ideo admoneo, cum uideã in Schurerianis codicibus* Anno 1512 *Argentinæ impreßis, ab imperito quodã curiosulo, Saturnini nomen insertum esse.* De Lucio autem Apuleio, *Camilli accusatore, lege quoq;* Volaterranum *lib. 13. cap. 4.* Vrban. *com. qui hunc quoque* Apuleium *à Saturnino separat.*

Damnatus.] *Cum quindecim millia æris (tanti namq; pœna finita erat) deessent ærario, qui aßium numerus ad argenti rationem relatus, mille & quingentas drachmas constituit.* Notanda *igitur* Romanorum *ingratitudo erga Camillum, qui incolumitatem suam tueri non ualuit* Romæ, *cuius ipse salutem stabiliuerat, & summam fœlicitatem auxerat. uide* Valerium Maximum *lib. 5. cap. 3. § 2.*

Ardeam.] *Latij urbem, de qua* Plinius *libro 3. cap. 5. & lib. 35. cap. 3.* Mela *lib. 2. cap. 4. uide ea quæ suprà scripsimus in cap. 8.*

Galli Senones.] *Galliæ Celticæ populi inter* Athesim *&* Vsentem, *finitimi* Belgis, *gens natura*

adeò

adeò ferox & terribilis, ut planè nata ad hominũ interitum & urbium stragem uiderentur. de qua Strabo, Plinius lib. 4. cap. 18. lib. 3. cap. 15. Volat. lib. 3. cap. 3. Geograp. Raymundus Marlianus in Iulij Cæsaris commentaria.

Relictis agris.] De Gallorũ Senonũ aduersus Romanos bello, lege Liuium lib. 5. Dec. 1. Plut. in Camillo, & Problem. 24. August. lib. 2. cap. 22. & lib. 3. cap. 17. Ciuit. Oros. lib. 2. ca. 19. Valer. Max. lib. 1. cap. 5. Frontin. lib. 3. cap. 15. Vergil. 8. libro, Atq; hic, &c. Ouid. lib. 6. Fast. Cuncta premebantur, &c. Anton. Tom. 1. tit. 4. cap. 5. § 5. & 9.

Clusium Italiæ oppidũ.] Propè Clauẽ in monte situm, de quo Plinius lib. 36. cap. 13. Volat. lib. 5. cap. 2. Geograph. Legimus autem Gallos Senones à Clusino Arunte ad id bellũ allectos, cum ob corruptam sibi uxorem iratus, iniuriam alio pacto non posset inferre.

Obsiderẽt.] duce Brẽno. Vide Eutr. lib. 1. ca. 13.

Tres legati.] Ex Fabiorum familia tres legatos missos, apud Plutarchum legimus. Alij Cossum Licinium, Valerium Pontium, & Fabiũ Ambustum missos testantur.

Ex his unus.] Q. uidelicet Fabius Ambustus: de quo suprà cap. 20. dictum est.

Contra ius gentiũ.] Ius gentiũ est, quo iure omnes simul gentes utũtur: de quo lege iurisc õsultos.

Romam petierunt.] Duce Brenno, qui ne uideretur Romanos iniuria lacessere, nullis factis incursionibus, conuocato Romæ Senatu bellum indixit.

Exercitum Romanum.] tumultuariè collectū: dici enim uix potest, quàm parum ad bellū Romani eo tempore fuerint parati, quum nec litato, nec auspicato rem gerere coacti sint.

Alliam fluuium.] qui ex Crustuminijs montibus prealto defluens alueo, Tyberi mox miscetur. de qua strage consule paulo antè citatos copiosissimè.

Occiderūt.] Fuit hæc Romanorū clades nō minor, quàm apud fluuiū (ut Flor. ait) Cremeram.

Die 16. Calend. Augusti.] Plutarchus Probl. 24. ex Liuio, post idus Quintiles, quas nunc Iulias uocant, factum esse ait. Alexander autem ab Alexandro, paulo apertius loquens, atros dies post Idus Quintiles ad 15. Calen. Sextiles duplici clade insignes, quo ad Cremeram Fabij cæsi, & quo ad Alliam fœdè Romani à Gallis fugati fuêre, notatos existimat, lib. 4. cap. 20.

Inter nefastos relatus.] Huius rei testes sunt, Ouidius, Hæc erat in fastis cui dat grauis Allia ripis, &c. Et Lucanus, & damnata diu Romanis Allia fastis, &c. Vergilius libro 7. Quosq; secans infaustum, &c. Sed de diebus fastis & nefastis plura di-

ta diximus suprà capite 14.

Victores urbem intrarunt.] Liuius Gallos uictoria potitos è uestigio Romam properasse, atque ante solis occasum urbem intrasse scribit. Plutarchus autem, tertio demum post pugnã die, Romam uenisse ait.

Nobilißimos Senum.] Ita enim legendum est, & non nobilißimos Senonum, ut in alijs codicibus legimus. Hanc autem historiam leges etiam apud Valerium Max. lib. 3. cap. 2. § 7.

Curulibus.] Sellis, quibus gestebantur prætores, cõnsules, ædiles, qui ius dicebant, unde & Curules magistratus dicti sunt. qua de re copiosè Fenestella & Pomponius de Roman. magist. & Alexand. ab Alex. lib. 4. cap. 11. ubi de C. Duillio, & M. Valerio Volesi filio, qui sella Curuli ob rem bene gestam à S. P. Q. R. donati sunt.

In Curulibus.] scilicet pro more sedentes. Sedentes enim consultabant & assentiebantur Senatores Romani, teste Alexan. ab Alex. eodem loco.

Honorum insignibus.] Honorum insignia erant, toga prætexta, sella curulis, ius imaginis in memoriam posteritatis, uestis purpurea, &c. Eodem authore.

Venerati.] Senectuti enim etiã inter hostes atrocißimos honos debetur et reuerẽtia. Apud antiqßimos tamen Romanorũ, neq; pecuniæ præstantior

honos tribui, quàm ætati solitus. Maioresq; natu à minoribus colebãtur, ad deûm propè et parentũ uicẽ. Atq; in omni loco, inq; omni specie honoris priores potioresq; habiti. Vide Gel. lib. 2. cap. 15. & Valer. Max. lib. 2. cap. 1. § 6.

Interficere.] A' Marco Papirio, uel (ut Valerius lib. 3. cap. 2. uocat) Marco Attilio, sumpto exordio, qui Gallo promissam sibi barbam permulcenti, scipione eburneo in caput percusso, iram Gallis mouisse dicitur, ut copiosè apud Liuium et Plutarchum leges.

Reliqua iuuentus.] quam uix mille hominum tum fuisse, ex Eutropio constat: cui astipulatur quoq; Otho Phrisingens. lib. 2. cap 21.

Manlio.] Qui deinde ob seruatum ab hostibus Capitolium, Capitolinus cognominatus est. de quo capite proximo.

Camilli uirtute.] Qui primò Gallis summa annonæ penuria laborãtibus, & peste fœdißima morientibus, frumenta intercepit: & deinde quoque hostes iter sexaginta stadiorum ab urbe profectos, haud longè à uia Sabina, ita fudit, ut (teste Liuio) ne nuncius quidem cladis relictus sit.

Absens.] Frontinus lib 3. cap. 13. § 1. scribit Romanos in Capitolio obsessos, ad Camillum ab exilio reuocandum, Pontium Cominium misisse, qui ut stationes Gallorum falleret, per saxũ Tarpeiũ demissus

demissus est. Cuius rei quoque mentionem faciunt Plin. lib. 7. cap. 28. Vegetius lib. 4. cap. 26. de re militari.

Dictator dictus.] *Absentes autem nunquã hactenus* Dictatores *dixêre* Romani, *qui semper in foro* Romano, *oriente nocte & silentio, dicere cõsueuerunt, teste* Alexand. *ab* Alex. *lib. 4. cap. 23. ubi de* Dictatoris *summo imperio & potestate multa leges, & apud* Fenestel. *cap. 8.* Pomp. Læt. *cap. 16. de* Rom. *magist.* Dionys. *lib. 5. in fine,* Liuium *lib. 3.* Dec. 1. *&c.*

Occidit.] *Scribit* Eutropius, Camillum *fusis iam* Gallis, *tertiò triumphantem* Romam *ingressum, & ob uirtutem qua solus patriam liberauerat, secundum* Romulum *appellatum esse.*

Migrare uolentem.] *Cum urbe, aliqua ex parte ab hostibus deuastata, habitandi locus non omnibus esset.*

Retinuit.] *Luculentissima ad populum habita oratione, quæ extat apud* Liuiũ *lib. 5. ab* Vrbe *condita: Adeò mihi acerbæ sunt, &c. ad finem usque eius libri. Est autem pietatis exemplum in patriam.*

DE MANLIO CAPITOLINO.

Cap. XXIIII.

MAnlius ob defensum Capitolium, Capitolinus dictus, sex

decim annorũ uoluntariũ militem ſe obtulit. Triginta ſeptem militaribus donis à ſuis ducibus ornatus, uiginti treis cicatrices in † pectore habuit. Capta urbe author in Capitolium fugiendi. Quadã nocte clangore anſeris excitatus, Gallos aſcendẽteis deiecit. Patronus à ciuibus appellatus, et farre donatus eſt. † Donũ etiam in Capitolio publicè accepit. Qua ſuperbia elatus, cũ à ſenatu ſuppreſsiſſe Gallicos theſauros argueretur, & addictos propria † manu liberaret, regni affectati ſuſpiciõe in carcerem coniectus, populi conſenſu liberatus eſt. Rurſus cum in eadẽ culpa & grauius perſeueraret. et reus factus, & ob conſpectũ Capitolij ampliatus: alio deinde loco damnatus, & de ſaxo Tarpeio precipitatus. Domus diruta, bona publicata. Gentilitas eius Manlij cognomine iurauit, ne quis poſtea Capitolinus uocaret.

al. corpore

al. domum

al. pecunia

IN CAPVT XXIIII.

Manlius ob defenſum.] De Manlij Capitolini rebus

rebus gestis, Liu. li. 5. et 6. Dec. 1. Plin. lib. 7. ca. 28. Flor. lib. 1. cap. 13. et 26. Plutarch. in Camillo, Eutrop. lib. 2. cap. 13. Valer. Max. lib. 6. ca. 3. § 1. Vergil. lib. 8. In summo custos, &c. Sabel. lib. 1. Ennead. 4. Rap. Volater. lib. 17. cap. 1. Vrban. com.

Defensum Capitolium.] obsessum à Gallis Senonibus, qui statim post stragem ad Alliam fluuium editam Romam properauerant.

Sexdecim annorum.] Constat enim Romanos nullum minorem XVII annorum, aut XLVI maiorē militiæ, aut tyrocinio ascribi uoluisse, idq; à Seruio Tullio uetere censione cautum fuisse primū, quod deinde quoq; æuo subsequente à C. Graccho lege sacrata sancitum fuit: & hanc nimirum ob causam, quòd citra eam ætatem, aut suprà, uelut immaturos, aut præduros, & effœtos, militiæ rudimentis minime idoneos putarint. Vide Alexand. ab Alex. lib. 1. cap. 20.

Triginta septē militarib. donis.] De militaribus donis lege Alexan. ab Alex. lib. 4. ca. 18. Blond. lib. 6. Rom. triumph. Gel. lib. 5. cap. 6. & Plin. lib. 33. cap. 2. & lib. 7. cap. 28. lib. 22. cap. 5. &c.

Viginti tres.] Sic ubiq; legimus, etiā in uetustissimis nostri autoris codicib. Sed ex Plin. lib. 7. cap. 28. triginta tres, legendum est. Cuius hæc sunt uerba: Ante uiginti duos annos bina cœpit spolia, primus omnium eques coronam muralem accepit,

ſex tunicas, triginta ſeptem dona à ſuis imperatoribus, triginta tres aduerſo corpore cicatrices accepit, &c. Cui aſtipulantur quoque ex recentioribus, Pontanus *de* Fortitudine *heroica lib.1.cap. ultimo,* Fulgoſus Genuenſis *lib.3.cap.2.§3.*

In corpore.] in pectore, quas deinde damnatus, ſciſſa ueſte oſtendit, ut iudicem & plebem ingratitudinis uitio notaret.

Capta.] incenſa à Gallis Senonibus *urbe.*

Clangore anſeris excitatus.] Eſt *enim hoc animal natura pauidum, ac ſenſu audituq; acerrimum, ut eſt apud* Plinium *lib.10.cap.22. & libro 29.cap.3.*Volat.*lib.25.cap.11.*Huius *autem hiſtoriæ meminit quoq;* Maro *lib. 8.* Atq; *hic auratis, &c. &* Alexand.*ab* Alex.*lib.6.cap.11.* Verùm *et illud quoque obiter notandum eſt,* Romanos *uolentes repēdere id beneficij genus, longo pòſt tempore non tantum è publico anſeribus cibum dediſſe, uerùm etiam aurea anſerum ſimulachra feciſſe, ac ut deos coluiſſe, ut eſt apud* Pliniū *ut ſuprà, &* Marlianum *lib.2.cap.9.*Topograph.

Gallos *aſcendentes deiecit.]* Manlius *propria manu duos deieciſſe dicitur, quorum alterū eleuantem bipennem, cæſa manu obtruncauit aſcendentem: alterū umbone percuſſum, retrò per petram præcipitem dedit, donec alij concurrerēt* Romani.

Patronus

Patronus.] *defensor, custos, tutor & conser uator ciuium & urbis dictus est.*

Farre donatus est.] *Vniuersi quippe qui in Capitolio erant, selibras farris, & quartarios uini, suo quisque se uictu fraudans, ad Manlij aedes ferebant. Memorabile gratitudinis exemplum.*

Donum.] *Alij legunt domum. Eius quoq; domum in Capitolio fuisse, Liuius ait, & Marlianus lib.2.ca.10. in eo uidelicet loco, ubi auguria à Numa olim fiebant, & postea Iunonis Monetae templum extructum fuit.*

Superbia elatus.] *Secundas enim res plerũq; comitatur superbia.*

Sumpsisse.] *Alij suppreßisse.*

Gallicos thesauros.] *Praedam Gallicam, uel aurum quod pro Capitolij redemptione in medium fuerat collatum.*

Addictos.] *Addicti apud ueteres dicebantur, qui praetoris iussu, cum soluendo non essent, creditoribus uendebantur. Vide Vallam libro 5.*

Propria manu.] *Alij propria pecunia, quod melius est, legunt.*

In carcerem coniectus.] *À Furio scilicet Camillo, quem multis conuicijs incesserat, superiorem se ducens. Est autem praeclarum ingratitudinis exemplum.*

Populi.] *multitudinis, cuius neq; oculi, neq; aures eam indignitatem ferre potuerunt.*

Grauius perseueraret.] *Dimissus enim (ut apud Plutarchum legimus, ex carcere, nihilo modestior fuit, sed multo insolentius factiones, seditionesq; agitauit.*

Reus factus.] *Marco Menenio & Quinto Publio eum accusantibus.*

Ob conspectum Capitolij.] *Reus factus Manlius, manus extendit, lachrymasq; effundens Capitolium aspicere iussit, quod ab hostibus sua uirtute liberauerat. Quo facto, iterum liberatus est. Notandum autem ex hac historia, quantum habeat momenti uenusta actio, atque pronunciatio. Vide Fulgosum libro 8. cap. 10. § 1. Rerum memorabilium.*

Alio deinde loco.] *Ad lucum uidelicet Petilinum, ubi non erat aspectus ad Capitolium. fuit enim in Campo Viminali, sub aggere, propè Iunonis Lucinæ templum hic locus: ut est apud Publiũ Victorem in Regione urbis 5.*

Damnatus.] *Atrocißimam hanc accusationẽ fuisse, ex eo facilè liquet, quod nõ tam tẽpus, quàm locus impedimento fuerit. Quum, ut Liuius & alij testãtur, quadringẽtos circiter ciues in medium produxerit, quos creditoribus addictos, gratuita pecunia nexu liberauerat: triginta sua spolia pertulerit,*

tulerit, ciues ab hostibus eius uirtute seruatos produxerit, pectus suũ uulneribus infinitis confossum & deformatum nudauerit, Iouis demum Maximi *aliorumq; deorum auxilium implorauerit*. Qua de re copiose Liuius.

De Tarpeio præcipitatus.] *Tarpeia rupes, uel* Tarpeius *mons, locus est in urbe altißimus, ex quo sontes præcipitabantur: ex quo Zoilus quoque, quòd principem poetarum canino morsu lacerasset, præcipitatus est*. Vnde etiã hodie in eo loco *damnati puniuntur, suprà forum* Romanum. Qua de re lege Alexan. ab Alex. *lib.3.cap.5*. Cæliu*m lib.10.cap.5*. Marlianum *lib.2.cap.8.* & Liuium *lib.6*. Meminit quoq; Horatius *lib.1*. Sermon. *Satyr.6*. Deijcere è saxo ciues, &c.

Domus diruta.] *Demoliebantur enim apud* Romanos *priscos damnatorum ædes, & illorum quoq; bona propter criminis detestandum facinus publicabantur, ac publicis usibus destinabantur*. Qua de re lege copiose Alexandrum ab Alex. *lib.3.cap.23*.

Ne quis Capitolinus uocaretur.] Liuius *lib.6*. *scribit mortuo iã* Manlio, *duas adiectas præterea notas, quarũ una publica, uidelicet ne quis patricius in arce uel* Capitolio *in posterum habitaret*. Gentilicia *altera, ex gentis Manliæ decreto, ne quis deinde* Marcus Manlius *uocaretur*. Cui

quoq;

Legatos.] Caium Fulcinium, Cæliũ Tulliũ, Spurium Antiũ, & L. Roscium, quibus deinde post cædes statuæ pro Rostris sunt positæ, in prima Exquiliarũ parte: teste Liuio, & Plin. lib. 34. cap. 6.

Ad se missos.] noui cõsilij causam sciscitaturos.

Interfecerunt.] Contra ius gentium. Legationem quippe perinde ut rem sacram ueteres habuerunt, cui deum Mercurium (quem deorũ nuncium finxit uetustas) præficiebãt. Ideoq; si qui legati populi Romani, qui iure gẽtium sancti sunt, à quouis populo aut natione uiolati forẽt, ut hi dederẽtur, qui cõtra ius gentium temere uiolassent, per Fœciales cauebatur. Qua de re lege Alexandrum ab Alexandro lib. 5. cap. 3.

Quintius Cincinnatus.] De cuius patre lege copiose Liuium lib. 4. Dec. 1. et lib. 2. Dec. 1. Flor. lib. 1. cap. 11. Plin. lib. 18. cap. 3. August. lib. 5. ca. 18. Ciuit. Oros. lib. 2. ca. 12. Eutrop. lib. 1. ca. 11. Volat. lib. 17. ca. 1. Vrban. com. Plin. quoq; suprà cap. 17.

Dictator missus.] Liuius lib. 4. Mamercũ Aemilium tum temporis dictatorem dictum esse, & Q. Cincinnatum filium magistrũ equitum fuisse, memoriæ prodidit.

Quintius Cincinnatus.] Iunior, teste Liuio. Est autem Quintius, & non Quintus legendum, ut alia habent exemplaria.

Magistrum equitum Cornel. Cossum.] Titus Liuius

Liuius Romanæ historiæ princeps, omnes ante se authores, Cornelium hunc Cossum, tribunum militum fuisse: quos ita erroris redarguit, quòd aliquando ex Augusto principe audiuisset, in Feretrij Iouis templo legisse se in linteo thorace, Cornelium Cossum consulem opima spolia post Romulum dedicasse. cui lubens quoq; Liuius astipulatur, argumento ductus non inepto, quod paucis ille annis (ut ex annalibus quibusdam liquet) Consul fuit, tribunus militum, consulari potestate, & magister equitum, ut non in Mamerci dictatura (quæ his est temporibus interiecta) sint Larti spolia opima detracta: sed Cornelio Cosso, aut consule, aut (quod magis placet) consulari potestate fungente.

Cornelium Cossum.] *De cuius militari fortitudine lege Liuium lib.4.Dec.1. Plutarch. in Romulo, Plin.lib.16.cap.5. Valer. Max.lib.3.cap. 2. § 4. Sabellicum lib.5. Enned.3.Rapsod. Volater. lib.14.cap.2.& lib.6.cap.1. Vrban.com.*

Cossum.] *Festus, eos qui rugosi sunt & aspera facie, Cossos uocari scribit, à similitudine uermium, qui ligno nutriuntur, & apud Phryges Pontiq; accolas (teste Plinio lib.17.cap.24.) pro delicatißimis cibis sumuntur. & hinc quoq; Cossutia Cæsaris uxor dicta est, cuius Tranquillus in Cæsare meminit.*

Lartem

Lartem Tolumnium.] *Ita enim ex Liuio & alijs, & non Volumnium, ut quædam habent exemplaria, legendum est.*

Ducem.] Regem Veientum uocat Liuius, & Alexander quoq; ab Alexandro lib. 1. cap. 14. cuius iussu & instinctu Romanorum legati contra ius gentium sunt interfecti.

Interfecit.] *eques cuspide ad terrã fixit, caput abscidit, hastæq; gratulabundus infixit, ut uiolati fœderis, et cõtẽpti iuris gentiũ, dignas pœnas lueret.*

Spolia opima.] *Cum opima spolia à maioribus ea nuncupata sint, quæ dux duci detraxisset, nec ducem nisi eum cuius auspicijs res gererentur appellari uulgo receptum sit, uideri possunt haud ritè ea opima dici, quæ magister equitum, non dictator, non consul, alius'ue magistratus, cuius auspicia essent, Ioui dedicasset. Sed hoc dubium ex loco Liuij paulo antè citato facile soluitur, qui Cossum eo tempore consulem, nõ equitum magistrũ, uel tribunum militum fuisse ait.*

Feretrio.] *Ita enim, & non Pheretrio legendum est: cuius templũ fuit in uertice Capitolini mõtis à* Romulo *post bellum* Ceninensium *extructũ. Qua de re copiose diximus suprà cap. 2.*

Secundus à Romulo.] *Ter enim tantũ spolia opima Ioui delata legimus. Primũ à* Romulo *urbis parente, cum Acronẽ uicit. Deinde post Romulũ trecen-*

trecentißimo decimotertio anno à Coſſo noſtro, uictoLaerte. Vltimò à M. Marcello, qui Gallorum ducem fudit. Teſte Plutarcho in Romulo, & Alexan. ab Alex. lib. 1. cap. 14.

DE PVBLIO DECIO PATRE.

Cap. XXVI.

DEcius Mus bello Samnitico ſub Valerio Maximo & Cornelio Coſſo cōſulibus, tribunus militum, exercitu in anguſtijs Gauri montis inſidijs hoſtium clauſo, accepto quod poſtulauerat præſidio, in ſuperiorem locum euaſit, hoſteis terruit. Ipſe intempeſta nocte per medias cuſtodias ſomno oppreſſas incolumis euaſit. Ob hoc ab exercitu ciuica corona de quercu, quæ dabatũ ei qui ciueis in bello ſeruaſſet: obſidionali, quę dabatũ ei qui obſidione ciues liberaſſet, donatus eſt. Conſul bello Latino, collega Manlio Torquato, poſitis apud Veſerim fluuiũ caſtris, cũ utriq; cōſuli ſomnio obueniſſet, eos uictores futuros q̊rũ dux in prælio cecidiſſet, quũ collato cum collega

collega ſomnio cõueniſſet, ut cuius cornu in acie laboraret, dijs ſe manibus uoueret†inclinante ſua parte, ſe al. inclinata & hoſteis per Valerium pontificem dijs manibus deuouit. Impetu in hoſteis facto, uictoriam ſuis reliquit.

IN CAPVT XXVI.

Bello Samnitico.] *Samnites Italiæ populi inter Picenum, Campaniam & Apuliam: de quibus Strabo lib. 5. Plin. lib. 3. cap. 12. Romanis nunquam non inſultantes, quibus cum perpetuò ferè bella geſſerunt, ut omnes ferè Romanorum hiſtoriæ docent, & Volaterranus quoq; lib. 6. cap. 5. & lib. 38. cap. 8. Vrban. comment. locupletiſſimus teſtis eſt. De huius autem gentis natura & moribus, Florus lib. 1. cap. 16.*

Sub Valerio Maximo.] *Sic enim in omnibus codicibus legimus. Sed Marco Valerio Coruino ex Liuio & alijs legendum eſt. Liuij autem uerba hæc ſunt, lib. 7. Dec. 1. Ex interregno, ut id actum uideri poſſet, ambo patricij conſules creati ſunt, Marcus Valerius Coruinus 3. & Aulus Cornelius Coſſus, &c. ijs enim conſulibus bellũ Samniticum geſtum eſſe conſtat, Anno uidelicet quarto, Olympiad. 109. ab Vrbe uerò condita, 412.*

Tribunus militum] De Tribunorum militum electione & potestate, Liuius lib. 4. Fenest. cap. 16. Pomp. Laet. cap. 19. de Rom. Magist. Alexand ab Alex lib. 5. cap. 2. Veget. lib 2. cap. 12.

Gauri montis.] Campaniae scilicet, prope oppidum Bacchi, & Vulturnum fluuium, qui priscum adhuc retinet nomen. Vide Volaterranum lib. 6. cap. 6 Geographiae.

Accepto praesidio.] acceptis non plus quàm unius legionis principibus & hastatis.

Postulauerat.] A` Cornelio Cosso consule.

Intempesta nocte] in secunda, ut alij scribunt, noctis uigilia. Milites quippe, cum nimis longum esset, totam per noctem agere excubias, in quatuor uigilias noctem diuidebant, quorum prima à noctis principio usque ad initium quartae horae inaequalis producebatur, secunda à fine tertiae horae ad mediam noctem durabat, tertia inde ad nonae horae terminum, quarta ad auroram & ortum usque solis. De diuisione autem noctis, uide Alexandrum ab Alexand. lib. 4. cap. 20. Ioachimum Ringelpergium Antuerpianum de Tempore. De castrorum autem uigilijs Alexandrum ab Alexand. lib. 1. cap. 12.

Incolumis euasit.] Hoc stratagema copiosius leges apud Liu. & Front. lib 4. cap. 5. § 9. et lib. 1. cap. 5. § 13. De euadendo ex locis difficillimis.

Ciuica

Ciuica corona.] *Ciuica corona ex querna fronde fiebat, quæ præ cæteris maximi fuit ornatus, cui cedebant aureæ, Murales, Castrenses, atque Rostratæ: cuius proprium erat ius, ut illa donatos perpetuò eam gestare liceret, & ludos ineunti à populo & Senatu uniuerso assurgeretur, ius spectandi inter senatores, munerum uacatio sibi patriq; & auo paterno concedebatur. Vide* Alexand. ab Alexand. *lib. 4. cap. 18.*

De *quercu.*] *Ciuicam coronam ideo è fronde querna fieri solitam, apud Gellium libro 5. cap. 6. legimus, quòd cibus, uictusq; antiquissimus querceus capi solitus sit. Fiebat tamen ex* Ilice *etiam, quod genus superiori proximum est. postea quoq; maxime placuit ex esculo,* Ioui *sacra arbore fieri: uariatumq; hoc cum quercu est, custodito tamen honore glandis. Vide copiose ea de re Plinium lib. 6. cap. 5. Massurium Sabinum lib. 11. Rerum memorabilium.*

Qui ciuem in bello seruasset.] *Ciuica corona ijs tantum dabatur, qui ciuem seruassent, & eodem quoq; tempore hostem occidissent, neque locum in ea pugna reliquissent, ut testis est idē Massurius apud Gellium, loco citato.*

Obsidionali.) *De obsidionali corona, quam ij qui liberati obsidione, dabant duci qui liberauerat, diximus suprà cap. 17.*

Consul.] *Valerius Maximus hunc Decium, primum consulatum in suam familiam intulisse dicit, quem gesßit anno tertio Olympiad.* 110. *ab Vrbe uerò condita,* 415.

Bello Latino.] *De quo Liuius lib.* 8. *Flor. lib.* 1. *cap.* 14. *Oros. lib.* 3. *cap.* 9. *Eutrop. lib.* 2. *cap.* 1. *Val. Max. lib.* 2. *cap.* 2. *Huius autem belli causa hæc fuit, quod Latini qui noluerant milites dare, hoc quoq; à Romanis exigere cœpissent, ut unus consul ex eorum, alter ex Romanorum populo crearetur: quod cum esset negatum, bellum Romanis intulerunt, Anno, secundum Oros. & Eutrop. quadringentesimo nono, Vrbis conditæ.*

Veserim.] *Valerius Maximus lib.* 1. *cap.* 7. § 2. *non procul à Venusini montis radicibus castra posuisse scribit, & Liuius lib.* 10. *Dec.* 1.

Somnio obuenisset.] *Hoc somnium habes apud Valerium quoq; Maximum lib.* 1. *cap.* 7. § 2. *& Franciscum Petrarcham lib.* 4. *tractat.* 4. *cap.* 3. *Rerum memorabilium.*

Quorum dux cecidisset.] *Apud Valerium legimus, utrosque somno certiores factos, ex altera acie imperatorem, ex altera exercitum Dijs manibus matriq; terræ deberi. Vtrius autem dux copias hostiũ aggrederetur, superq; eas sese ipsum deuouisset, uictoriam habiturum.*

Dijs manibus se deuouit.] *Deuotionis summa hæc*

hæc erat. Iane pater, Mars Quirine, Bellona, La- *res*, Diui Nouensiles & Indigetes, *Diui quorum est potestas nostrorum hostiumq́;, Dij manes, uos precor, ueneror, ueniam peto, uti populi* Ro- *mani* Quiritium *uim uictoriamq́; prosperetis, hostesq́; populi* Romani, *terrore, formidine, ac morte afficiatis*. Ego, *sicut uerbis nuncupaui, ita pro* Rep. Quiritum *legiones, auxiliaq́; hostium mecum dijs manibus deuoueo*, &c.

Per Valerium Pontificem.] *Vota enim, nisi ar- bitratu & cæremonijs quibusdam pontificũ fie- rent, irrita uidebantur*. Verùm *quæ uota olim so- lennia fuerint apud* Romanos, & *quæ apud ex- teros, qui'ue uota concipere*, & *quomodo soliti sint, lege* Alexand. *ab* Alexand. *lib*. 3. *cap*. 22.

Victoriam suis reliquit.] De *Decij facto, quo insignem suam in patriam pietatẽ declarauit, co- piose Liuius lib*. 8. Dec. 1. Florus *lib*. 1. *cap*. 14. Plinius *lib*. 22. *cap*. 5. Plutarchus *cap*. 37. Parall. & Aristides *Milesius de rebus* Italicis, Valerius Maximus *lib*. 1. *cap*. 7. § 2. & *lib*. 5. *cap*. 6. § 6. August. *lib*. 3. *cap*. 18. *Ciuitat*. Antoninus Tom. 1. *tit*. 4. *cap*. 5. § 10. *Sabell*. *lib*. 4. *Ennead*. 4. & *lib*. 2. *cap*. 5. § 4. *et lib*. 8. *cap*. 1. § 4. *Ethnicorum exemplor*. Plat. *lib*. 1. *de* Optimo *ciue*, Volater. *lib*. 15. *cap*. 1. *Vrb. com*. Pet. *cap*. 11. Epitomes, Claudian. *de quarto consulatu* Honorij, & *alij*.

DE PVBLIO DECIO FILIO.

Cap. XXVII.

PVblius Decius Decij filius, primò Cõsul de Samnitibus triumphauit, spolia de ijs Cereri consecrauit. Iterum & tertiò consul multa domi, militiæq; gessit. Quarto consulatu cum Fabio Maximo, cũ Galli, Samnites, Vmbri, Tusci contra Romanos conspirasient, ibi exercitu in aciem ducto, & cornu inclinante, exemplum patris imitatus, aduocato M. Liuio pontifice, hastæ insistẽs, & solennia uerba respondens, se & hosteis dijs manibus deuouit. Impetu in hosteis facto, uictoriam suis reliquit. Corpus à collega laudatum, magnificè sepultum est.

IN CAPVT XXVII.

Primo Consul.] *cum Marco Valerio Maximo, Anno uidelicet tertio centesimæ decimæseptimæ Olympiad. ab Vrbe uerò condita, 443.*

Samnitibus.] *De quibus diximus suprà cap. 14. & 16.*

Triumphans.] *Alij legunt triumphauit.*

Cereri.

Cereri.] *Ceres Proserpinæ mater, Saturni & Opis filia, dea frugum fingitur, cuius templũ ab Arcadibus extructũ, in Capitolio uel Pallatio erat, de quo Marl lib.3.cap 2 Topograp.* & *Plin. lib.35.cap.12. Cuius sacrũ à solis matronis fiebat annis singulis, ueste alba indutis. quod tum demũ dijs gratũ esse censebãt, si à lætis, sobrijs, nec funere pollutis celebraretur. De huius sacris Plin. lib. 24.cap.9. Alex. ab Alex. lib. 6.cap.19.* & *Cæl. Rhodig. lib.22.cap.3.* Adde quoque ea quæ sunt apud Boccatiũ in geneal. deorũ, & Higin. lib.2. cap.15. Poeticon Astrol. & fabula 277. & 275.

Iterum.] *id est secundò consul, cum Q. uidelicet* Fabio Rutiliano, *tertiò consule, Olympiade 118. ab Vrbe uerò condita,* Anno 446.

Tertiò consul.] *cũ eodẽ* Fabio *quartò tum consule, anno 4. 120. Olymp. ab V. aũt cond. 456.*

Quartò consul cum Fabio.] *quintò iam consule, anno secundo 121. Olympiadis, ab Vrbe uerò condita 458 secundum Glareanum nostrum: Eutropium uerò lib.3.cap.21. anno 450.*

Maximo.] *Maximus, ob peculiares uirtutes insitas, cognominatus est, qua de re Plutarchus in eius uita,* & *Plinius infrà cap.43. Factum autem est anno ab Vrbe condita, 450.*

Galli, Samnites.] *fortißimi & flor[...]ßimi Italiæ populi, de quibus suprà suis locis a[...]s.*

p 4 Vmbri.

Vmbri.] *Qui in Sabiniæ ac Thusciæ medio iacent, montesq; transgreßi usq; ad Arminiũ Rhauennamq; procedunt, teste Strabone lib. 5. Plinio libro 3. cap. 14. & 5. Solino cap. 8. Polyhistor. Volaterrano lib. 6. cap. 2. Geographiæ. Hodie autem ea Italiæ pars, ducatus Spoletanus appellatur.*

Thusci.] *Qui campos usque ad amnem Tyberim poßident, & quos ad solis ortum maximè fluuius alluit, donec pelagus intret. De quibus copiose Strabo lib. 5. Plinius lib. 3. cap. 5. Solinus cap. 8. Volaterr. lib. 5. cap. 5. Geograph.*

Conspirassent.] *Horum erant 140. millia peditum, equitum uerò 330. ut refert Liuius & Eutrop. lib. 2. cap. 3.*

Cornu inclinante.] *Deficiente Romanorum exercitu, qui ingenti equorum & rotarum strepitu territus, fugam iam adornabat.*

Exemplum patris.) *Publij Decij Muris, qui in bello aduersus Latinos, uel (ut Plutarchus cap. 37. Parallelorum ait) Albanos, pro exercitu & salute patriæ dijs infernalibus se deuouit, ut cap. 26. in fine dictum est.*

Patris exemplum imitatus.) *Plerunq; enim filij parentum suorum uestigijs insistunt. uide prouerb[illegible]. Patris filius est.*

Aduocato pontifice.) *ut carmẽ deuotionis pro*

more

more recitaret, cuius carminis meminit Plinius *quoq; lib.28. cap.1. meminimus & nos ex* Liuio, *suprà cap.26.* Iane pater,*&c.*

Hastæ insistens] *Pro patria enim se deuouentes, pontificis iussu, prætexta toga induti, super hastas pedibus subiectas stantes, deuotionis solennia uerba pronunciabant, ut ex* Liuij *lib.8.* Dec. 1.*colligimus.*

Dijs manibus deuouit.] Cicero Tusculanarũ *quæstionum lib. 1. ait tres* Decios *fuisse, qui pro salute patriæ uitam amittere, magno uirtutis edito exemplo uoluerint, ex quibus pater* Gallico, *filius* Hetrusco *bello, nepos in bello* Pyrrhi *quod pro* Tarentinis *gessit, dijs manibus sese deuouerunt. Sunt autem manes boni dij appellati, teste* Festo Pompeio, *ex* Aurelij *sentẽtia, quòd per hos omnia manere putarent: quibus aram non à terra sublimem, sed sub effossa humo statuebãt ueteres, ad quã ex præcepto* Sibyllini *carminis, altero & quinquagesimo anno ab* Vrbe *cõdita, sacra & ludos institutos memorant. Quibus autem uictimis, quibus'ue cæremonijs manibus dijs ac infernalibus sacra fecerint, lege copiosè apud* Alexand. ab Alexand. *lib.5. cap.24.*

Deuouit.] *In Sentinati agro, ut testatur* Sabellicus *lib.8. cap.1. exemplorũ ethnic.* § 4. De Decij *autem memorabili facto, quo salutẽ patriæ*

peperit, leges quoq; apud Valer. Max. lib. 5. cap. 6. § 7. Sabell. lib. 7. Ennead. 4. Rapsod. & lib. 2. ca. 5. § 4. Exemplor. ethnic. Volater. lib. 15. cap. 1. Platinam lib. 1. de Optimo ciue. Omnes autem huius capitis historias leges apud Liuium lib. 10. Dec. 1. Oros. lib. 3. cap. 21. Eutrop. lib. 2. cap. 3.

Victoriã suis reliquit.] *In eo prælio 40. millia Samnitum siue Gallorum cæsa, Romanorũ uerò 7. millia, ex Decij tantummodo parte, extincta referuntur.*

Corpus.] *Postera demũ die (ut Liuius testis est) inter cadauera militum interfectorum, inuentum, & militum Romanorum lachrymis in urbem relatum.*

A collega.] *Fabio Rutiliano, uel Maximo.*

Laudatum.] *ita enim, & non Delatum (ut alia habent exemplaria) legendum est. Scribit enim Liuius, Decij corpus à militibus Romam delatũ, & deinde à Fabio eius funus omni honore, laudibusq; meritis celebratum esse. De qua consuetudine Dionys. Halicar. lib. 5. Blondus lib. 2. Rom. triumph. Alex. ab Alex. lib. 3. ca. 7. & lib. 4. ca. 8.*

Magnificè sepultũ.] *Inter præclara enim ueterum instituta, illud in primis commendatione dignum, quod quorum uita fuisset perspectior, eorum quoq; funera magnificentius prosequerentur. Lege Alexand. ab Alex. lib. 6. cap. 14. Iouianum*

num Pontanum de Magnificentia cap. 15. Sabell. lib. 10. cap. 14. & 15.

DE TITO MANLIO TORQVATO.

Cap. XXVIII.

TItus Manlius Torquatus ob ingenij & linguæ tarditatem, à patre rus relegatus: cum audiſſet ei diem dictam à Pomponio Trib. pl. nocte urbem petijt. Secretum colloquium à tribuno impetrauit: & gladio ſtricto, dimittere eum accuſationem, terrore multo, compulit. Sulpitio dictatore tribunus militum Gallum prouocatorē occidit, torquem ei detractum ceruici ſuę induit. Conſul bello Latino filium ſuum, quòd contra imperium pugnaſſet, ſecuri percuſsit. Latinos apud Veſerim fluuium Decij collegæ deuotione ſuperauit. Conſulatū recuſauit, quòd diceret neq; ſe populi uitia, neq; illum ſeueritatem ſuam poſſe ſufferre.

IN CAPVT XXVIII.

Titus.] Cic. lib. 3. Officiorū, qui omnē huius capitis hiſtoriā proſequitur, filium Luciū, patrem uerò

uero Aulum Manlium appellat. cap. 11. ubi de fortitudine disputat, cui cõsentit Eutrop. quoq; lib. 2. cap. 1.

Ob linguæ tarditatem.] Vnde domesticis & Reipub. usibus inutilis uidebatur. De eius autem relegatione, lege Liuiũ lib. 7. Dec. 1. Valer. Max. lib. 6. cap. 9. § 2. Sabell. lib. 3. Ennead. 4. rapsod. Volaterran. lib. 17. cap. 1. Vrban. com.

Patri diem dictam.] Partim eam ob causam, quòd bellum Hernicum affectans, delectu acerbo iuuentutẽ agitasset: partim quòd in dictatura iam ablata, impiè in Pomponium, reliquam iuuentutem, atq; filium proprium egisset. Est autem facta hæc accusatio, Seruilio Hala & Lucio Genutio Consulibus.

Colloquium impetrauit.] Quasi accusator ob factam sibi à patre iniuriam, & non ultor esse uellet.

Gladio stricto compulit.] Apud Ciceronem legimus, Manliũ in conspectu Pomponij (qui tum solus & inermis fuisse dicitur) iurasse, se illũ confestim interfecturum, nisi iusiurandum sibi daret, se patrem missum esse facturum. quo dato, statim dimisit, & rem ad populum detulit, indicans cur sibi à causa desistere necesse esset. Tantum tempoporibus illis ualebat, etiam metu extortum iusiurandum. Est autem Manlius præclarum pietatis

in pa-

in parentes etiã plus æquo seueriores exemplum. Vide Sabellicũ lib.3.ca.7.§3.Exemplor.ethnic. Valer.lib.5 cap.4.§3.

Gallum.] Quem Orosius Metium, Valerius autem Maximus Geminium Metium Tusculanorum ducem uocat.

Prouocatorem.] Gallorum exercitus cũ iam super ripam Anienis castra posuisset, Romaniq; obuiam uenissent, Gallus altißima proclamans uoce dicebat: Si quem Roma fortißimum habet militem, & reuera bellicosum, in harenã mecum certaturus descendat, nostrorũ ut euentus, utra gens bello sit potior, ostendat.

Occidit.] Fit enim nonnunquã (ut de Hyllo Herculis filio, & Euchemo Aegeato, doctißime Suidas scriptum reliquit) ut ipsa per se res bonorum uirorum conatibus obsistat. Fit rursus interdum, forti ut contingat fortior & melior.

Torquem.] Circulum aureum flexilem, obtortum colli & summi pectoris ornamentum. Plinius autem, torquibus aureis auxiliares exteros donatos fuisse à Romanis, at ciues non nisi argenteis, refert.

Detraxit.] Vnde Torquati nomen adeptus est, teste Plinio lib.33.cap.1.& Alexand. ab Alexandro lib.1.cap.9. Totam autem de militari fortitudine Manlij historiã, copiosius leges apud Liuiũ lib.7.

cap. 3. § 5. & lib. 1. cap. 5. § 9. & lib. 6. ca. 3. § 6. Ethnicor. exemplor. & qui paulo quoq; ante citati sunt. Notandũ quoq; obiter, hoc facto gloriosissimam ex Latinis & Campanis uictoriã reportasse patrem Manliũ: cui urbem ingredienti, cum seniores omnes lætitia ouantes occurrerẽt, iuniorum neminẽ obuiam processisse, eo quòd filium iuuenem fortiter pugnantẽ, oblitus paterni amoris, occidisset: quod annotat Valerius lib. 9. ca. 3. § 5.

Latinos apud Veserim.] Hac de re lege ea quæ dicta sunt suprà cap. 26. Intelligit autem Decium patrem, cuius etiam meminit Valer. Max. lib. 6. cap. 4. § 2.

Consulatum recusauit.] uocato in concionem populo, duplici ratione cõsulatum renuit. Primò enim oculorum excusans ualetudinem, imprudentem & gubernatorem & imperatorem esse dicebat, qui cũ nõ alienis oculis ei omnia agenda sint, postularet sibi aliorũ capita. Deinde nec se corruptos Romanorũ mores ferre, nec Romanos eius imperium perpeti posse proclamabat. Qua de re Liuius lib. 6. Dec. 1. & Valerius Max. de grauiter dictis & factis lib. 6. cap. 4. § 3.

Seueritatem suam ferre.] Tam seuerus enim in omni uita fuisse dicitur, ut nimis rigida iuris obseruatione, ita humanitatis & æquitatis obliuisceretur, ut uulgato prouerbio Manliana imperia,

imperia, pro rigidiſſima & crudeliſſima, dicta ſint. Vide prouerb. apud Eraſ. Rot. *Manliana imperia, &* Gell. *lib. 9. cap. 13. & lib. 1. cap. 13. Liuium lib. 8.* Dec. 1.

DE M. VALERIO CORVINO.
Cap. XXIX.

Reliquias Senonũ Camillus perſequebatur. Aduerſum ingentem Gallum prouocatorẽ ſolus Valerius Tribunus militum, omnibus territis, proceſsit. Coruus ab ortu ſolis galeę eius inſedit, & inter pugnãdum ora, oculosq; Galli uerberauit. Hoſte deuicto, Valerius Coruinus dictus. Hic cum ingens multitudo ære alieno oppreſſa, Capuam occupare tentaſſet, & ducem ſibi Quintium, neceſsitate compulſum, feciſſet, ſublato ære alieno, ſeditionem compreſsit.

IN CAPVT XXIX.

De *Valerio Coruino Liuius lib. 7. Dec. 1. Florus lib. 1. cap. 13. Plin. lib. 7. cap. 48. Valer. Max. lib. 8. cap. 14. § 2. Gell. lib. 9. cap. 11. Oroſ. lib. 3. cap. 6, Eutrop. lib. 3. cap. 1, Sabell. lib. 2. Enn. 3.*

Rapſod.

Rapsod. & lib. 1. cap. 7. § 6. Exemplor. ethnic. Petrarcha cap. 9. Epitomes illust. uiror. Alex. ab Alex. lib. 1. cap. 9. Volater. lib. 20. cap. 2. Vrban. com. Hunc aūt Valerium, Gellius ex uetustißimis annalibus Maximū Valerium Coruinū uocat, Florus Luciū: Valerius autem Maximus, Eutropius, Orosius, & alij pleriq;, Marcum Valeriū uocāt.

Reliquias Senonū.] Hoc est, eos Gallos qui ex diuersis iam cladibus supererāt. Sunt autem Senones populi Galliæ Belgis finitimi, de quibus Strabo lib. 5. à principio, & Plin. lib. 4. cap. 18. lib. 3. cap. 15. & Volater. lib. 3. ca. 3. Geograph.

Camillus.] Furius Camillus, & Magni Camilli filius, ut Petrarcha ait.

Ingentem Gallum.] Gallorum ducem uasta & ardua proceritate, armisq; auro præfulgentibus ornatum.

Prouocatorē.] Huius prouocationē acerbitatis, cōtemptus ac superbiæ plenā, ex Gellio pete, qui eā ex uetustißimis annalib. decerptā recitat.

Tribunus militū.] sub Furio Camillo duce. Lucio Furio enim, Appioq; Claudio consulibus, Tribunum militum factum esse constat.

Proceßit solus.] impetrata prius à consule pugnandi uenia, ne contra imperiū hostē occidisse diceretur. Est aūt militaris fortitudinis exemplū.

Coruus ab ortu solis.] Constat in colligendis

augurijs sinistram semper fuisse coruorum significationē, & maximè cum glutiunt. Si uerò ab ortu clara uoce occinuerint, præsentē fœlicitatem: contrà uerò ab occasu solis, exitium apportasse. Sic corui inuolantes obstrepentesq; Alexandro Babyloniam ingressuro, & Ciceroni quoq; imminens periculum, extremasq; ærumnas præmonstrarunt. A'dextra tamen coruus, & sinistra cornix uel picus, spem non ambiguam, & ratum auspicium fecerunt. De coruorum autem augurijs uide Plinium lib. 10. cap. 12. & 24. & lib. 18. cap. 35. Iulium Obsequentem cap. 25. & 55. Prodigiorum, Alexand. ab Alex. lib. 5. cap. 13. & Ioannem Seresberiensem de Nugis curialium & ueterum philosophorum uestigijs, lib. 1. cap. 13.

Coruus.] Florus & alij quidam, non coruum, sed satyriam auem galeæ eius insedisse scribunt: non tamen à Plinio nostro discrepant, cum satyria genus sit corui.

Ab ortu solis.] Liuius in eo à Plinio nostro dissentit, quòd occiso prouocatore Gallo, orientem solis petijsse, & non inde uenisse coruū dicit.

Capuam.] Campaniæ urbem, quam Seruius à Tuscis, qui omnem ferè Italiam subiugauerunt, conditam scribit, cum hunc Vergilij in lib. 8. uersum explicat: Et Capys, hinc nomē Cāpanæ ducitur urbi. Sueton. in Dictatore, Capyis conditoris

sepul-

ſepulchrũ Capuæ fuiſſe indicat, in quo à colonis deductis, tabula reperta fuit, quæ Cæſari mortem denunciarit. Ad quod & Lucanus libro 2. accedit, Mœnia Dardanij, &c. Plin. lib. 3. ca. 5. Capuã ab undecimo campo dictã inquit: quod quomodo intelligendũ ſit, inibi Hermolaus Barbarus annotauit. Strabo aũt lib. 5. quòd duodecim Vrbiũ caput eſſet, dictã putaui. Liu. lib. 3. ab Vrbe cõdita, propius uero eſſe exiſtimat: à cãpeſtri agro appellatam, id quod etiã Euſtathio placet. Verũ cõſtat, præter umbram huius urbis hodie nihil extare.

Quintiũ.] *Titum Quintiũ unum ex prædonibus uagis, patriciæ tamẽ gentis hominem fuiſſe, ſcribit Liuius. qui cum in bello fortiter pugnans, grauiter pede uulneratus olim fuiſſet, claudus ruri uitam egit, omnibus belli ſtudijs renuncians.*

Neceßitate cõpulſum.] *Silentio quippe noctis cum uillam intraſſet, graui ſomno Quintium oppreſſum inuenit. quem cum ad imperiũ uocaſſet, ſi reſiſteret, mortem inſtare acerbißimam dicebat: & ſic inuitum coactum in caſtra protraxit, & in imperatorem uel belli ducem elegit.*

DE PONTIO THELESINO.

Cap. XXX. 30.

TItus Veturius, & Spurius Poſthumius conſules, bellum aduer

 ſum

ſum Samnites gerẽtes, à Pontio Theleſino duce hoſtium per inſidias ſeducti ſunt. Nam ille ſimulatos tranſfugas miſit, qui Romanis dicerent, Luceriam à Samnitibus obſideri in Apulia, quò duo itinera ducebant, aliud longius & tutius, aliud breuius & periculoſius. Feſtinantibus itaq; cum inſidias ſtatuiſſet, qui locus Furculæ Caudinæ uocatur, Pontius accitum patrem Herenniũ rogauit, quid fieri placeret: ille ait, aut omneis occidendos ut uires frãgerẽtur: aut omneis dimittendos, ut beneficio obligarentur. Vtroq; improbato cõſilio, omneis ſub iugum miſit ex fœdere, quod à Romanis improbatum eſt. Poſthumius Samnitibus deditus, nec receptus eſt.

IN CAPVT XXX.

Titus.] Alij Caium Veturium legunt. Conſtat tamen ex Liuio & alijs, Titum Veturium eo tempore cum Poſthumio conſulem fuiſſe, licet Valerius Max. lib. 6. cap. 1. § 9. Titum Veturiũ eius Veturij filium fuiſſe dicat, qui in conſulatu ſuo Samni-

Samnitibus deditus fuit. Vsu tamen compertum est, Romanorum *historicos in prænominibus sæpenumero discrepare.*

Veturium.] *Vecturium uocat* Orosius *lib.3. ca.15. qui hanc historiam quoq; describit. Sed copiosius* Liuius *lib.9.* Dec. 1. *à princip.* Flor. *lib.1. cap. 16. Aristides Milesius lib.3. rerum Italicarum,* Plutarch. *in* Parall. *ca.6.* Valer. Max. *lib.7. cap.2.* § 24. *Augusti. lib.3. cap.17.* Ciuit. Eutrop. *lib.2. cap.2.* Anton. Tom. *1. tit.4. cap.5.* § 11. Sabell. *lib.5.* Ennead. 4. Rapsod. Petrarch. *cap.12.* Epitomes, Volater. *lib.28. cap.1.* Vrban. com.

Spurius Posthumius conf.] *Secundum consulatum intellige. fuerunt enim ante duodecim quoque annos simul consules, cuius consulatus meminit* Cicero *in* Catone Maiore, *& lib.3.* Officiorum.

Samnites.] *Qui medij sunt inter* Picenū, Campaniam *&* Apuliam, *de quibus suprà suis locis dictum est.*

Bellum gerentes.] *Gestum est hoc bellū, 130. ab Vrbe miliario.*

Pontio Thelesino.] De Caio Pontio Thelesino *lege prætereà* Volaterranum *lib.28. cap.1. & in* Posthumio.

Simulatos transfugas.] *Miserat* Pontius *decē milites indutos habitu pastorali, qui in diuersis*

locis pascerent pecora iuxta uiam, per quam erat Romanorum exercitus transiturus, ut Romanis iam uenientibus, & ubi Samnitum esset exercitus interrogantibus, unanimiter responderent, ad Luceriam obsidendam locum mutasse.

Luceriam.] *Apuliæ urbem, & olim Ausonum coloniam, de qua Strab. lib. 6. & Plinius lib. 3. cap. 11.*

Longius ac tutius.] *per oram scilicet superi maris patẽs. Vide Anton. Tom. 1. tit. 4. ca. 5. § 11.*

Breuius & periculosius.] *per Furculas scilicet Caudinas, qua uia festinabant, ut maturius Lucerinis, fidelibus socijs opem ferrent.*

Furculæ Caudinæ.] *Duo autem fuerunt saltus alti, angusti & syluosi, montibus perpetuis inter se iuncti: in medio cãpus herbidus, aquosusq;, per quem medium iter erat, non tam arduum quàm periculosum. Harum furcularum meminit Volater. lib. 5. cap. 6. Geograph. Sunt autem Caudinæ Furcæ appellatæ, quòd non longè sint ab oppido Samnij, quod Caudis dicitur.*

Patrem Herennium.] *Caium Pontium Herennium, qui grauior iam annis, non militaribus solũ, sed ciuilibus quoq; abscesserat muneribus.*

Accitũ.] *Dissentit hoc loco paululũ Plinius à Liuio, qui scribit Herenniũ senẽ primũ à filij nuncio literas accepisse, quibus consilium petierit, patremq;*

tremq; censuisse omnes indè quamprimùm inuiolatos dimittendos: quæ ubi spreta sententia esset, eodem uenienti nũcio dixisse, omnes simul interficiendos esse. Quæ consilia cũ inter se diuersa, ac ueluti ex oraculo responsa essent, tum demum patrem senio confectum acciuisse plaustro.

Omnes.] Primo autem Consules, postea alios magistratus, demum militum multitudinem. Nudauit autem omnes non tam armis quàm uestimentis: & ita quidem, ut uerecunda uix tegere possent.

Sub iugum misit.] ut perpetuam ignominiæ notam imprimeret. Romanos enim sæpe uinci, & occidi, nunquam autem capi, aut ad deditionem cogi potuisse, constabat. Sed Papyrius paulo pòst, iisdem Samnitibus maiori ignominia (ut par pari referret) iugum reposuit, ut est apud Orosium & Eutropium, ubi suprà. Rationem autem mittẽdi sub iugum, indicauimus quoq; alibi suprà.

Icto fœdere.] Fœdus hunc in modum ictum erat, ut Romani pro pace agros Samnitũ, qui iam occupati erant, restituerent, & coloni quos illuc miserant Romani abducerentur, & uterq; deinde populus tam Romanus quàm Samniticus, suis legibus uiuere permitteretur.

A Romanis improbatũ est.] Cũ absq; populi

iussu & suffragio, sine sacerdotibus, qui fœderibus præerant, nec certa solennitate cæremoniarum fœdus contractum esset. Fœciales *enim fœdera pactionesq́;, quæ cum socijs inire decet, sancire, aut cõcipere, haud aliter poterant, quàm si* Consulis, *aut* Prætoris *authoritate intercedente,* Senatusconsulto *iussuq́; populi permissum foret. Qua de re multa* Alexander *ab* Alexan. *lib. 5, cap. 3.*

Improbatum.] Et *meritò quidem. nam si fidem huius fœderis seruassent,* Romani *nunc, (ut uerißimè* Eutropius *memoriæ tradidit) aut omnino non essent, aut ad minimum* Samnitibus *dominantibus seruirent.*

Posthumius.] *qui in fœdere icto* Samnitibus *consenserat, remissus est tanquam sponsor.*

Nec receptus est.] *scilicet à* Samnitibus, *qui renunciabant,* Spuriũ *quidem* Posthumium *egisse quod debuit, sed* Romanũ *populum non propter hoc à sponsione absolutũ: cum non tantum sponsorem, sed etiam totum exercitum* Romanum *captum, remittere deberent. Gesta autem sunt hæc omnia, anno ab* Vrbe *condita, 426. iuxta* Orosium, Glareanum *uerò nostrum,* An*no 433.*

DEL.

DE L. PAPYRIO CVRSORE.

Cap. XXXI.

LVcius Papyrius, à uelocitate Curſor, cum cõſulem ſe aduerſis omnibus, aduerſum Sãnites progreſſum eſſe ſenſiſſet, ad auſpicia repetenda Romam regreſſus, edixit Fabio Rutiliano, quẽ exercitui præponebat, ne manum cum hoſte conſereret. Sed ille opportunitate ductus, pugnauit. Reuerſus, eũ ſecuri ferire uoluit. ille in urbem confugit, nec ſupplicem tribuni tuebantur. Deinde pater lachrymis, populus precibus ueniam impetrarunt. Papy *al. item*
rius de Sãnitibus triũphauit. †Idem Præneſte cũ prætorẽ grauiſsimè increpuiſſet, Expedi, inquit, lictor ſecures. Et cum eum metu mortis attonitum uidiſſet, incommodam ambulantibus radicem excidi iuſsit.

IN CAPVT XXXI.

A' uelocitate.] pedum pernicitate, qua uictor omnium ſuæ ætatis æqualium fuit, annotante Alexand. ab Alexand. lib. 1. cap. 9. ex Liuij lib. 9.

Dec.1. qui scribit Papyrium à quibusdam Mugilanum quoq; cognominatũ esse. Verùm tricesimi primi capitis historias pete ex Liu.*lib.* 8. Dec.1. *Flor.lib.1.cap.16.* Valer. Max.*lib.2.cap.2.* § 8. Oros.*lib.3.cap.15.* Eutrop. *lib.2. cap.2.* Front. *lib.4.cap.1.* § 40. Anton.*Tom.1.tit.4.cap.5.* § 11. Petrar.*cap.12.*Epitomes, Sabell.*lib.5.*Ennead 4. Rapsod.*& lib.9.cap.2.* § 5. Ethnic.exemplor. Volater.*lib.28.cap.1.* Vrban.com.

Aduersis omnibus.] *À pullarijs enim auguribus, uana coniectantibus, congredi cum hostibus prohibitus est.*

Ad auspicia repetenda.] *Tanta enim apud* Romanos *auguria & auspicia in autoritate fuerunt, ut nihil eorum quæ ad publica uel priuata negotia pertinerẽt, inauspicatò perfecerint. Cuius rei testis est de* Diuinatione Cicero, Ioannes Saresberiensis *lib.1.cap.12.& 13.de uestigijs philos.* Alexand. ab Alex.*lib.* 2. *cap.* 26. *in fine, & lib.5. cap.53* Cornelius Agrippa *lib.1. de* Occulta *philosoph.cap.* 53. Michael Scotus *tract.3. physion.*

Edixit.] *mandauit: est aũt propriè magistratuum, utpote* Consulũ, Prætorũ, Aedilium, *&c. quorum est imperare suis. Edicta aũt cum annua olim essent, postea facta sunt perpetua, ut scribit* Budæus *in* Annotationibus *in* Pandectas.

Exercitui præponebat.] *magist.equitũ fecerat.*

Oppor-

Opportunitate ductus.] *Opportunitas tēporis est, quam & occasionē licet appellare, nisi quòd in tempore occasio, in re ipsa uidetur opportunitas dici. Est siquidem occasio, ut* Cicero *de* Inuen*tione ait, tempus in se alicuius rei idoneam faciendi aut non faciendi dexteritatem habens.* Hæc *autem opportunitas semel arrepta non temerè, & præsertim ducibus dimittenda est: cuius rei manifestißimum semper exemplum* Hannibal Pœno*rum dux inuictißimus præbuit, qui ubiq; attētus, ne quàm minimas occasiones sibi oblatas, frustra labi passus est.* De *cuius ea in re solertia, consule* Pontanum *lib.*4. *de* Prudentia, *cap.*7.

Pugnauit.] Ad Imbriniū *(ita enim locum uocat* Liuius*) cæsis plusquā uiginti* (Eutrop. *teste)* Sam*nitum millibus: & ea quidem fortuna, ut nihil relictum sit, quo si affuisset dictator, res melius agi potuisset.* Valer. Maximus *lib.*3. *cap.*2. § 9.

Securi ferire uoluit.] Vt *inobediētiæ pœnas dignas daret, quod iniussu ducis uel dictatoris cum hostibus manum conseruisset, quòd militari lege apud* Romanos *maximè prohibitum erat.* Qua *de re* Alexand. *ab* Alex *lib.*1. *cap.*20.

Nec *supplicē tribuni tuebantur.*] Eo *quòd legem militarem uiolasset, cuius tamen custos esse ipse debuisset.* Hic *igitur notandum est, nondum leges aranearum telis fuisse similes, ut* Solon *dicere*

à Præneste Vlyßis nepote & Latini regis filio appellatam putauit. Strabo lib. 5. olim Polystephanum, id est multarum coronarum: Plinius lib. 3. cap. 5. Stephanam uocatam olim dicit, ob lentisci copiam. Cōstat tamen, hanc urbem munitissimam, & Fortunæ templo illustrißimam olim fuisse: & insequentibus temporibus, primùm à Bonifacio *octauo, deinde ab* Eugenio *quarto dirutam esse, teste* Volater. *lib.* 6 *cap.* 1. Geograph.

Prætorem.) *Prænestinorum, qui nullibi suo nomine appellatur.* Omnes *autem uulgo magistratus, quibus parêret exercitus, Prætores uocabant.* Et *hinc* Liuius *à præessendo,* Varro *uerò à præeundo dictos putat.* Verùm *de Prætorum apud* Romanos *electione, officio, dignitate & authoritate, uide* Liuium *lib.* 6. Dec. 1. Blondum *lib.* 2. de Rom. *triumphant.* Fenestellam *cap.* 19. Pompon. Læt. *cap.* 24. de Rom. *magistrat.* Pomponium *Iurisconsultum ff.* de Origine iuris, L. Necessarium. Alexand. *ab* Alex. *lib.* 2. *cap.* 15.

Increpuisset.) Eo *quòd cunctantius & segnius per timorem, suos in primam aciē ex subsidijs eduxisset.* Vide Liuium *lib.* 9. Dec. 1. & Sabell. *lib.* 5. Ennead. 4. *in fine.*

Expedi *lictor secures.*] *Lictorum enim munus & officium erat, ex iussu magistratuum delinquentes uincire, nudatos uirgis cædere: et si crimen*

men exposceret, securi percutere. Vide Gellium lib.12.cap.3. Alexand. ab Alex. lib. 1. cap.27.

Metu mortis attonitum.] Clementiæ exemplum. Optādum enim est (ut Cicero lib. Officiorum 1. ait) ut hi qui præsunt Reipub. legum similes sint, quæ ad puniendum non iracundia, sed æquitate ducuntur.

Radicem excidi iußit.] Huius radicis meminit Plin. de transferendis seminarijs lib.17. cap.11.

DE Q. FABIO RVTILIANO. *Cap. XXXII.*

QVintus Fabius Rutilianus, primus ex ea familia ob uirtutem Maximus, magister equitum à Papyrio Cursore securi penè percussus, primùm de Apulis & Lucerinis, iterum de Samnitibus, tertiò de Gallis, Vmbris, Marsis, atque Tuscis triumphauit. Censor libertinos tribu amouit. Iterū censor fieri noluit, dicens non esse ex usu Reipub. eosdē censores sæpius fieri. Hic primus instituit, ut equites Rom. idib. Quintilibus ab æde Honoris equis insidentes in Capitolium trāsirent.

Mor-

Mortuo huic tantũ ęris populi liberalitate congestũ, ut inde filius uiſcerationem & epulas publicè daret.

IN CAPVT XXXII.

Rutilianus.] *Plutarchus in uita Gn. Pompeij Rullum, in Fabio uerò Maximo Rylaum, Volaterranus autem lib. 16. Rullianum uocat.*

Ob uirtutem Maximus.] *Eo quòd omnẽ forenſem factionem poſtea excretam Cenſor coegiſſet, rem fecit populo adeò gratam, ut ex hoc Maximi nomen aſſequutus ſit: quem honorem prætereà nulli, niſi Valerio, qui patres: à plebe diſsidentes, reconciliauit, tribuerunt. Qua de re Liuius lib. 10. Dec. 1. in fine. Plutar. in Fabio Maximo & Pompeio Volat. lib. 16. cap. 1. Vrban. com. Meruit autem Maximi cognomen, Anno 2. Olympiad. 109. ab Vrbe uerò condita 450.*

Ex ea familia.] *Fabiorum intellige, quæ ab Hercule (quem olim apud Tyberim cum nympha congreſſum eſſe, & Fabium uirum optimum progeneraſſe ferunt) originem duxit.*

Magiſter equitũ.] *in eo ſcilicet bello quod Romani aduerſus Samnites capitales hoſtes ſuſceperant. Qua de re præcedenti dictum eſt capite.*

De Apulis.] *Italiæ populis, mari Adriatico conterminis, inter Dauniam & Calabriam. Eſt*

autem

autem ea regio Iapygia, ab Iapyge Dædali filio, qui eam regionẽ tenuit usque ad Dauniã. & deinde quoq; Daunia à Diomedis socero, cuius in hoc tractu multa sunt ædificia, dicta. Vide Strabon. lib. 6. Plin. lib. 3. cap. 11. Melam lib. 2. cap. 4. Solin. cap. 8. Volater. lib. 6. cap. 8. Verùm Petrus Ioannes Oliuarius, uir in Geographia incomparabilis, hodie Lampullam uocari, in scholijs suis in Melam ait. De bello uerò Romanorum cum Apulis, Liuius lib. 9. Dec. 1. & lib. 10. Dec. 1.

Lucerinis.] Alij legunt Nucerinis, sed utraq; lectio bona est. eos enim quos Liu. lib. 9. Dec. 1. (hoc bellum describens) Lucerinos uocat, Ptolemæus Nucerinos appellat. De quibus Strabo lib. 5. Plinius lib. 3. cap. 4. Volaterran. lib. 6. cap. 2.

De Samnitibus.] De hoc bello lege quoq; Oros. lib. 3. cap. 22. Eutrop. lib. 2. cap. 2. Front. lib. 2. cap. 4. § 2. & Liuium loco paulo antè citato.

De Gallis.] De quibus suprà suo quoque loco diximus: quos quomodo uicerit, ostendit Front. lib. 1. cap. 8. § 2. Stratagematũ, & Liuius lib. 9.

Marsis.] Italiæ populis inter Pelignos & Samnites, qui duxerunt originem à Marso Vlyßis & Cyrces filio: aut à Myrsia, qui uicto Apolline huc conceßit, teste Syllio Italico. De his Strabo lib. 12. Plin. lib. 25. cap. 2. & lib. 28. cap. 23. Volater. lib. 6. cap. 4. Geograph.

Thuscis.

Thuscis.] De quibus suprà in Publio Decio, cap. 27. diximus.

Triumphauit.) in eo triumpho militari carmine Decij consulis mors celebrata, militibus octogeni bini æris dati ex præda, sagaq; & tunicæ, munera ea tempestate rara. Triumphum describit Liuius lib. 10. cap. 1. Blond. lib. 10. Rom. triumphantis, Sabell. lib. 7. Ennead. 4. rapsod.

Censor.) cũ P. Decio Decij filio, de quo cap. 27.

Libertinos tribus amouit.) Appius Claudius Senatum primus libertinorũ filijs lectis inquinauerat, cuius rei meminit Plinius infrà cap. 34. & posteaquam eam lectionẽ nemo ratam habuisset, mota eam ob rem populi seditione, Fabius noster Censor factus, concordiæ studens, libertinos remouit, & ne in humilimorum manu Comitia essent, omnem forensem turbam excretam in quatuor tribus coniecit. Qua de re multa Liuius lib. 9. Dec. 1. in fine, Plut. in Fabio Maximo, Sabell. lib. 9. Ennead. 4. Alexãd. ab Alex. lib. 1. cap. 17.

Iterum censor fieri uoluit.) Eandem historiam habes apud Valerium lib. 4. cap. 1. De Marco Rutilio Censorino legimus, qui iterum Censor creatus, ad concionem populum uocatum, quàm potuit grauissima oratione corripuit, quòd eam potestatem bis sibi detulisset, cuius maiores, quia nimis magna uideretur, tempus coartandum iudicassent.

r

dicassent. Insignia autem sunt animi moderationis exempla.

Eosdem Censores sæpe fieri.] Qui olim censuram geßissent, quamuis laudabiliter, iterũ Censores creari, aut ad munus Censoriũ admitti nullo modo poterant, idq; exemplo C. Getæ, qui à L. Metello & Cn. Domitio Censoribus, Senatu motus, & ignominia notatus, haud longo pòst interuallo, oblita memoria dedecoris, ad Censuram euectus est. Vide Alex. ab Alex. lib. 3. cap. 13. in fine. De Censorum autem origine, officio, dignitate & potestate, copiosè Liuius lib. 4. Dec. 1. Cicero lib. 3. de legibus, & in L. Pisonẽ, Gel. lib. 7. cap. 22. Blond. lib. 3. Rom. triumph. Plut. in P. Aemilio, Asconius Pedian. in 1. in Verrem, Fenestell. cap. 17. Pomp. Læt. cap. 21. de Rom. Magistrat. & Pomp. iurisconsul. tit. 2. primi ff. &c.

Equites Romani.] Equites Romani erant, qui à Censoribus quadringentis milibus sestertiũ censebantur, de quorum ordine, potestate, atq; officio, Alexand. ab Alexand. lib. 2. cap. 29.

Idibus.] inter festos celebratosq; dies, quos in honore Deorum uetus religio sanxit, idus præcipuè solennes semper fuisse historiæ testantur, & Alexand. ab Alexand. lib. 3. cap. 18.

Quintilibus.] Iulij, qui mensis Atheniensibus quoq; festus olim fuit, qui Nonis Iulij Oscho-

phoria

phoria celebrabant, in quibus oleæ ramum, pane fici, cotyla mellis & fructuum primitijs onustum per ingenuos pueros foribus ciuitatis appendebant. Cuius rei meminit Cælius lib. 7. cap. 16.

Ab æde Honoris.] Fuit autem Honoris templum extra portam Collinam, non longè à uia Appia, de quo Plinius lib. 35. cap. 10. & lib. 2. cap. 7. Marlianus lib. 4. cap. 24. & lib. 7. cap. 14. & cap. 17.

Equis insidentes transirent.] A' Fabio omnium primo institutum legimus, ut idibus Iulij turmæ festa fronde et olea ornatæ in campo Martio instructæ, tanquam qui congredi acie parant, trabeati magnis cæremonijs celebrarent, & solenni pompa à templo Matris deûm extra urbem ad forum usq; procederent, & inde demum trabeati Equites ab æde Honoris ad Capitolium irent. Quam transuectionis morem diu intermissum, Octauius postea reuocauit. Alexander ab Alexandro cap. 18. lib. 3. Meminit Liuius in fine lib. 9. Dec. 1.

Tantum æris populi.] Non quidem ut inopiæ subuenirēt, sed ueluti erga populi parentē sepultura amorem ostenderent, & congruentem uitæ honorem, digna quadam liberalitate, debitoq; beneficio exhiberent.

Filius eius.] Fabius, qui quoniam sordidæ intemperantiæ foret, & profusa largitione patri-

 moni-

monium concoxisset, Gurges postea cognominatus est. qua de re Macrobius, Alexand. *ab* Alex. *lib.1.cap.9 meminit, Plin.lib.7.cap.41.*

Viscerationem.) Visceratio erat crudæ carnis distributio, quæ fieri solebat uel in solenni festiuitate, uel in funeribus magnatum & potentum, in quibus interdum carnes siue crudæ siue coctæ, quandoque etiam panis uinumq; domum perferentibus præbebatur. Vide ea de re Blondum *lib. 2. Romæ triumph. Meminit obiter Cicero lib. 2. Officiorum, titulo de duplici liberalitatis genere,* Alexand. *quoque ab* Alexand *lib.5. cap.7. & lib.3.cap.7.ex* Liuij *lib.3.* Dec.4. & Plinij *lib.3.cap.5.*

Et epulas publicè daret.) id est publicum conuiuium in funere patris exhiberet. dici enim uix potest, quàm lauto conuiuio post procerum funera & uiscerationes Romani *funus comitantes exceperint. Vnde apud* Liuium *lib.* 40. & 41. & Blondum *lib. 2. legimus,* Publij Licinij *causa uisceratione data, gladiatores* 120. *pugnasse ludos funebres per triduum factos, & post ludos demùm epulum datum, quo cum toto foro strata triclinia essent, tempestatem cum multis procellis coortam coegisse, ut in foro tabernacula constituerent.*

DE MARCO CVRIO DENTATO. *Cap. XXXIII.*

MArcus Curius Dentatus primò de Samnitibus triumphauit, quos usq; ad mare superum perpacauit. Regressus, in concione ait: Tantũ agri cœpi, ut solitudo futura fuerit, nisi tantum hominum cœpissem: tantum porrò hominum cœpi, ut fame perituri fuerint, nisi tantũ agri cœpissem. Iterũ de Sabinis triumphauit. Tertiò de Lucanis ouans urbem introiuit. Pyrrhum regem Epeirotarũ Italia expulit. Septena dena agri iugera uiritim populo diuisit. Sibi deinde totidẽ constituit, dicens neminẽ esse debere, cui non tantum tum sufficeret. Legatis Samnitũ aurum offerẽtibus, cum ipse in foco rapas torreret, Malo (inquit) hæc in fictilibus meis esse, & aurũ habẽtibus imperare. Cum interuersæ pecuniæ argueretur, cadum ligneum, quo uti ad sacrificia consueuerat, in medium

protulit: iurauit'que se nihil amplius de præda hostili in domum suam conuertisse. Aquā deinde Anienem manibus hostiū in urbem induxit. Tribunus pleb. Patres auctores fieri coegit comitijs, quibus plebeius magistratus creabatur. ob hæc merita domus ei apud Tiphatam, & agri iugera quingenta publicè data.

IN CAPVT XXXIII.

Marcus.] Plinius lib. 18. cap. 3. lib. 19. cap. 5. & lib. 16. cap. 39. & alijs quoque in locis, Manium Curium nominat; sed Plutarchus & Valer. Maximus Marcum quoque appellant.

Dentatus.] Dentatos, quòd solido osse uice dentium armati essent, dictos putant. qualis Prusiæ, Bithiniæ regis filius fuisse fertur. Alij uerò, quod primū eius familiæ autorē cū dentibus natū memoriæ proditum sit, apud Plin. lib. 7. cap. 16. Solinum cap. 4. Alexand. ab Alex. lib. 1. cap. 9.

Samnitibus.] Qui perpetuum ferè cum Romanis bellum gesserunt, contra quos Dentatus missus est anno, secundum Antoninum, ab Vrbe condita 412. qui ita eorū urbes diruit, ut hodie Samnium in ipso Samnio requiratur, nec inueniri facile

facile poßit. Eutropius libro 2. cap. 3.

Mare superum.] Hadriaticum, uel Venetum, Superum autem mare dicitur respectu Tyrrheni, quod à Græcis inferũ appellatur. Vide Plinium lib. 3. cap. 16. & 26. & lib. 4. cap. 11.

Iterum de Sabinis.) Italiæ populis, qui immemores factæ sub Tito Tatio affinitatis, quodam contagio belli se Latinis coniunxerunt. Sed huius belli, tanquam parui momenti, pauci mentionem fecerunt. Tu lege ea quæ de eo Florus lib. 1. cap. 15. Orosius lib. 3. cap. 20. & Eutropius loco suprà citato scribunt.

Lucanis.) Italiæ populis inter Calabras & Apulos sitis, qui à Samnitibus genus duxerunt. superatis enim bello Posidoniatis, horum urbes inhabitare cœperunt: deinde quum alio tempore populari statu regerentur, ingruentibus bellis regem & magistratus ipsi delegerunt. sed nunc gens tota Romana est. Vide Strab. lib. 6. à principio, Plinium lib. 3. cap. 5. Melam lib. 2. cap. 4. Volater. lib. 6. cap. 7. Geographiæ.

Ouãs.) Romani duces enim, qui in hostes uictricia tulere arma, si minus ea quæ gesserant, triumpho digna forẽt ut tantũ ferrẽt honoris, persæpe cũ domũ redirẽt, minoribus triũphis et ouatione honestati sunt, quã Græci σὐαὺ nuncupant. Quibus autem de causis ducibus ouare concessum sit,

quæ ouationis cæremoniæ, quæ pompa, quis apparatus, uide apud Gellium lib. 5. cap. 6. Plutarchum in Marcello, Blondum lib. 10. Romæ triumphantis, Sabellicum lib. 8. Ennead. 2. ubi de Posthumio Consule, Alexandrum ab Alexand. omnium copiosissimè, lib. 6. cap 17.

Vrbem introiuit.] *Apud Romanos enim, ut hi quibus ouandi ius datum erat, sine exercitu, aut legionibus urbem pedibus introirent primò: lapsis autem temporibus, ut equo quoque ueherentur, morem præualuisse constat.*

Pyrrhum.] *Qui Tarentinis Romanorum hostibus auxilio uenerat, & cum quo persæpe non tantum armis, sed domi quoq; cõsilijs dimicatum est. Sed de eo bello, cuius hoc loco Plin. meminit, lege Flor. lib. 12. Abbreuiationũ, Plut. in uita Pyrrhi, August. lib. 3. cap. 17. Ciuit. Oros. lib. 4. cap. 2. Eut. lib. 2. cap. 3. Fron. lib. 1. cap. 2. Stratagem.*

Epirotarum.] *Epirum aliàs Molossiam, uel Chaoniam uocarunt. Finitur autem ab occasu Ionio in Adriaticum flexo, à septentrione Pindi iugis, ab ortu uerò Acarnania, totam oram meridianam Ionio ambiente. Lege Strabon. lib. 8. Plin. lib. 4. cap. 9. lib. 3. cap. 23. & lib. 4. cap. 1. Pompon. Mel. lib. 2. cap. 3. Volat. lib. 8. Geograph.*

Septena.] *Alij septẽ dena, alij quaterna dena legunt. Verũ apud Plin. lib. 8. cap. 3. & Antoninũ*

Tom.

tom.1. tit.4. cap.5.§ 11. septem tantum, & non septena: Valerium uerò lib.4.cap.3.§7. qui eandem historiam describit, septena agri iugera à Senatu populo decreta esse legimus.

Sibi totidem constituit.] *cum à Senatu* Roma*no quinquaginta oblata essent.*

Dicens neminem esse.] Roman*æ abstinentiæ exemplum* Curius, *qui eum* Romano *nomine planè indignum censuit, qui plus appeteret, quàm quod ad uictum frugalem satis esset.* Vide Plu*tarch. in* Romanorum Apoph. & Erasm. *quoq;* Rot.*lib.5.* Apophthegmatum.

Aurum offerentibus.] *Synceritatis & incorrupti pectoris exemplum* Dentatus: *qui cum bello inuictus esset, muneribus uinci non turpe modò, sed* Reipub. *etiam perniciosissimum putabat.* Cuius *facti meminit quoq;* Florus *lib.1. cap.18.* Plin.*lib.33.ca.12.lib.19.cap.5.& lib.18.ca.3.* Au*gustin. lib.5.cap.18. Ciuit. Sabell.lib.8.* Ennead. *4.& lib. 1.cap.5.§6.& lib.2.cap.1.§3.* Exem*plor. ethnicor.* Platina *libro 2. de* Optimo *ciue, & alij.*

Malo in fictilibus meis esse.] *Verißimum igitur est quòd ad* Vrsinum Platina *de uera nobilitate libro, scriptum reliquit:* Romanorum *scilicet* Rempub. *omnium florentißimã fuisse, cum ciues paupertate gloriarentur. Sed posteaquam luxus*

& pecuniæ studium increbuit, tum demum è uestigio totum ferè imperium ita corruisse, ut hodie ad nihilum penè redactum sit.

Aurũ habentibus imperare.] *Alij dixisse scribunt, Non egere se auro quàm diu cupiditatibus posset suis imperare. Pulchrum quidem est uincere reges, oppugnare castra & urbes: multo tamen pulchrius, proprijs affectibus moderari: omniumq; admirabilius, quum is qui multos uicerit, seipsum demum uincat. Hæc enim est, ut Plato de Legibus primo ait, omnium uictoriarum tum prima, tum optima.*

Habentibus imperare.] *Similem planè historiam de Fabricio, qui Samnitum magnifica quoq; dona recusauit, leges apud Gelliũ lib.1.ca.14. ex Iulij Higinij de uita rebusq; illustriũ uirorũ libro, Valer. Max.lib.4.cap.3.§ 8.Sabell.lib.1.cap.5. § 7.& lib.2.cap.1.§ 5.Exemplor.*

Cadum ligneum quo uti ad sacrificia consueuerat.] *Cadum alij scyphum uocabant. Erat autem uas lato ore, & fundo angusto, ne stare posset. aquã enim, quam omnibus sacris adhibebant, super terrã posuisse, piaculum & triste omen erat. Quã consuetudinem è Scythis deriuatam esse, ex Alex. ab Alexand.lib.4.cap.17.constat.*

Iurauitq;.] *Apud Romanos uetus inoleuit mos, ut iuraturi per Iouem, modò ad Deorũ aras sacri*

ficio

ficio perfecto, ignē, aram, atq; exta tangerent, modo super cæsis hostijs iurarent, nonnunquam lapidem silicē tenētes, deos hominesq; cōtestarentur, ut si illos scientes fallerent, ita se Iupiter feriret, quemadmodū ipsi agnum percuterēt. Præ cæteris autē, ex omni memoria sanctißimū iusiurandum apud eosdem uisum est, ut iurans terrā tenens, cœlum, Deosq; contestans, conceptis uerbis se & caput suum, item stirpem ac familiam, bona & fortunas, quibusdam additis precationibus, deuoueret. Alexan. ab Alexand. lib. 5. cap. 10.

Præda hostili.] *Quæ ex Sabinis, & præsertim Pyrrhi cruentißima cladi, ingens fuisse dicitur. intelligit autem prædæ uocabulo, hoc loco Plinius, corpora ipsa rerum quæ capta sunt, ut ex libris rerum uerborumq; ueterum interpretatur Gellius lib. 13. cap. 23.*

In domum suam conuertisse.] *Eam enim pecuniam quā hostibus duces uel imperatores detraxerant, Romæ in ærariū referendā curabāt. & ideo etiam cū imperatoribus Quæstores mittebantur, ut prædam & manubias in publicas rationes referendas praeciperent. Meminit eius rei Alex. ab Alex. lib. 2. ca. 2. Blond. lib. 2. Romæ instauratæ.*

Anienem.] *Qui ex quadraginta amnibus qui Tyberi miscentur, post Naren omnium maximus est, & comitatus præter uicum Varronis præ-*

cipiti

cipiti casu Tybur *usq; progressus, in cataractam deijcitur, sedatoq; mox alueo,* Tyberi *haud procul* Fidenis,*uel ut alij scribunt, tertio ab urbe lapide infunditur.* De quo Strabo *lib.5.* Plin.*lib.3. cap.5. & cap. 12. Solinnus cap. 8. Mela libro 2. cap.4.* Volater.*lib.6. cap.1.* Dictus *est autem ab* Anio Hetruscorum *rege, qui amoris impatiēs, in hunc se fluuium præcipitem dedit. qua de re* Syllius Italicus *lib.12.Cadit in* Tyberim,*&c.*

Anienem *in urbem introduxit.*] *Alij* Appium Claudium Anienem *urbem induxisse, atq; ab eodem* Claudiam *aquam appellatam scribunt. Vide ea de re quæ annotauit* Marlianus *lib. 4. cap.21. 22,&c.& lib. 7. cap.16.Topographiæ.*

Patres *auctores fieri coēgit.*] *Prius enim* Senatores Romani, *in plebeio magistratu creando nō sua suffragia interponebant. Vide* Alexandrum *ab* Alexand.*lib.4.cap.3.*

Comitijs.] *Curiatis intellige.* In *Curiatis enim* Comitijs *omnis potestas creandi magistratus penes populum, in* Centuriatis *uerò penes diuites erat. qua de re multa* Alexand. *ab* Alexandro *lib. 4.cap.3.Meminit* Gell.*lib.5.cap.19.&* Budæus *in* Pandectas.

Plebeius *magistratus.*] Curiata Comitia *per* Lictorem *calari solebant, in quibus non de magistratibus conferendis, sed de exercitu, de legibus, de le-*

de legatis, deq; ducibus deligendis & legionibus inter Consulem partiendis, de prouincijs, de genere belli, deq; his quæ ad rem militarem pertinent, decernebatur, qua de re apud eundem eodem loco leges.

Ob hæc merita.] *Gratitudinis exemplum.*

Typhatam.] *Typhatam inter Latij oppida numerat Plinius lib. 3. cap. 5. Festus ait locum esse iuxta Capuam, cuius meminit Liuius lib. 7. Dec. 1. et Volater. lib. 6. ca. 7. Geographiæ circa finē.*



DE APPIO CLAVDIO CAECO. Cap. XXXIIII.

APpius Claudius Cæcus in Censura libertinos quoq; in Senatum legit, epulandi, decantādiq; ius tibicinibus in publico ademit. Duæ familiæ ad Herculis sacra sunt destinatę, scilicet Potitiorū & Pinariorū. Potitios Herculis sacerdotes precio corrupit, ut sacra † Herculea seruos publicos edocerent, unde cæcatus est. Gens Potitiorū fundítùs perijt. Ne consulatus cum plebeis communicaretur, acerrimè restitit. ne Fabius solus ad bellum mitteretur, contradixit.

al. Herculaena.

tradixit. Sabinos, Sãnites, Hetruscos bello domuit. Viam usq; Brundusiũm strauit lapidibus, unde illa Appia dicta: aquam Anienem in urbem induxit. Censuram solus † omni quinquennio obtinuit. Cum de pace Pyrrhi ageretur, & gratia potentum per legatũ Cyneam precio quæreretur, senex, & cæcus, lectica in senatum latus, turpissimas cõditiones magnifica oratione discussit.

al. omniũ

IN CAPVT XXXIIII.

Appius.] *Appiorũ familia, ab appij corona, quam L. Appius in Achaia ludis Nemæis meruit, originẽ duxisse fertur. cui postea Neronis addidere nomen, quod Sabina lingua fortẽ designat, & strenuum. Vide Alexand. ab Alex. lib. 1. cap. 9.*

Claudius.] *Ex Sabinis Claudios, ab autore Appio Clauso gentis principe, qui cum multitudine clientum Romam commigrauit, deductos ferunt, qui sibi etiã Drusi cognomina usurparunt. Cuius rei testis est Dionys. Halicarnas. Sabell. lib. 8. Ennead. 2. Volater. lib. 14. cap. 2. Vrban. com.*

Libertinos in senatũ legit.] *Quam electionẽ nemo ratam habuit, unde paulo pòst à Quinto Fabio Rullano (qui Maximus cognominatus est)*

amoti

emoti sunt. qua de re consule Liuiũ lib.9. decad. 1. Plutarch. *in* Fabio Max. Sabell. *li.9.* Ennead. *4. in fine, Volater. lib.16.cap.1. à princip. meminit quoq;* Plinius *suprà cap.32.*

Epulandi.] *Epulũ olim exhibebatur ciuibus, in dedicationibus templorum, in triumpho, in spectaculis & funere: qua de re copiosißimè* Blond. *lib.2.* Rom. *triumph.* Adde *præterea ea quæ de septemuiris epulonum scribit Cic. lib.3. de* Oratore, *Augustin. lib.3. de* Ciuitate, *Fenestell. de sacerdotijs* Rom. *cap.14. Pomp. Læt. cap.15. Alex. ab* Alex. *lib.6. cap.7.*

Decantãdi ius tibicinibus ademit.] *Vnde tibicines ira cõmoti* Tybur *uno agmine abierũt, adeò ut nemo esset in urbe, qui sacris præcineret. sed paulo pòst à* Romanorũ *legatis, nolentes dolo & fraude reuocati sunt. Vide Liu. li.9. Dec. 1. Sabel. lib.6.* Enn.*4.* Rapsod. Blon. *lib.2. de* Ro. *triumph.*

In publico.] *In æde præcipue* Iouis, *in qua tibiæ ad sacrificia decantantes, perpetui ferè erant conuiuæ. et hinc diuus* Aurelius *Augustinus alibi ait, ad aureã* Iouis *mensam mimorũ potius & parasitorum contubernia quàm dei sacra celebrata esse.*

Herculis.] *scilicet Victoris, cuius templum rotundum in foro* Boario, *iuxta scholam Græcam extructum, fuit tantæ uenerationis, ut neque muscæ neq; canes eius tecta subintrarent: leges,*

Marlia-

Marlianum lib. 4. cap. 6. Topographiæ, qui eius rei rationem reddit.

Ad Herculis *sacra.*] *in quibus* Prætor *aut* Pontifex, *qui rem diuinã faciebat, solo lauro, nec alia fronde coronabatur; remouebantur mulieres, ne exta tangerent, aut uescerentur, &c.* Quæ *sacra* Euander *primus post* Marathonios *instituisse dicitur, qui primi diuinos honores* Herculi *dedere,* Potitijs *&* Pinarijs *(qui ex clarißimis familijs ea loca incolebant) ad sacrum adhibitis.* Traditumq; *memoriæ est,* Potitios *sacris præsto fuisse, et propitiato* Deo, *extis solennibus depastos.* Pinarios *uerò extis adesis, ad reliquam dapem uenisse, & inde institutũ mansisse, ne extis solennibus uescerentur in posterum.* Hac *de re quàm plurima scribunt* Liuius *&* Sabellicus *locis suprà citatis,* Fenestell. *cap.* 2. Pompon. Læt. *cap.* 3. *de* Rom. *sacerdot.* Alexand. *ab* Alexan. *lib.* 2. *cap.* 14. Meminit Dionys. *lib.* 1. Diod. Siculus *lib.* 5. Valer. Max. *lib.* 1. *cap.* 2. § 2. Verg. *lib.* 8. *Seruauere diem, &c.* Ouid. *lib.* 1. Fast. *Ecce boues, &c.* Iustin. *lib.* 43. Varro *lib.* 1. *de lingua Latina.*

Funditus perijt.] *Legimus enim triginta puberes, qui reliqui* Potitiæ *familiæ manserant, cum omni stirpe, intra annum extinctos esse, annuente* Hercule, *qui detractæ religionis suæ grauem & manifestam pœnam exegisse dicitur.*

Ne con-

Ne consulatus cum plebe com.] *Hoc factũ est sub tribunatu Licinij Stolonis, qui legem tulit, ut alter Consul ex plebe crearetur: contra quam legem Appij oratio extat apud Liuium lib.* 6. Dec. 1. *ubi Appium Claudium Crassum appellat, cuius meminit Plinius quoq; suprà cap.* 20. *ubi plura annotauimus.*

Restitit.] *Hunc Claudium odio magis quàm zelo, ad dissuadendam Stolonis legem in concionem uenisse, Liuius ait.*

Fabius.] *scilicet Maximus. hac de re suprà cap.* 27.

Ad bellum.] *Aduersus Gallos, Samnites, Vmbros, Thuscos, qui contra Rom. conspirauerant.*

Sabinos, Sam. Het.] *De his Italiæ populis, tum alijs locis, tum suprà quoq; ca.* 27. *diximus.*

Viam usq; Brundus.] *Hæc uia quæ est regia, ut Lætus ait, à Constantini arcu incipiens, inter Tusculum & Albam ad Algidum tendit, & inde porrò ad Caßilinum progressa, unde uiginti stadijs à Capua Latinæ uiæ iungitur. Vide Pomp. Læt. titulo* 79. *de antiquitatibus urbis, Marlian. lib.* 4. *ca.* 24. *Topographiæ, Volater. lib.* 6. *ca.* 8. *Vrban. com. Alex. ab Alexand. lib.* 3. *cap.* 13.

Appia dicta est.] *Hæc uia à Caracalla postmodum munita est. Nouæ deinceps nomen accepit. At quæ uerè Noua uocatur, à Palatij porta*

Clodius prorsus sustulit. Vide Liuiū lib. 9 Blon. lib. 3. Rom. triumph. Fenestell. cap. 17. & Pomp. Læt. cap. 21. de Rom. magist.

Cum de pace Pyrrhi ageretur.] *Post cruentissimā cum Pyrrho stragem, nullam mentionem pacis à Romanis factam, apud Plutarchum legimus, quæ res Pyrrhum in admirationem conuertit. Visum igitur est, ut prior ad Romanos mitteret, experireturq; an pacem inire uellent: non enim esse præsentis potentiæ suæ, urbem Romam capere: amicitiam uerò ac pacem gloriosam sibi post uictoriam fore existimabat. Cuius rei quoq; meminit Iustinus lib. 18.*

Per Cyneam] *Erat hic è Thessalia uir magni ingenij, & Demosthenis olim auditor, à quo ita in eloquentiæ studio institutus erat, ut Pyrrhus dicere soleret: Plures à Cynea oratore uictorias, quàm à se armis & bello esse partas. Testis est Plut. in Pyrrho, Fulgosus lib. 8. cap. 9. § 6. Volaterr. lib. 14. cap. 2. Vrban. cōm. De eius uero admirabili memoria, Fulgos. libro 8. cap. 7. § 7. Sabell. libro 10. cap. 9. § 4. Plinius libro 7. cap. 24.*

Pretio.] *Dona miserat Pyrrhus tam proceribus quàm eorum quoq; mulieribus, quæ tamen ab omnibus repudiata sunt. Eam quippe pacē nō diu duraturā putabant, quæ pecunia cœpta esset.*

uide Valer. Max. lib. 4. cap. 3. § 17.

Senex lectica in senatũ latus.] *Hanc historiam leges cùm in suprà citatis authoribus, tum apud Valer. Max. lib. 8. cap. 14. § 6. Flor. lib. 1. ca. 18. Ouid. lib. 6. Fastor. Appius est autor, &c. Ciceronem in Catone Maiore ubi disputat, Senectutẽ rebus gerendis non esse impedimento.*

Magnifica oratione.] *Quæ scripta est apud Plutarchum in uita Pyrrhi. Habuit autem hanc orationem, septem & decem annis (sic enim apud Ciceronem legimus) post alterum consulatum, cum inter duos cõsulatus anni decem interfluxissent, censorq́; ante consulatum fuisset. Ex quo intelligitur, Pyrrhi bello grandem sanè fuisse Appium.*

DE PYRRHO EPIROTARVM REGE.

Cap. XXXV.

PYrrhus rex Epeirotarum, paterno genere ab Achille, materno ab Hercule oriundus, cũ imperium orbis agitãs Romanos potenteis uideret, Apollinem de bello cõsuluit. Ille ambiguè respondit, Aio te Aeacida Romanos uincere posse. Hoc dicto in uoluntatem tracto, auxilio Tarentinis uenit, bellum Romanis intulit,

intulit, Leuinum consulem apud Heracleam elephantorum nouitate turbauit. Cumq; Romanos aduersis uulneribus occisos uideret, ego (inquit) talibus† uiris breui orbem terrarum subigere potuissem. Amicis gratulantibus, Quid mihi cum tali uictoria, inquit, ubi exercitus robur amittam? Ad uigesimum ab urbe lapidem castra posuit, captiuos Fabricio gratis reddidit. Viso Leuinij exercitu, eandem sibi ait aduersum Romanos, quam Herculi aduersus Hydram, fuisse fortunam. A' Curio & Fabricio superatus, Tarentum refugit, in Siciliam traiecit. Mox in Italiã, Locros regressus, pecuniam Proserpinæ auehere tentauit. Sed ea naufragio† elata est. Tum in Græciam † regressus, dum Argos oppugnaret, ictu tegulæ prostratus est. Corpus ad Antigonum regem Macedoniæ delatum, magnifice sepultum.

al. militibus

al. erepta

al. reuersus

IN CAPVT XXXV.

Pyrrhi Epirotarũ regis gesta describunt Plutarch. in eius uita, Florus lib.1.cap.18. & lib.12. 13.& 14.abbreuiationũ, August.lib.3.ca.17.Ciuit. Oros.lib.4.cap.1.& 2.Eutrop.lib.2.cap.4. Antoninus Floren.Tom.1.tit.4.ca.5.§ 12.Valer. Max.lib.4.cap.3 § 17.lib.5.ca.1.§ 19.Fulgosus Genuen.lib.8.cap.16.§ 1.lib.1.ca.6.§ 49 lib.3. cap.2.§ 7.& § 8.& lib.1 cap.6.§ 23.& lib.7. ca.2.§ 9.Plin.lib.33.cap.3.& lib.8.ca.6.& alijs locis. Lorbardus de Syricho cap 2 Supplemẽti in Petrar. Sabell. lib.8. Enn.4.& lib.1. cap.2.§ 4. lib.9. cap.3.§ 2.& cap.11. §.11. Ethnic.exempl. Iustin.lib.18.& 19. Volater.lib.18.ca.1.Vrban. com. Otho Phrisingens.l.b.2.cap.12.& alij.

Ab Achille.]Græcorũ omniũ fortißimo,et Pelei Thessaliæ regis ac Thetidis filio,qui Chironi nutriendus datus,inter filias Nicomedis sub muliebri ueste ignotus,ex Deidamia Pyrrhũ generauit. de cuius genere & parẽtibus copiose Plutarchus à principio in uita Pyrrhi, & Iustinus lib.17.meminit quoq; Strab.lib.7. Volat.lib.33. Vrb.com.

Hercule.]monstrorũ omniũ domitore,de cuius laboribus Boetius de Consolatione philosophiæ lib 4. in fine, Diod. Sicul.lib.5 de Fabulos. antiquorũ gestis, Higinus fabula 30.et 31. Verg. in Epigram. apud Græcos uero, Antipater. Breuißime

mè etiā Eraſ. Rot. in prouerb. Herculei labores.

Apollinem.] Cuius oracula apud Græcos Aphrosq; omniū clariſſima fuiſſe conſtat, de quibus multa Alexand. ab Alex. lib. 6. cap. 2. Tu uide ea quæ dicta ſunt ſuprà cap. 10.

Ambiguè reſpondit.] Notabis hic ſathanæ, qui mille eſt artifex, aſtutias, qui de rebus futuris interrogatus, tam ſolertiſſimè reſpōdit, ut in quamcunq; partem ſe fortuna inclinauerit, ueritatē dixiſſe uideatur, cum ex ſua natura ueritatis hoſtis, & omnium mendaciorum pater ſit. Vide Auguſtinum lib. 3. cap. 17. Ciuitatis.

Aio te Aeacida Romanos uincere poſſe.] Verſus eſt deſumptus ex Ennio poëtarū uetuſtiſſimo, teſte Cicerone libro de Diuinatione ſecundo: in quo, uitio conſtructionis dubia eſt ſententia, propter accuſatiuum uidelicet Te, qui nunc à tergo, nunc à fronte eius uerbi, VINCERE, conſtrui poteſt. ut, Dico te Aeacida poſſe uincere Romanos: & è diuerſo, Dico Romanos poſſe uincere te Pyrrhum, quod paulo pòſt contigit. Simile ferè eiuſdem Apollinis oraculum legimus apud Herodotū lib. 1. ad Crœſum Lydorū regem, quem aduerſus Cyrum Perſarum regem eo reſponſo inflammabat: Perdet Crœſus Halyn trāſgreſſus plurima regna. In quo reſponſo ambiguitas erat in dictione Perdo, quæ nunc deſtruo, nunc amitto ſignificat.

Item obſcurũ oraculũ Syphnijs datũ, leges apud eundẽ lib.3. Spartanis, lib.1. Argiuis, lib.6. &c.

Aeacida.] *Habet hoc nomen ab Achille Aeaci nepote. Nam Aeaci filius fuit Peleus, pater Achillis. Scribit autem Cicero lib.2. de Diuinatione, Ennium poëtam clariſſimum Aeacidarum genus ut ſtolidum ſuggillaſſe, quod belli paulo appetentiores eſſent, quorũ progeniem leges apud Volater. lib.33. cap.24. Philologiæ.*

Tarentinis.] *Qui Romanã claſſem fortè prætereuntem hoſtiliter inuaſerant, quinq; tantum nauibus per fugam uix elapſis: mercatores Romanorum ſpoliauerant, legatosq; lotio aſperſerant. Eſt autem Tarentum Lacedæmoniorum opus, & Calabriæ quondam, Apuliæ, totiusq; Lucaniæ caput. De cuius ſitu & origine lege apud Strabonem lib.6. Plin. lib.3. ca.11. Melam, lib.2. cap.4. Flor. lib.1. cap.18. Iuſtinũ lib.3. Volater. lib.6. cap.8. Geographiæ, Syllium Italicum lib. 12. Verterat, &c. Euſeb. in Chronicis.*

Bellum Rom. intulit.] *Geſtum autem eſt hoc bellum, ſecundum Oroſium, anno ab Vrbe condita 454. Eutrop. 464. Gelliũ uerò lib.17. cap.21. poſt annũ urbis conditæ 400. ferè & 70. qui eo tempore Epicurũ Athenienſem & Zenonem Cittienſem philoſophos celebres fuiſſe ait. Eius belli mentionẽ quoq; facit Frotinus lib.2. cap.3. § 20.*

Leui-

Leuinium.] Alij Leuinum legunt ex Orosio, Eutropio, Floro, & Iustino: eundem Albinum uocat Plutarchus.

Heracleam.] Campaniæ urbem prope Lyrim fluuium, ut Orosius lib. 2. ait, positam: Eutropius uerò apud Lucaniæ urbẽ Heracleam, fluuiumq; Vtim, hanc cladem factam scribit: sed uterque recté. Lucania enim Italiæ regio est, inter Apuliam & Calabriam, uel inter Campaniam & Brutiam, de qua Strabo lib. 6.

Elephantorum nouitate.] Quorum numero uiginti in Italiam primus inuexit Pyrrhus, teste Plinio lib. 8. cap. 6. qui boues Lucas à Romanis appellatos ait, eo quòd in Lucanis primo uisi essent. Anno ab Vrbe condita 472. Cui astipulantur quoq; Iustinus lib. 18. Front. lib. 2. cap. 4. § 13. Solinus cap. 28. Polyhistor. Cœlius Rhod. lib. 13. cap. 8. Volaterran. lib. 25. cap. 6. Vrban. com. & alij quidam à capitis principio citati. Adde quæ de elephantorum magnitudine atque natura scribit Plinius lib. 8. capitibus duodecim primis, Strabo lib. 15. Aristot. lib. 8. animalium.

Turbauit.] In hac clade cecidisse Romanorum peditum 24. milia octingenti uiginti, equitum du centi 46. capti 712. signa amissa uiginti duo referuntur. Fuit autẽ hæc prima cum Pyrrho pugna.

Orbem terrarum subigere potuissem.] Alij

dixisse referunt, O quàm facile orbis imperium occupare erat, aut mihi Romanis *militibus, aut me rege* Romanis.

Amicis *gratulantibus.*] *ob partam de* Romanis *uictoriam.*

Vbi exercitus robur amittam.] *Quo dicto incruentas uictorias probare uisus est. quemadmodum de* Pittaco Mitylenæo *quoque legimus, qui uictorias paucorum sanguine partas laudabat: magno autem ciuium cruore emptas, hoc est* Cadmeas, *ut uocant, non existimabat uictorias. Recitatur apud* Erasmum Roterod. *lib.* 7. *Apophthegmatum, ex* Diogenis Laertij *lib.* 1. *cap.* 5.

Ad uigesimum ab urbe lapidem.] *Ad decimum octauum lapidē,* Eutropius: *Trogus uerò ad* 300. *stadia, castra posuisse ait. Suprà autem alibi diximus, lapidem plerūq; pro miliari poni, quoniam olim miliaria lapidibus signabantur.*

Captiuos.] *Quorum secundum quosdam mille & octingenti numero, secundum* Trogum *autem ducenti tantum fuisse referuntur.*

Gratis.] *sine precio. Coram* Legatis *enim* Romanis *apertè testatus est* Pyrrhus, *se non mangonum more cū* Romanis *negociari, sed certare tantum de gloria et imperio. Cuius ut generosam, ita magno principe dignā sententiam,* Ennius *apud* Cicer. *lib.* 1. *Offic. titulo* 15. *carmine expreßit,*

Nec

Nec mi aurum posco, nec mi precium dederitis:
Nec cauponantes bellum, sed belligerantes:
Ferro, non auro uitam cernamus utriq;, &c.

Fabricio.] *Quem neque muneribus, neq; horrendo elephātorum strepitu, in secunda hac pugna uincere potuit: qua de re lege* Orosium & Eutrop. *meminit obiter* Valer. Max. *lib.4. cap. 3. § 9.* Front. *lib.4. cap 3. § 2. & cap. 4. § 2.*

Reddidit.] *Horum captiuorum pœnas & expiationes, lege apud* Eutropium *lib. 3. &* Alexand. *ab* Alexand. *lib.4. cap.7.*

Leuinij.] P. Valerij *Leuini eo tempore cōsulis, qui occiso quodā gregali, tenēs gladiū cruentum,* Romanos *milites, hostib. terrore incusso, in* Pyrrhi *exercitum incitasse fertur.* Vide Front. *lib.2. cap.4. § 9. &* Vol. *lib.20. cap.2.* Vrban. com.

Aduersus hydram.] *Quam poetæ* Lernæam *uocant.* Fuit *autem* Lerna *lacus* Achaiæ *circa* Argos, *ut apud* Strabonem *lib.8. &* Plinium *lib. 4. cap. 5. legimus, in quam cum paßim purgamenta deportarentur, ex fœtida illa materia hydram illam, quam alij centum fuisse capitum; alij octo aiunt, natam finxerunt ueteres: sed eandem ex* Echidna & Typhone *prognatam, & à* Iunone *in* Herculis *odium alitam,* Hesiodus *memoriæ prodidit. Verùm cum monstrorum domitor* Hercules *hydræ aliquot capita amputasset, mox*

eodem loco plura renascebantur. Vt malum igitur prohiberet, congesta lignorũ strue igni Græco exußit. & hinc nata sunt prouerbia, lerna malorum, & secare hydram: quorum postremum usurpatur in eos, qui unum aliquod malum tollentes, pluribus malis sese ex eodem fluctibus inuoluunt. De hydra autem Lernea, quam magno periculo Hercules interfecit, lege Boetium de Consolatione philosoph. lib. 4. Diodor. Sic. lib. 5. Higin. fab. 151. Boccat. de Geneal. deorũ. meminit Verg. lib. 6. Et centũ geminos, &c. & paulo pòst Placarit nemora, &c. Cœl. Rhod. lib. 26. cap. 3.

Eandem sibi aduersus Rom. fortunã.] *Semper enim unius belli finis, alterius initium erat: et sic Hydram illam Lerneam secabat (quemadmodum de Alexandro quoque Plutarchus de eius fortuna loquitur) semper aliis bellis repullulantem. Vnde recte Seneca quodam in loco scribit, negotia sordida abrumpi quidem posse, explicari non posse: quòd negotiũ ex negotio seratur, & occupationi occupatio uelut unda succedat undæ.*

Curio.] *Marcum Curium Dentatum intelligit, à quo Italia pulsus est. Vide Frontinum lib. 2. cap. 2. § 1. & Plinium suprà cap. 33.*

À Fabricio superatus.] *Secundã cum Romanis pugnam intelligit, quæ in Apuliæ finibus fuit, & ubi Pyrrhus transfixo brachio saucius è prælio ces-*

lio cessit, amissis uiginti suorum millibus, atque ablatis quadraginta tribus signis, teste Orosio, & Eutropio.

Tarentum refugit.] ubi in templo Iouis titulum affigens, atrocitatem cladis acceptæ his uerbis Dijs omnibus testatus est:

Qui antea inuicti fuere uiri, pater opt. Olympi,
Hos ego in pugna uici, uictusq; sum ab hisdem.

Locros.] Locros Italiæ urbem insignem facit Strab. lib. 9 à Locris dictã: qui Euante duce, paulo post conditam Crotonem, & Syracusas, in Italiam profecti sunt è sinu Cressæo. Verg. lib. 3. Hic & Naritij posuerũt mœnia Locri, &c. ubi multa Seruius. Notandum uerò, Epicnimidios fuisse dictos, antequam Italiam petierint: mox Epizephyrios. De his uide quoq; Melam lib. 1. cap. 4. Volaterranum lib. 6. cap. 7. Geographiæ.

Proserpinæ.] Fuit hæc Iouis ex Cerere filia, quæ legens apud Aetnam flores à Plutone rapta dicitur, unde omnis agrorum cultus euanuit. Verùm Iouis miseratione à Cerere ab inferis reuocata fingitur. unde tam apud Athenienses, quàm alios quoq;, multa eius deæ sacra & solennia instituta sunt. Eandem autem deam nunc Proserpinam, nunc Lucinam, nunc Triuiam, nunc Hecaten & Noctilucã appellant. De qua multa Boccatius in Geneal. deorum, Higinus fabula 146.

Fulgen-

Fulgent.lib.1.Mythologicon, Volat lib.33. cap. 12.Philologiæ, Cælius lib 26.cap.20.& lib.24. cap.30. Alexand.ab Alexand.lib.4.cap.17.

Pecuniã auehere tentauit.] Pyrrhus Locrenses eò adegit, ut ex Proserpinæ thesauro magnũ auri pondus darẽt, qua præda cum onustus nauigaret, orta subito maris tempestate, uicinis Deæ littoribus illisus est, unde pecunia omnis reperta, & Proserpinæ restituta est. Historiam leges quoque apud Valer. Maximum lib.1.cap.2.§ 6.

Argos.] Florentissimam Achaiæ urbem, non longè ab Athenis sitam, quam olim Hippium cognominarunt, quòd nobilibus equis abundaret, cuius rei meminit Horatius quoq; lib.1. Carminum, Aptum dicet equis, &c. Vide de hac urbe Strabonem lib.8. Plinium lib.3. cap. 11. Melam lib.1. cap.4. et Stephanũ de Vrbibus, qui decem huius nominis ciuitates describit, quas ex eo recitat Volaterranus lib.8.cap.8.Geographiæ.

Ictu tegulæ prostratus est.] Ab anicula Argiui cuiusdam matre tegula occisus est, ut à periculo liberaret filium, quo cum congrediebatur Pyrrhus. de huius morte uide Orosiũ, Eutrop. Plut. Iustinum lib.25. in fine, Strabonem lib.8.

Antigonum Maced.regẽ.] Fuit is Antigonus Demetrio patre natus, & omniũ bellicosissimus, de cuius gestis lege Trogum lib.26. Valer. Max. lib.

lib.5.cap.1.§ 20.Fulgos.lib.4.cap.7.§ 5.& lib. 5.cap.4.§ 1.Sabell.lib.3.cap.6. §5.et lib.1.cap. 4.§ 2. Volaterranum lib.13.cap.1.Vrban.com.

DE VOLSCINIIS.

Cap. XXXVI.

VOlſcinij † Hetruriæ nobile oppidũ, luxuria penè perierunt. Nam cum temerè ſeruos manumitterent, dum in curiam legerent, conſenſu ſeruorum oppreſsi, cum multa indigna paterentur, clam Roma auxilium petierunt. Miſſusq; Decius Murena, mox Libertinos omneis aut in carcere necauit, aut dominis in ſeruitutem reſtituit.

† *al. opulentißimi Hetruſcorum populi*

IN CAPVT XXXVI.

Volſcinij Hetruriæ oppidum.) De his Hetruriæ populis, Strabo lib. 5. Plinius lib. 3. cap. 5. Pomp. Mela lib. 2. cap. 4. iuxta quos lacus eſt, quem apud Columellam tantum lacum Volſciniensem nominatum reperio, cuius quoque Volaterranus lib. 5. cap. 2. Geographiæ meminit.

Luxuria perierunt.) Diuitiarum effectus luxuria eſt, quæ ſæpenumero multorum malorum cauſa fuit. Lege ea quæ doctißimè ſcribit Platina, de uero & falſo bono libro secũdo, & Syll. Itali-

Italicum lib. 15. Quippe nec ira deûm, &c.

Temerè.] *impræmeditatò, sine consilio, non habita ratione meritorum aut uirtutum. Temeritas enim est defectus consilij, & præcipitatio quædam, quæ imprudentiæ cognata est, & per quam ea fieri dicuntur, quæ ratione non geruntur, uel propter impetum uoluntatis, uel passionis, uel ex contemptu. Ideo'que continetur sub præcipitatione, quæ respicit utrunque, sed magis primum.*

Seruos.] *Serui erant, qui domino alieno contra naturã subijciebãtur: & appellati ex eo, quòd captiuos uendi imperatores iuberent, ac per hoc seruare nec occidere. qui & mancipia dicuntur, eo quòd ab hostibus manu caperentur. Serui autem aut nascebantur, aut fiebant. Nascebantur quidem ex ancillis, fiebant iure gentium, hoc est: ex captiuitate, aut iure ciuili, quum homo liber maior uiginti annis ad precium participandum sese uenundari patiebatur. Vide Aristotelem lib. 1. Politicor. Gellium lib. 17. cap. 6. & lib. 7. cap. 4. Alexand. ab Alexand. lib. 3. cap. 20. Cœl. Rhodig. lib. 25. cap. 17. 18. & 19. Blondum lib. 4. Romæ triumphant. Pomponium Iurisconsultum ff. de Verborum & rerum significatione, & Florentinum ff. de statu hominum.*

Manumitterent.] *ab omni seruitute liberarent.*

rent. Fuit autem mos, ut qui ex seruitute in libertatem uocabatur, raso capite ad Prætorem itaret, cuius iussu seruitute eximeretur: quiq; eo modo libertatem nacti fuerāt, manumißi dicebatur. Qua de re leges Liuium lib. 2. Blond. lib. 4. Rom. triumphan. Alexand. ab Alex. lib. 4. cap. 10. Vbi tres libertatum & manumißionum species apud Romanos fuisse docet.

In Curiam.] in senatum. Curia autem inde dicta est, quod eo loco proceres Reipub. curas suscipiebant. Huius autem capitis de ingratitudine seruorum historias lege apud Orosium lib. 4. cap. 5. Eutrop. lib. 2. cap. 5. Valer. Max. lib. 9. cap. 1. § 11. Flor. lib. 1. cap. 21. meminit obiter Volater. lib. 5. cap. 2. Geographiæ.

Oppreßi.] Serui enim extorres dominos, à quibus multa acceperant beneficia, procul de gradibus deiectos abegerant.

Indigna paterentur.] Serui omnia occupantes, omne ius, omnesq; leges destruxerant, testamēta ad arbitrium suum scribi iubebant, conuiuia cœtusq; ingenuorum fieri uetabant, filias dominorū in matrimonium ducebant, stupra in uiduis pariter atq; nuptis permittebant: ne qua uirgo ingenuo nuberet, cuius castitatem non antea ex numero ipsorum aliquis delibasset, prohibebant.

Auxilium petierunt.] Constat enim manu-

missorum tantam fuisse multitudinem, ut sine pul uere omnes eijcere urbe potuissent, ni à finitimorum auxilio fracti essent. Auxilia autem propriè dicuntur milites, qui à socijs, aut confœderatis necessitate postulante mittuntur: teste Vegetio libro 2. de re militari, cap. 2.

Decius Murena.] Multa cognomina Romanis ex piscibus fuisse indita legimus. Vnde hunc quoq; Decium, uel quòd piscium eius generis uiuaria quàm amplissima habuerit magno fœnore, uel quòd eo edulio præcipuè uesceretur, dictũ uolunt. Tametsi Murenam à neruoso corpore, sicut Neruam à fortitudine, multi denominari dicant: ut est apud Alexan. ab Alex. lib. 1. cap. 9. Est autem murena piscis anguillæ non dissimilis, cuius descriptionem habes apud Aristotelem libro 9. historiæ animalium, Plinium libro 9. cap. 19. & 23. & Franciscum Massarium in eundem.

Aut in carcere necauit.] Ingratitudinis & impietatis pœna.

In seruitutem restituit.] Militaris fortitudinis, & frenatæ licentiæ præclarum exemplum. Sed hoc præterea notandum quàm diligentiss. duximus, aduersus malè meritos, impuros, & flagitiosos libertos, patrono ius reuocandæ libertatis fuisse apud Romanos. Quod etiam ab Atheniensibus studiosissimè semper obseruatum est, qui contumaces

contumaces & ingratos libertos sub mancipio esse, & seruire cogebant, quoniam liberi esse nesciuissent. Addendum & illud, apud Massilienses, libertum ter doli admissi reum aduersus patronum, uelut mancipium seruire coactum esse, per singulas uices libertate rescissa. Vide Alexandrum ab Alexandro libro tertio, capite uigesimo.

DE APPIO CLAVDIO CAVDICE. *Cap. XXXVII.*

APpius Claudius, uictis Carthaginensibus, cognomneto †Caudax, frater Cæci fuit. Consul ad Mamertinos liberandos missus, quorum arcem Carthaginenses & Hiero rex Syracusanus obsidebant, primò ad explorandos hosteis fretum piscatoria naui traiecit: & cum duce Carthaginensium egit, ut presidium arce deduceret. Rhegium regressus quinqueremem hostium copijs pedestribus cepit, †phalangem in Siciliam traduxit. Carthaginenses Messana expulit. Hieronaregem prælio apud Syracusas in

deditionem accepit. qui eo periculo territus, Romanorum amicitiam petijt, eisq; postea fidelissimus fuit.

v.m.l.4.c.8 5.7.

IN CAPVT XXXVII.

Appius Claudius.] *Huius contra Hieronem Syracusanorum regem fortia facta, lege apud Orosium lib.4. cap.7. Eutrop. lib.2. cap. 5. Florum lib.2. cap.2. & lib.31. Abbreuiat. Gel. lib.17. cap. 21. Frontin. lib.1. cap.4. § 10. Sabel. lib.9. Ennead. 4. Volater. lib. 6. cap.11. Geograph. & libro 14. cap.2. Vrban. com. Phrising. lib.2. cap.33. et alios.*

Appius.] *Appij qui dicantur, & Appiorũ familia unde orta sit, diximus suprà cap.34. in Claudio Caeco, ex Alexan. ab Alex. lib.1. cap.9.*

Caudex.] *Dictus est Caudex, quòd primus classem extra Italiam duxerit, & nauali praelio pugnare docuerit, teste Seneca, qui in libello de Vitae breuitate, hunc in modum loquitur: Quis Romanis primò persuasit nauem conscendere? Claudius is fuit, Caudex ob hoc ipsum appellatus, quia plurium tabularum contextus, caudex apud antiquos appellabatur. Cui astipulatur quoq; Gellius libro 10. cap. 25. & Bayfius de re nauali in fine.*

Victis Carthaginensibus.] *Alij Volsciniensibus legunt: sed ex suprà citatis authoribus, Carthaginensibus legendum esse colligimus.*

Caeci.] *ira deorum & praecipuè Herculis excaecati,*

cæcati, eo quòd Potitios sacerdotes pecunia corru pisset, ut sacra Herculeana seruos publicos edocerent. Qua de re copiosè dictum suprà cap. 34.

Consul.] Fuit eo tempore consul cum Fuluio Flacco, ut apud Gelliũ legimus: licet Orosius cum Quinto Fabio consulẽ fuisse, memoriæ tradiderit.

Mamertinos.] Siciliæ populos, qui cum olim Messanã colonos misissent, teste Polybio Mamertini quoq; & ipsi dicti sunt: de quorum origine uide Strabonem lib. 6. Festum Pompeium, Plin. lib. 3. cap. 8. Alsium lib. 1. belli Carthaginensis, Volat. lib. 6. cap. 11. Geograph.

Missus.] Anno, secundum Orosium, ab Vrbe condita 483. Liuium uerò 478.

Carthaginenses.] De Carthaginensibus cum (ut Salustius ait) satius sit silere, quàm pauca dicere, lectorem remittimus ad Strab. lib. 17. Trogum lib. 18. Appian. in Lybico, Apul. in Floridis, Polybium lib. 1. Volat. lib. 12. cap. 7. Geographiæ, Melam lib. 1. cap. 8.

Hiero rex.] De Hierone Syracusanorum tyranno, Carthaginensibus confœderato, leges plura apud Aelianum de Varia historia, Iust. lib. 23. Fulgos. lib. 6. cap. 1. Volat. lib. 16. cap. 3. Vrbanor. comment. & alios.

Syracusanus.] Syracusæ pulcherrima & omnium minutissima Siciliæ ciuitas, iuxta Pachinum

promontorium: de cuius origine, ædificijs magnitudine et capacitate, lege Strab. lib. 6. Diodor. Sic. *lib. 16. de rebus* Dionis, *Plutarchum. in uita* Niciæ, *Ciceronem in oratione 6. & 7. Verrina.* Pompon. Mel. *lib. 2. cap. 7. Sarangoſam autem appellari hodie,* Oliuarius Valentinus *in* Melam *ſcriptum reliquit.*

Obſidebant.] *Sabellicus ſcribit,* Hieronem *regem diuerſa parte urbis, circa montẽ quem* Chalcidicum *uocant, caſtra poſuiſſe.*

Fretum.] *mare* Tyrrhenum *& inferum.*

Piſcatoria naue.] *Piſcatoriæ naues ſunt, quæ piſcium capiendorum cauſa paratæ ſunt, quas nauicellas uocat* Marcianus *in tractatu de fundo inſtructo. Lenunculos etiam piſcatorios uocat* Amm*ianus* Marcellinus *lib. 14. & 16.*

Duce Carthaginenſium.] Himilcone *ſcilicet.*

Rhegium.] *oppidum in margine* Italiæ *contra Siciliam, ut ex tabulis quoq; Geographicis liquet, cui Græci à fractura nomen dederunt.* Italia *enim cum quondam Siciliæ coniuncta eſſet, tempeſtate maris abrupta dicitur. Qua de re* Vergilius *lib. 3.* Aeneid. *Hæc loca ui quondam, &c.* Syl. Italicus *lib. 15.* Incũbens Meſſana, *&c.* Iuſt. *lib. 4.* Plin. *lib. 35.* De huius urbis origine Strabo libro 6. quã Oliuarius, Rezo *hodie appellari dicit.*

Quinqueremem.] *nauem à quinto ſedilium ordine*

ordine dictam, & à Nesichthone primùm olim inuentam, quæ πεντήρεις à Græcis dicitur. Aulus autem Hircius, siue Opius, in bello Alexandrino & Aphricano pentriremem hanc uocat, uocabulo semi græco semiq; latino: qua autem ratione, nondum inter doctos constat, cum Cicero ubiq;, alijq; authores quinqueremem appellent. Vide Plinium libro 5. cap. 12.

Copijs pedestribus.] Copias hoc loco pro parua militum manu ponit, quemadmodum Cicero in oratione pro Aulo Cecinna.

Legionem traduxit.] Legio militum, non uno semper eodemq; numero fiebat, sed pro robore, proq; militari multitudine, modo maior ampliorq;, modo exilior esse consueuit, sæpiusq; numero & genere uariauit. Qua de re lege Vegetium de re militari lib. 2. cap. 1. & 2. & Alexand. ab Alex. lib. 1. cap. 5. copiosius ea de re & apertius loquentem & lib. 4. cap. 2.

Carthaginenses expulit.] Copiosè hac de re, sed paulo aliter quàm hoc loco Plinius, scribũt Philinus de primo bello Punico, Polybius & alij, quorum sententiam breuiter excerptam leges apud Sabellicum lib. 9. Ennead. 4.

Messana.] ex nobili Siciliæ ciuitate, quæ Peloro propinqua, instar Phari Alexandrini turrim habuit. Hæc primum Zancle, teste Volaterrano,

dicta est: eius uerò inhabitatores paulo pòst à Tauromenio Tauromeni, uel Tauromenij, & Tauromenitani appellati sunt. Syl. Italicus lib. 14. *Tauromenitana cernunt, &c.* Lucanus lib. 4. *Tauromenitanæ fugiens, &c.* Huius rei meminit Strabo lib. 6. Plin. lib. 4. cap. 5. Diodor. lib. 16. Pompon. Mel. lib. 2. cap. 7. Volat. lib. 6. cap. 11. Geograp. à princip. Baptista quoq; Egnatius Venetus sacerdos in eo libello, quẽ Racemationum titulo dignatus est.

Romanorum amicitiam.] *Mamertinis partim se Romanis, partim Carthaginensibus dedentibus, pax regi & Syracusanis data est, & amicitia inita: sed post annos triginta quatuor rebellauere Syracusani, cæsa prole Hieronis: contra quos C. Marcellus eo tempore missus, non prius redijt, quàm captis & direptis Syracusis.* Vide Volaterranum lib. 6. cap. 10. Vrban. com. in fine.

Postea fidelissimus fuit.] *Declarauit suam cũ Romanis amicitiam perpetuam fore Hiero rex, in rebus etiam aduersis. audita enim Romanorum apud Trasimenum clade cruentissima, trecenta millia modiorum tritici, ducenta hordei, auriq; ducenta & 40 pondo, urbi muneri misit, summa semper obseruantia Romanos coluit: quo contigit, ut Romanorum quoq; fauore & beneuolentia Syracusanæ quoq; res sub eo tam prosperæ & felices fuerint, quàm sub regum antea nullo extiterint.*

Vide

Vide Valer. Max. lib. 4. cap. 8. § 7. Discendum autem est Romanorum & Hieronis atrocißimi olim hostis exemplo, nullum odium esse tam acerbum, nullos hostes esse tam atroces, qui mansuetudine et beneuolentia non molliantur & reconcilientur. Cuius rei multa alia exempla leges apud Valerium, tit. De ijs qui ex inimicis iuncti sunt amicitia, libro 4. cap. 2.

DE CN. DVILLIO, ET HIMILCONE *Pœnorum duce.*

Caput XXXVIII.

CNeus† Duillius primo Punico bello dux contra Carthaginienseis missus, cum uideret eos multum mari posse, classem magis ualidam, quàm decoram fabrefecit: & quas Coruos uocauere, manus ferreas cum irrisu hostium primus instituit. † Quibus inter pugnandum hostium naueis apprehendit, qui uicti & capti sunt. Himilco dux classis Carthaginem fugit, & à Senatu quæsiuit, quid faciendum censeret. Omnib. ut pugnaret acclamãtibus: Feci, inquit, et uictus sum. Sic pœnã

al. Duellius *al. Sic inter*

crucis effugit. Nã apud Pœnos dux male re gesta puniebatur. Duillio cõcessum est, ut prælucente funali, & præcinente tibicine, à cœna publicè rediret.

IN CAPVT XXXVIII.

Cneus.] *Ita etiam apud Frontinum legimus. sed cæteri ferè omnes non Cneum, sed Caium Duillium uocant.*

Duillius.] *Valerius Caiũ Duelliũ nominat, cuius militarẽ fortitudinẽ leges apud Flor. lib. 2. cap. 2, Orof. lib. 4. ca. 7. Eutrop. lib. 2. cap. 5. Val. Max. lib. 3. cap. 6. § 4. Sabel. lib. 9. Ennead. 4. Rapsod. Front. lib. 1. cap. 5. § 6. Othon. Phrisingen. lib. 2. ca. 33. Volater. lib. 15. cap. 1. Vrban. com. & alios.*

Primo bello Punico.] *Punicum bellum ortum est: anno tertio, 128 Olympiadis uel secundũ Gellium libro 17. cap. ultimo, post Romam conditam 400. fermè & 90. Vnde manifestus error in omnibus Solini codicibus uetustißimis apparet, quibus propè finem secundi capitis asseritur primum bellum Punicum fuisse anno ab urbe condita 389. cum 489. legendum sit: quem Solini locum Ioannes Oporinus uir græcè & latinè impensè doctus, & affinis meus charißimus, in suis in eundem Annotationibus restituit: ex Plinio nimirum, qui ait lib. 3. cap. 33. argentum signatum esse anno urbis*

485.

485. Quinto Fabio consule, quinq; annis ante primum bellum Punicum. quos si prioribus annis addideris, 490 inuenies.

Cum uideret multum mari posse.] Orã enim Italiæ maritimam instructa septuaginta nauium classe uastabant.

Classem magis ualidã quàm decorã fabrefecit.] Scribit Florus intra sexagesimũ diẽ syluã cæsam, et centum sexaginta (uel secundũ Orosium & Eutr. 130) nauium classem factam, tam celeriter, ut uelocitas uictoriæ auspicium ostenderet, cum non arte factæ, sed deorum quodam munere conuersæ in naues, atq; mutatæ arbores uiderentur. Cuius rei meminit quoque Plinius lib. 16. cap. 40. Syll. Ital. lib. 6. circa finem.

Quas coruos uocauère.] Erant corui uelut pontes quidam sex ulnarum in gradus sua longitudine digesti, ligneæq; columnæ, qui circa nauium proras stabant, summo loco impositi: qui libramentis quibusdam remissi, præcipiti rotæ uolubilitate in aduersam nauim cadentes, quacunque parte incidissent, tenaci nexu alligatam, quasi per gradus euntibus peruiam faciebant. Lazarus autem Baysius, licet de re nauali & ueterum nauium structura doctissimè scripserit, coruorũ tamen descriptionem ideo omisit, quòd potius inter machinationes ad præliandum, quàm inter naues

naues corui numerentur, quorum meminit Appianus lib. 5. bellorum ciuilium. Quo autem tempore à Romanis κόραξ inuentus fuerit, Polybius libro 1. ubi hanc historiam describit.

Manus ferreas.] *Duillius cum uideret graues suas naues mobilitate Punicæ classis eludi, irritãq; uirtutem militũ fieri, excogitauit manus ferreas, quæ ubi hostilem apprehenderẽt nauem, superiecto ponte transgrediebantur* Romani, *& in ipsorum ratibus cõminus eos trucidabant. Manus autem ferreæ meminit Cæsar lib. 1. bellorum ciuiliũ. autorem autem huius ad uiuum exprimit Frontinus lib. 2. cap. 3. Stratagematum.*

Victi & capti sunt.] *Triginta & una naues Carthaginensium in eo prælio, Eutropio teste, captæ sunt, tredecim mersæ, tria millia hominum occisa, & septem millia capta.*

Quid faciendum censerent.] Hoc est, *num cũ* Romanis, *attrocißimis hostibus, congrediendum putarent.*

Feci, inquit, *& uictus sum.*] H*æc non* Himilconem, *sed* Hannibalem *fecisse*, V*alerius lib. 7. cap. 3. scribit, § 18. sed paulò aliter: ait enim, ex infelici illa pugna, priusquam cladis nuncius domum perueniret, quendam ex amicis compositum & ornatũ* Carthaginem *misisse, ut interrogaret an cum hoste cõfligere debeat. quód ubi concessum esset, tum*

ille

ille conflixit, inquit, & superatus est.

Pœnam crucis effugit.] Mulctæ militares & nonnullæ maiores, quæ capitis supplicio luebantur, & pleræq; minores, prout grauiter aut leuiter delictum esset, facinorosis & delinquentibus militibus, à ducibus inferri solitæ sunt. Nã desertores fugitiuos, aut si loco, statione, præsidió ue cessissent, tergá ue dedissent, tanquam peßimo facinore adstrictos, capitali pœna plectere solebant. Nõ nunquam ubi multitudo obnoxia foret, authores rerum ad palum deligare, aut securi percutere, reliquæ uerò multitudinis decimum quenq; sorte ductum ad supplicium petere peruulgata pœna fuit. Alexand. ab Alex. lib. 2. cap. 13. Notandum tamen, apud Romanos seruorum tantum suppliciũ fuisse crucem, quam ex arbore infelici fieri solitam, ex oratione Ciceronis pro C. Rabirio, conijcere licet.

Dux male re gesta puniebatur.] Notanda hoc loco Carthaginensiũ seuera disciplina, apud quos si quis imperator, aut dux, prauo consilio, licet fœlici euentu pugnasset, fœdo supplicio in crucem elatus, morte pœnas dabat. Romani uerò duces, qui temeritate, uel inscitia exercitus amisissent, aut fugæ & pauoris insimulati essent, pecunia aut exilio sæpe mulctati sunt: teste Alexandro ab Alex. lib. 4. cap. 7. ex Liuio.

Duellio concessum est.] Post insignem ex na-
uali

uali uictoria triumphum, & statuam publico loco erectam, cuius meminit Plinius lib. 34. cap. 5.

Prælucente funali à cœna rediret.] Vt insignem bellicæ rei successum, nocturna & publica celebratio testaretur. qua de re Cicero de Oratore ad Brutum, & in Catone maiore. Valerius Maximus libro 3. cap. 6. § 4. & Syllius Italicus lib. 6. in fine:

Exuuias Marti, domumq; Duillius alto
Ante omnes mersa Pœnorum classe dicabat.
Cui nocturnus honos funalia clara, facerq;
Post epulas tibicen adest, castosq; penates
Insignis læti repetebat murmure cantus, &c.

DE ATTILIO CALATINO.

Cap. XXXIX. 39.

ATtilius Calatinus dux Romanorũ aduersus Carthaginienses missus, maximis et munitissimis ciuitatibus, Aenna, Drepano, Lilybęo hostilia præsidia deiecit. Panormum cœpit: totãq; Siciliã peruagatus, paucis nauibus, magnã hostiũ classem, duce Hamilcare, superauit. Sed cũ ad Camerinã ab hostibus obsessã festinaret, à Pœnis in angustijs clausus est: ubi tribunus militũ Calphurnius Flãma, acceptis trecẽtis in superio-

ſuperiorē locū euaſit, Conſulē liberauit. Ipſe cū trecentis pugnans cecidit: & poſtea ab Attilio ſemianimis inuentus, & ſanatus, magno poſtea terrori hoſtibus fuit. Attilius glorioſè triumphauit.

IN CAPVT XXXIX.

Aduerſus Carthag. miſſus.] *Anno ab urbe cōdita 558. Lucio Manlio Vulſcone & M. Attilio Regulo Cōſulibus, teſte Sabellico. Scribitur aūt in præſenti capite de eo Attilio, qui ex agro ad imperiū pop. Romani ſuſcipiendū à ſenatu uocatus eſt. De cuius egregiè factis, Liuius lib. 19. et præterea lib. 4. Dec. 3. Polyb. lib. 1. Valer. Maximus lib. 4. cap. 4. § 5. & lib. 8. cap. 1. § 9. Oroſ. lib. 4. cap. 8. Eutrop. lib. 2. cap. 5. Flor. lib. 2. cap. 2. Front. lib. 1. ca. 5. Sabel. lib. 9. Ennead. 4. Rapſod.*

Aenna.] *Ita enim eſt legendū. Eſt autem hæc ciuitas in meditullio & umbilico Siciliæ collocata, & ob templum Cereris famoſiſſima, quam fluuius quoq; eiuſdem nominis alluit, ut ait Stephanus. De hac lege quoq; Strabonem lib. 6. Sabell. lib. 3. Ennead. 5. Rapſod. Volat. lib. 6. cap. 11. Geograp. Verùm ſunt qui pro Aenna legant Aetna, quæ eſt quoq; Siciliæ ciuitas in Aetnæ flammiferi montis aſcenſu. de qua Plin. lib. 3. cap. 8. lib. 2. cap. 109. et Sabel. lib. 6. Ennead. 1. Rapſ.*

Drepano.] *Siciliæ oppido inter Bacchum fluuium*

uium & Segestanum promontorium, in falcis speciem curuato littore, ut ex ipso nomine apparet. Δρέπανον enim falcem significat. Nisi potius poetis fides habenda, qui à Saturno amputatis genitalibus paternis, falcem his locis abiectam fabulantur. De hac Strabo lib.8. Plin. lib.3. cap.8. & lib.6. cap.29. Volat. lib.6. cap.11. Geograph. Sabell. lib. 7. Ennead.1. & lib.9. Ennead.4. *Est autē hoc oppidum ob Anchisæ sepulturam famosissimū.* Vergilius lib.3. Aeneid. Drepani me portus, &c.

Lilybeo.] *urbe & promontorio celiberrimo eiusdem insulæ.* Vide Strabonem lib.6. Plin. lib.3. cap.8. & lib.6. cap.34. Pomp. Mel. lib.2. cap.7. et Volat. lib.6. cap.11. de locis Siciliæ.

Panormum.] *Siciliæ ciuitas inter Lilybeum & Pelorida, quæ hodie quoq; clara habetur.* De qua Strabo lib.7. & 14. Plin. lib.4. cap.5. & lib.3. cap.8. Pomp. Mela lib.2. cap. ultimo, Volat. lib.6. cap.11. Vrban. com. De huius obsidione Front. lib. 3. cap.17. § 1.

Totamq; Siciliam.] *Cuius circuitum Posidonius quatuor milium & quadringentorum stadiorum esse prodidit. Verùm de huius insulæ situ, ambitu, ubertate rerum, & uarijs etiam & diuersis nominibus, lege Strabonem lib.1. & 6.* Polyb. lib. 1. de bello Punico, Plin. li.3. ca.8. Diodor. Sic. lib.6. Solin. cap.11. Oros. lib.1. ca.2. Ouid. lib.15. Claud.

lib.1.

lib. 1. de raptu Proserpinæ, Sylli. Ital. lib. 3. & 14. Lucret. lib. 1. Pomp. Mel. lib. 2. cap 7. Iustin. lib. 2. Volater. lib. 6. cap. 11. Geograph. Sabell. lib. 3. Ennead. 8. Rapsod. & alios.

Duce Hamilcare.] *Hannibalis patre, quem cognomento Barcham historiæ nominant. plures enim Hamilchares duces Carthaginenses diuersis temporibus floruisse constat, quorum catalogum leges apud Volaterranum lib. 13. cap. 1. Vrban. comment.*

Paucis nauibus.] *trecentis triginta nauibus cõtra Carthaginenses profectum, Eutropius ait.*

Hostium classem superauit.] *In fugam enim uersi Carthaginẽses, sexaginta & quatuor naues perdiderunt, secundum Eutropium. à quo dissentit Orosius, qui ait, Punicas naues uiginti quinque demersas, cæteras captas: triginta hominum milia capta, & quatuordecim millia cæsa esse.*

Camerinam.] *Apud Strabonem libro 6. legimus, in Siciliæ lateribus oram ipsam, qua à Pachyno in Lilybæum extenditur, totam relictam esse, & priscarum tantum habitationum uestigia seruasse, è quibus Camerina Syracusanorum colonia fuit. Cuius quoque meminit Plinius libro 3. cap. 8.*

Pœnis.] *Carthaginẽsibus. Dicuntur aũt quasi*

Phœni, quòd à Phœnicibus originē traxerint, teste M. Agrippa apud Plinium lib. 3. cap. 1.

Angustijs.] *Valle, cuius latera omnia hostes sepserant lectißimis militibus.*

Calphurnius Flamma.] *Romanarum rerum scriptores, quantum ad huius tribuni nomen attinet, uehemēter dissentiunt. Alij enim Laberium, nonnulli Q. Cæditium, plurimi autem Calphurnium Flammam, fama uocitatum tradiderunt. Calphurnios autem, à Calpho Numæ regis filio oriundos ferunt, qua de re Alexander ab Alexand. lib. 1. cap 9.*

In superiorem locum euasit.] *Aliter apud Frontinum lib. 1. cap. 5. Stratagematum legimus, qui hunc in modum scribit: Tribunus militum cum dimissum exercitum in uallem uideret eam, cuius superiora hostis insederat, depoposcit, & trecentos milites accepit: quos adhortatus ut uirtute sua exercitum seruarent, in mediam uallem decurrit, & ad opprimendos eos undique descendit hostis, longo'que & aspero prælio retentus, occasionem Consuli ad extrahendum exercitum dedit.*

In superiorem locum euasit.] *Præsidio enim decedere apud Romanos capitale fuit. De quorum militari disciplina lege Alexand. ab Alexand. lib. 1. cap. 12. & 20. & lib. 4. cap. 7.*

Con-

Consulem.] Attilium Collatinum.

Cum trecentis pugnans.] *Quos ad unum omnes cecidisse & interfectos esse, Eutropius ait.*

Inuentus est.] *inter militum interfectorum cadauera. Militaris fortitudinis exemplum.*

Triumphauit.] *Finito triumpho ad agriculturã reuersum esse scribunt: in qua cum reliquum uitæ tempus exegisset, Romæ defunctus: & cum benè de Romana Respub. meritus esset, honorificè extra portam Capenam sepultus est. de cuius sepulchro Cicero libro 1. Tusculanarum quæstionum, & Marlianus libro 7. cap. 17. Topographiæ Vrbis Romæ.*

DE M. ATTILIO REGVLO.
Cap. XL. 40.

MArcus Attilius Regulus consul, fusis Salentinis triumphauit, primusq; Romanorum ducum in Africã classem traiecit: quassatas, duce Hamilcare, naueis longas treis & sexaginta accepit. Oppida ducenta, & hominum ducenta millia cepit. Absente eo coniugi eius, & liberis, ob paupertatem sumptus publicè dati. Mox arte Xantippi Lacedæ-

u a monij

monij mercenarij militis captus, in carcerem missus, legatus de permutandis captiuis Romã missus, dato iureiurando, ut si non impetrasset, ita demum rediret: in Senatu conditionem dissuasit, reiectisq; à se coniuge & liberis, Carthaginem regressus: ubi in arcam ligneam cõiectus, clauis introrsum adactis, uigilijs ac dolore punitus est.

IN CAPVT XXXX.

Consul.]Bis fuit Consul Marcus Attilius, Cicerone & Plinio autoribus: primò quidem cum Lucio Iulio Libone, anno ab Vrbe condita 486. Secundò uerò, cum Cn. Cornelio Bleso, anno conditæ Vrbis 496. secundum Liuium, quem Glareanus in Chronologia sua præcipuè imitatus est. & in ultimo hoc consulatu quoq; captus est, teste Polybio. Non autem ignoramus Sabellicum & Eutropium memoriæ tradidisse, Regulum hunc cum L. Manlio Volsone consulem fuisse eo anno: quos in prænomine errasse non dubium est, in quibus persæpe à grauißimis etiam autoribus peccatum est. Tu Glareani Chronologiã in Liuium cõsule, qui non Marcum, sed Caium Attilium Regulum anno post Vrbem conditam 503. cum L. Manlio

Volsone

Volsone consulem fuisse, ex Liuio colligit: cui asti pulatur Orosius libro 4. cap. 10. Eutropius libro 2. cap. 5.

Salentinis.] Italiæ populis, & Apuliæ finitimis, qui ab initio Cretenses & Illyrici unà cum Locrensibus in hanc Italiæ orã applicuerunt. De quibus Strabo lib. 9. Plin. lib. 3. cap. 5. & lib. 3. cap. 11. Solin. cap. 8. Mela lib. 2. cap. 4. Vol. lib. 6. cap. 8. Ioannes autem Oliuarius Valent. geographus clarißimus, nunc Salen uocari ait.

Longas naues.] Quas Philostephanus apud Plinium lib. 7. Iasonem primum inuenisse dicit. de quibus multa ex probatißimis autoribus decerpta leges apud Bayfium in L. 2. Tract. de captiuis & postliminio reuersis, & de Redemp. ab hostibus, lib. 49. Pandectarum.

Oppida ducenta.] Eutrop. lib. 2. cap. 5. scribit decem & octo elephantes cæpisse, & octoginta duas ciuitates. Sed Florus lib. 2. cap. 2. & Orosius lib. 4. cap. 8. trecenta & amplius castella à Regulo populata tradidere.

Coniugi & lib. sumptus ob paup. publicè dati.] Attilij paupertas et rerũ inopia ex eo quoq; satis intelligitur, quòd audita uillici sui morte, Romã scripserit, ut aliũ collegæ & sibi in cõsulatu successorẽ mitterent, quo otiũ esset colendi agrum, ex quo uxor & liberi sui alerentur. De eius pau-

pertate Val. Max.*lib.* 4.*cap.* 4. § 6. Frontinus *lib.*4.*cap.*3. § 3.Eras Roter.*lib.*6.Apoptheg.

Xantippi.] *Cui omnis res Punica à ducibus cõmissa erat. de cuius uirtute bellica multa leges apud* Sabellicum *lib.*9.Ennead.4.Rapsod.

Arte captus Xantip.] *Vsus est hac arte Xantippus aduersus* Regulum. *leuem suorum armaturam in prima acie collocauit, in subsidio autẽ robur exercitus: præcepitq́; auxilioribus, ut emißis telis cederent hosti. & cum se intra suorum ordines recepissent, confestim in latera discurrerent, & à cornibus rursus erũperent, exceptumq́; iam hostem à robustioribus & ipsi circumirent.* Vide Frontin. *lib.*2.*cap*.2.§ 11.& *lib.*2.*cap.*3.§10.

Mercenarij militis.] *Illud ad memoriam insigne est, cæteras gentes semper mercede et stipendijs militasse, & milites tantum* Romanos *à condita Vrbe ad tribunos militares & captã à Gallis urbem per annos ferè* 350. *suo sumptu & impensa meruisse, & stipendia fecisse. Quo autem tempore* Romani *è publicó stipendia statuerint, & quando præcipuè mercenarijs militibus adiuti sint, lege* Alexand.*ab* Alex.*lib.*6.*cap.*22.Blond. *lib.*6 Romæ *triumphant.*

Captus.] *Triginta millia* Romanorum *in eo cõgressu prostrata sunt,* Regulus *dux captus cum quingentis uiris, teste* Oros.*lib.*4.*cap.*9.

Legatus.

Legatus.] Nõ solum Attilium Romã miserunt Carthaginẽses, quẽ iam quinq; annis captiuũ detinuerãt, sed cũ alijs legatis Romanorum pacẽ, captiuorum permutationẽ, uel inducias petentibus.

Romam missus.] Tubero in sua historia scriptum reliquit, Carthaginẽses Regulo antequã Romam mitterent, uenenum clam siue in cibo, siue in potu dedisse, non quidem præsentaneum, sed eiusmodi, quod mortem in diem proferret: & eo quidem consilio, ut uiueret tantisper, quoad fieret permutatio: postea autem grassante sensim ueneno, cor tabesceret.

Conditionem dissuasit.] Duas ob causas captiuorum permutationem & pacis fœdera dissuasit. quarum una est, quòd captiui, adolescentes & strenui duces essent, quorum uirtutibus urbs seruari, patriaq; defendi poßet: cum ipse captus ab hostibus senex esset, & ad bellum posthac planè inutilis. Altera uerò, quod hostes suis iam uiribus omnino diffiderent, & breui futurum esset, ut inuiti iugum acciperent.

Reiectis coniuge & liberis.] Reditum ad hostes crudelißimos mirum in modum dissuadentibus.

Regressus.) Ne hostibus fidem datam frangere diceretur, quæ à Romanis sanctißimè semper culta esset, Numæ Pompilij instituto, qui primus Fidei templum Romæ constituit, in quo Flamines

manibus in digitos inuolutis, iunctisq; dextris, sacra faciebant: symbolicè indicantes, fidem sanctissimè colendam, eiusq; sedem in dextris sacratam esse. Qua de re Blondus lib. 1. Rom. triumph. Alexand. ab Alexand. lib. 2. cap. 22. & Cœlius Rhodig lib. 9. cap. 22. De fidei uerò templo apud Roman. Plinius lib. 35. cap. 10. Marlianus lib. 2. cap. 12. & cap. 5. & lib. 3. cap. 3. Publius Victor in decima regione urbis. Vide præterea ea quæ annotata sunt suprà in caput 13.

? *In arcam ligneam coniectus.*] *Crudeliora multo scribit de Reguli morte Tubero, qui nouis exemplorum modis excruciatum ait. in atras enim & profundissimas tenebras clausum in. ardentissimum & splendidissimum solem eduxerunt, & palpebris resectis, erecto capite radios solares inspicere cogerunt: demum machina, in qua undique præacuti stimuli, clauiq; introrsum adacti essent, uigilantia pariter, ac continuo doloris tractu necauerunt. De cuius crudelissima morte Florus lib. 2. cap. 2. Cicero lib. 3. Officior. & in Paradox. Val. Max. lib. 1. cap. 1. § 15. lib. 2. cap. 4. § 9 & lib. 9. cap. 2. § 6. Syll. Ital. lib. 6. circa finē, Appia. in Lybico, à princip. Polyb. lib. 1. et 2. Gell. lib. 6. cap. 4. ex Tuberonis & Tucitani historijs, Augustin. lib. 1. cap. 15. & 24. Orosius lib. 4. cap. 10. Eutrop. lib. 2. cap. 5. Sabell. lib. 9.*

Ennead.

Ennead.4.platina lib.1.& 2.de optimo ciue,Pontanus lib.2.cap.7.de fortitud. Otho Phrisin. lib. 2.cap.34. Landinus in lib.1.Od.12. Horatij.

Punitus est.] Et sic nec illo uoluntario ad hostes suos reditu, nec ultimo siue carceris, siue tormentorum supplicio, deformata Reguli maiestas, animi fortitudo, fides, & in patriam pietas.

DE LVCTATIO CATVLO.

Cap. XLI. 41

QVintus Luctatius Catulus primo Punico bello, trecentis nauibus aduersum Pœnos profectus, sexcentas eorum naueis commeatibus, & alijs oneribus impeditas, duce Himilcone apud Aegates insulas inter Siciliam & Africam depressit, finemq; bello imposuit. Pacem petentibus, hac conditione concessit, ut Sicilia, Sardinia, & cæteris insulis intra Italiam, Africamq; decederent, Hispania citra Hiberum fluuiũ abstinerent.

IN CAPVT XLI.

Quintus.] Ita enim in omnibus codicibus legimus, & apud Volaterranum quoq;, qui eandem

historiam ex præsenti capite excerpsit. Verũ nos Caium Luctatiũ legendum, ex Liuio arbitramur, apud quem lib. 8. decad. 3. Hanno Caium hunc Catulum primo bello Punico catastrophen addidisse ait. Fuit autẽ eo ipso quo hæc facta sunt anno consul cum A. Postumio Albino, quẽ (eo quòd Flamen esset, à Metello pontifice prohibitum exire) in urbe reliquerat. Nec est Quintus Luctatius, qui sequenti anno cũ Aulo Manlio Attico consul, Cymbros fudit, de quo Valer. quoq; Max. lib. 9. cap. 12. § 5. Orosius igitur lib. 4. cap. 10. Eutrop. lib. 2. cap. 5. qui quadragesimi primi huius capitis historias scripserunt, & Valer. quoq; Max. lib. 2. cap. 3. § 1. ne in similem errorem inciderent, prænomẽ data opera omiserunt, Luctatium Catulum tantum appellantes.

Luctatius.] *Eutropius Lutatiũ uocat, si typographus errore non lapsus est.*

Trecentis nauibus.] *Consentit in nauiũ numero cũ Plinio nostro, Eutropius. Sed Orosius, cum classe ducentarum tantum nauium contra Pœnos transuectum ait.*

Sexcentas naues depreßit.] *Sexaginta tres Punicas naues captas, centum uigintiquinq; demersas, triginta duo hostium milia capta, quatuordecim milia cæsa esse, Orosius scribit. Eutropius uerò, septuaginta tres naues Pœnorum captas, & centum*

centum triginta mersas ait. in cæteris autem cum Orosio consentit.

Oneribus impeditas.] *Onerarias naues intellige, quæ quòd essent oneri ferendo idoneæ, à Græcis* φορτηγοὶ *dicuntur.* Nauem *autem onerariam* Cicero *in sexta oratione* Verrina, *cybeam,* Appianus *in 5. bellorum ciuilium* ὁλκάδας, Plutarchus *in* Pompeio φορτηγὸν, Thucidides *lib. 6.* φορτηγικὸν πλοῖον *uocat.* Vide Lazarum Bayfium *de re nauali.*

Apud Aegates insulas.] *Contra* Carthaginis *sinum positas. de quibus* Mela *lib. 2. cap. 7.* Volat. *lib. 12. cap. 9.*

Depreßit.] *Sexto scilicet idus* Martij, *anno tertio 134.* Olympiadis: *ab* Vrbe *autem condita iuxta alios, 511.*

Finem bello imposuit.] *Primum bellum* Punicum *intelligit, quod iam 23. annis durauerat.* Meminit Liuius *lib. 8. decad. 3.*

Conditione.] *Pax his cõditionib. inter duces est composita: ut amicitia iam inde* Romanis *&* Carthaginensib. *esset,* Pœni *tota prorsus* Sicilia *abstinerent, neq; deinceps bellũ* Hieroni *inferrẽt, neq; contra* Syracusanos Syracusanorũq; *socios arma mouerẽt, captiuos omnes sine precio redderẽt, talẽta argẽti* Euboica *duo milia et 200.* Romanis *annos 20. penderẽt.* Quas *tamẽ conditiones* Romani admit-

admittere noluerunt, nisi praeterea ab omnibus insulis quae inter Siciliam & Italiam essent, abstinerent, milleq; talenta priori summae adderent.

Insulis intra Italiam & Africã.] Vt sunt Didyme, Icesia, Lipara, Strõgyle, Ericodes, Osteodes, Phorbantia, Aegusa, Paconia, Coßira, Melta uel Malta, & aliae. Vide tabulas Ptolemaei & aliorũ, itẽ Sebastiani Munsteri septimã Europae tabulã.

Hispania.] Quae à Pyrenaeis ad fretum usq; Gaditanum ora in meridiem & nostrũ mare conuersa procurrit. de cuius latitudine & rerum omnium ubertate Strabo lib. 3. Plin. lib. 3. cap. 1. & lib. 4. cap. 20. & 22. Solin. cap. 26. Pomp. Mel. lib. 2. cap. 6. & lib. 3. ca. 1. Diodorus lib. 6. Iustin. lib. ultimo, & Volat. lib. 2. cap. 5.

Citra Iberum.] Hispaniae fluuium, qui nauigabili cõmercio diues, ortus in Cantabris, haud procul oppido Iuliobrica, nauium per 260. pas. mil. capax est. Propter quem uniuersam Hispaniam Graeci Iberiam appellarunt. De quo lege paulo antè citatos. Oliuarius autem Ebron uocat.

DE HANNIBALE CARTHAGINENSIUM DUCE.

Cap. XLII. 42

m. li. 1. c. 7. s. 8.
1. c. 1. s. 22.
2. c. 3. s. 18.
7. c. 4. s. 7.
9. c. 2. s. 15.
9. c. 7. s. 12.

HAnnibal Hamilcaris filius, XI. annos natus, à patre aris admotus,

tus, odium in Romanos perenne iurauit. Exinde ſocius, & miles in caſtris patris fuit. Mortuo eo, cauſam belli quærens, Saguntum Romanis fœderatam intra ſex menſeis euertit. Tum Alpibus patefactis, in Italiam traiecit. P. Scipionē apud Ticinum, Sempronium Longum apud Trebiam, Flaminium apud Thraſymenum, Paulum & Varronē apud Cannas ſuperauit. Cumq; urbem capere poſſet, in Campaniam diuertit, cuius delicijs elanguit. Et cum ad tertium ab urbe lapidē caſtra poſuiſſet, tempeſtatibus repulſus, primùm à Fabio Maximo fruſtratus: deinde à Valerio Flacco repulſus, à Graccho & Marcello fugatus, in Africā reuocatus, à Scipione ſuperatus, ad Antiochum regem Syriæ confugit, eumq; hoſtē Romanis fecit. Quo uicto, ad Pruſiā Bithyniæ regē cōceſsit. Vnde Romā legatione repetitus, hauſto, quod ſub annuli gemma habebat, uene-

ueneno, absumptus est. positus apud Libyssam, in arca lapidea: in qua hodie quoque inscriptum est, Hannibal hic situs est.

IN CAPVT XLII.

Hamilcaris.] *Cognométo* Barch*æ, uiri præstantißimi, & rei militaris peritißimi. cuius facta leges apud* Plutarch. *in* Hannibale, *à principio,* Valer. Max. *lib.* 1. *ca.* 7. Frontin. *lib.* 3. *ca.* 16. § 2. *&* § 3. *item lib.* 1. *cap.* 1. § 2. *lib.* 2. *ca.* 4 § 16. *&* Volater. *li.* 14. *ca.* 3. Vrban. *com.* Oros. *li.* 4. *ca.* 9.

Filius.] *Quales enim parentes, tales plerunque filij esse solent. Vnde & prouerbium natum est,* τοῦ πατρός ἐστι τὸ παιδίον, *id est, patris filius est.*

Vndecim annos natus.] *Liuius lib.* 1. Dec. 3. Oros. *lib.* 4. *cap.* 14. Eutrop. *lib.* 3. *cap.* 2. Antoninus *tom.* 1. *cap.* 5. *tit.* 4. § 15. *& alij quidam qui hanc describunt historiam, nouem tantum annis natũ, à patre aris admotũ* Hannibalem, *memoriæ prodiderunt.* De *cuius gestis alijs, leges quoque* Plinium *lib.* 7. *cap.* 28. *lib.* 8. *cap.* 7. *lib.* 18. *cap.* 18. *lib.* 16. *ca.* 41. *& lib.* 34. *ca.* 6. Valer. Max. *lib.* 1. *cap.* 7. § 6. *lib.* 5. *cap.* 1. § 22. *lib.* 7. *cap.* 3. § 18. *lib.* 7. *cap.* 4. § 7. *& lib.* 9. *cap.* 2. §[illegible] Frontinum *lib.* 1. *cap.* 1. § 9. *lib.* 5. *cap.* 16. *lib.* 1. *cap.* 5. § 25. *lib.* 1. *cap.* 6. § 2, *lib,* 8, *ca,* 8. § 2, *lib,* 2, *cap.* 5. § 25. *lib.* 2. *cap.* 7.

cap.7.§ 7.lib.4.cap.3.§ 7.Fulgos.lib.7.cap.4. § 12.& 13. August.lib.3.ca.19.ciuitatis. Appian. in Lybico, Lorbard.de Syricho cap.3.supplementi in Petrarch. Sabell.lib.1.Ennead.5. Rapsod.& lib.6.cap.8.§ 4.Exempl.ethnic. Franciscum Patricium Senensem de institutione regis lib. 6.tit. 3.Volater.lib. 14.cap.3. Vrban.com. Antonium Mancinellum, Domitium Chalderinum, & Georgium Vallã in Iuuenalis saty. 10. & alios qui suis locis paulo pòst citantur.

Aris admotus.] ut Deos huius rei testes & adiutores faceret. Facta autẽ sunt hæc eo tempore, quo in Hispaniã profectionẽ parabat Hamilcar. Notabis autem Pœnorum morem, qui iuraturi per Iouem modo, ad Deorum aras sacrificio perfecto, aram & sacra tangentes, uel agnum læua, dextra silicem tenentes, Deos hominesq; contestabantur, si scientes fallerent, ita eos quoq; Iupiter feriret, quemadmodũ ipsi agnum percuterent. Vide Alex.ab Alex.lib.5.cap.10.

Perenne odiũ in Rom.iurauit.] Hannibal perpetuum suum in Romanos odium fore significãs, inflicto in terram pede, suscitatoq; puluere, tunc demum inter Carthaginenses & Romanos belli finem fore dixit, cum alterutra pars in habitum pulueris esset redacta. Vide Valer. Max.lib.9.ca. 3.§ 12.& Syl.Ital.lib.1.

Roma

*Romanos terra atq; undis ubi comparet ætas,
Ferro igniq; sequar, Rheteaq; fata reuoluam:
Nõ superi mihi, nõ Martẽ cohibẽtia pacta, &c.*

Exinde miles in castris patris.] *Decem & septem annorum natum* Hannibalem *in castris parentis sui militasse, apud* Polybium *legimus.* *Insignis adolescentiæ exemplum.* *Sabell.lib.1.cap.4.* Exemplor.

Eo mortuo.] *Trogus* Pompeius *lib. 19. ferè à principio, in bello Siciliensi: Plutarchus autem cum, aduersus Vethones pugnaret, interfectum scribunt.*

Saguntbum.] *florentissimum* Hispaniæ *oppidum, à Sagunto Herculis filio conditore nomen accipiens, quod Syllius* Italicus *lib. 1. Zazintum appellat.* Haud procul Herculei, *&c.* De *hoc Strabo lib.3. Plin.lib.3.cap.3.lib.7. cap.3.lib.15. cap.18. & lib.35. cap.12. Mela lib.2.cap.7. Volater.lib.2.cap.5. Geographiæ.* Nunc *autem eius loci ciuitas, teste* Oliuario, *Moruedre est.*

Romanis *fœderatã ciuitatem.*] *Erant Saguntini quasi medij inter* Romanorum *&* Carthaginensium *fines, & iure fœderis in libertate relicti, qui se totos* Romanis *addixerant, initaq;* Romani *imperij societate, fidissimi cultores erant.*

Intra sex menses.] *Liuius, Plutarchus, Orosius, & Eutropius octauo, Florus uero lib.2.cap.6.*

nono

nono demum mense deletum ait Saguntum. Qua de re præter suprà citatos, leges quoq; Augustin. lib.3.cap.20. Valer. Max.*lib.6. cap.6.* § 7. *Ciceron. in Philippicis, Syll.* Ital.*li.1. Primo Saguntinas, &c. Et prouerb. apud Erasmum* Roterod. *Saguntina fames.*

Euertit.] *Annum agens iam uicesimum: & ab urbe condita, iuxta* Orosij *&* Eutropij *supputationem,* D. XXXIIII.

Alpibus patefactis.] Pyrenæis. *ea de re leges præterea Vergilium libro* 10. *Cum fera Carthago, &c.* Iuuenalem *satyra* 10. *Pyrenæum* Transilit, *oppoſuit natura alpemq; niuemq;, &c.* Sylium Italicum *libro* 3. *Cuncta gelu canaq;, &c.* Plin. *lib.* 36. *cap.* 1. Othon *Phrising. lib.2. cap.* 36. *&* 38. Imitatus *est autem hoc facto* Herculem *omnium fortißimum, qui primus* Alpes *transijsse dicitur, ut est quoq; apud* Sylium *lib.* 3. *Primus inexpertas, &c. &* Plinium *lib.3.ca.16. & libro* 3.*cap.* 19.

Patefactis.] *aceto scilicet, & ignibus. Sunt tamen, qui* Hannibalem *per cauam quandam uiam ac manufactam ad saltus* Augustæ *Cæsareæ peruenisse putent, cum tamen ex* Plutarcho, *& iam citatis authoribus, miro artificio* Alpes *fregisse constet.* Vnde *recentiores scribunt, per montem* Iouis *uenisse, quem uulgo* Cinisum *appellant,*

Gebenas uersus tendentem, cuius rupicolæ partem Durandũ *uocitant.* Ad huius autem rei pleniorem intellectum lege ea quæ nostra tempestate scripsit Aegidius Tschudus Claronensis, uir apud Heluetios in primis clarus, cap. 32. de prisca ac uera Alpina Rhetia: & apud ueteres Polybius lib. 3.

Italiam traiecit.] Fuisse tunc exercitũ eius centum milium peditum, & triginta millium equitum, apud Orosium: Eutropiũ uerò, centum milium peditum, centum milium equitum, & triginta septem elephantorum, legimus.

Scipionem apud Ticinũ supera.] Equestri prælio, in quo aliquandiu pari propè certamine dimicatum est. Ad extremum tamẽ Romani, cum Scipio consul grauiter uulneratus esset, & Numidiæ equites paulatim circumeundo à tergo imminerent, pedẽ referre coacti sunt. Huius Scipionis facta lege apud Plutarch. in eius uita, Valer. Max. lib. 3. cap. 6. § 1. lib. 6. cap. 2. § 4. Sabell. lib. 2. ca. 3. § 4. lib. 5. ca. 4. § 3. lib. 6. cap. 8. § 5. lib. 7. ca. 3. § 7. Fulgos. lib. 6. cap. 4. § 12. lib. 7. cap. 4. § 14. & lib. 4. cap. 1. § 4.

Ticinum.] *fluuium nobilißimum, qui ex summis* Alpibus *prorumpit, & in meridiem labens, per* Leupontinos *in* Italiam *fluit, ubi & oppidum sui nominis habuit, quod hodie* Papiam

piam uocant. De hoc fluuio Strabo in fine libri 4. & lib. quoq; 5. Plinius lib. 3. cap. 19. lib. 2. cap. 106. & lib. 3. cap. 17. Volaterran. lib. 4. cap. 4. Geograph. Aegidius Tschudus Claronensis cap. 16. descriptionis Alpinæ Rhetiæ. De clade autem Romanorum ad Ticinum Liuius lib. 21. & lib. 1. Dec. 3. Plutarch. in Hannibale, & Scipione, Valer. Max lib. 5. cap. 4. Syll. Ital. lib. 4. Cæruleas Ticinus aquas, &c. Flor. Oros. & Eutrop. ut suprà.

Sempronium Longum.] Prænomine Titum, Scipionis in consulatu collegam, & quem Senatus pop. Rom. ex Sicilia uocauerat, ut suum exercitum Scipionis militibus adiungeret. De quo lege præterea Volat. lib. 19. cap. 3. Anthrop. Frontin. lib. 2. cap. 5. § 22.

Apud Trebiam.] Italiæ fluuium, qui per Placentina arua in Padum fluit, de quo Strabo lib. 5. Plinius libro 3. cap. 16. & cap. 14. Volaterranus lib. 4. cap. 3. & lib. 6. cap. 1. & lib. 4. cap. 11. in fine Vrban. com. Est autem fluuius ob hanc cladem quin primis memorabilis, in qua decem millia peditum Romanorum per medios hostes erumpentes Placentiam fugierunt, & post se relictos omnes ferè Pœnorum manu amiserunt. De qua Liuius lib. 1. Dec. 3. Syl. Ital. lib. 4. At Consul tristis, &c. & qui suprà quoq; citati sunt.

Flaminium.] *Romanorum consulem. de cuius gestis* Plutar. *in* Fabio *Maximo, et* Hannibale, Val. Max. *li.* 5. *ca.* 2. Front. *lib.* 2. *ca.* 5. § 24. Volat. *li.* 16. *ca.* 1. Vrb. *com. &* Plin. *meminit infrà ca.* 51.

Trasymenum.] *Lacũ in* Perusino, *qui à* Thrasumeno *puero, quem* Aegydam *nympham rapuisse poetæ finxerũt, dictus est.* Eo *autem in loco ita tribus integris horis pugnatum est, ut terremotus, qui totas urbes diruisse, montes transtulisse, rupes discidisse, & flumina retrorsum coegisse dicitur, à nullo militum auditus sit.* Ea *autem clade iuxta* Oros. *lib.* 4. *cap.* 15. & Eutrop. *uiginti milia* Romanorum *cum consule cæsa, & sex milia capta: iuxta* Valerium *autem* Maximũ *lib.* 1. *cap.* 6. § 6. *quindecim millia tantum cæsa, sex capta, uiginti uerò fugata dicũtur.* De *qua copiose* Liuius *lib.* 22. & *lib.* 2. Dec. 3. Cic. *lib.* 1. *de* Diuinatione, Plin. *lib.* 2. *cap.* 85. Frontin. *lib.* 2. *cap.* 5. § 23. *lib.* 2. *cap.* 6. § 4. *lib.* 4. *ca.* 7. § 24. Valer. *lib.* 3. *cap.* 7. § 17. Ouid. *lib.* 6. Fastor. Sint *tibi, &c.* Syll. Ital. *lib.* 5. *per totum,* Anton. Tom. 1. *tit.* 4. *ca.* 5. § 15.

Paulum.] Lucium Aemilium Paulum *consulem intelligit, de cuius animi & corporis dotibus* Plutar. *in eius uita, & in* Hannibale. Valer. Max. *lib.* 5. *ca.* 10. § 2. *lib.* 2. *cap.* 5. § 4. *lib.* 4. *ca.* 3. § 11. Fulgos. *lib.* 6. *cap.* 3. § 2. Sabell. *lib.* 2. *ca.* 1. § 7. *lib.* 4. *cap.* 2. § 2. *lib.* 5. *cap.* 2. § 4. Ethnicor. *exempl.*

Fron-

Frontin.lib.4.cap.5.§5.lib.2.cap.3.§19.& lib.4.cap.7.§3.Volat.lib.13.cap.3.Vrban.com.

Varronem.] Caium Terentium Varronem, & Pauli Aemilij in consulatu collegam: de cuius moribus, Plutarchũ lege in Fabio Maximo, & Hannibale. Liuiũ lib.2. Dec.3. Valer. Max.lib.4.cap.5.§3.lib.8.cap.7.§4. Frontin.lib.4.cap.5.§6. Volater.lib.20.cap.2.Vrban.com.

Apud Cannas.] Apuliæ uicum, hac una Romanorum clade satis nobilitatum, in qua quadraginta millia peditum, & duo millia supra septingentos equites, authore Liuio & Plutarcho, cæsa dicuntur: licet Polybius longè maiorem cæsorũ numerũ adferat. De hoc prælio Liuius lib.22. Polyb. lib.5. Plin.lib.15.cap.18.lib.33.cap.1. Strabo in fine lib.6. Lactant.lib.2.cap.17. Syll.Ital.lib.9.per totum, Augustin. libro 3. cap. 19. Ciuitat. Valer. Maxim. lib.1. cap.1. § 15. & libro 1.cap.2. § 1. lib.2. cap.2. § 14. lib.3. cap. 4. § 4. lib. 4. cap.5. § 3.lib.7.cap.4.§ 7.lib.7.ca. 6.§2.Frontin.lib.2.cap.5.§27. Franciscus Patricius Senensis libro 4. de Principe, tit.2. Oros. libro 4.cap. 16. & alij.

Cum urbẽ capere posset.] Dubiũ erat nequaquã, quin ultimũ diem habuisset Roma, quintũq; intra diem epulari Hãnibal in Capitolio potuisset, si (quod Maharbales dixisse fertur) quemad-

modum sciuit uincere Hannibal, ita quoque uictoria uti scisset.

Campaniam.] Italiæ regionem, cuius descriptionem leges apud Strabonem lib. 5. Plin. lib. 3. cap. 5. Flor. lib. 1. cap. 16. Solin. cap. 8. Melam. lib. 2. cap. 4. Syl. Ital. lib. 8. Iam uerò quos, &c. & Volater. lib. 6. cap. 6. Geographiæ.

Diuertit.] Campaniam perlustrās Hannibal Capuam uenit, in urbem amœnam, & omni deliciarum genere abundantē. De cuius origine Strabo circa finem lib. 5. Plin. lib. 5. ca. 3. Vergil. lib. 8. Et Capys hinc nomen, &c. Liuius lib. 3. Dec. 1. Cicero autem, luxus infamia Capuam notans, eam superborum quondam domum fuisse ait.

Delicijs elanguit.] Voluptatis & luxuriæ effectus. Verùm de Hannibalis in Campania uoluptatibus immodicis, lege Liuium lib. 1. Dec. 3. Valer. Max. lib. 9. ca. 1. § 10. Syl. Ital. lib. 15. copiosiß. Quàm sese extulerit, &c. & quos suprà quoq; citauimus. Simile autem de Phrygibus exemplum apud Vergil. lib. 9. Desidiæ cordi, &c.

Ad tertium lapidem.] Huius rei quoq; testes sunt Liuius lib. 26. Syll. Ital. lib. 12. Nunc aditus lustrat, &c. Iuuenal. Satyr. 6. Hannibal & stantes, &c. Plin. lib. 15. cap. 18.

Castra posuisset.] À porta Collina usq; ad Herculis templum, collectis duobus equitum millibus, ut

ut urbem eiusq; situm exploraret, posuit.

Tempestatibus repulsus.] grandine & nimbis. Vnde Hannibalem dixisse ferūt, Potiundæ sibi urbis Romanæ nunc mentem non dari, nunc fortunam. Vide Liuiū lib.6. Dec.3. Eutrop.lib.3.ca.2. Oros.lib.4.cap.17.Syl.Ital.lib.12. Iupiter Aethiopum, &c. Claudianū de bello Getico, Hanc urbem insano,&c. Augustin.lib.3.cap.20. Ciuitat.

Fabio Max.] Cunctatore, qui quòd Hannibalem mora fregisset, ita cognominatus est. qua de re Liuius libro 23. Plutarchus in Hannibale, Fabio Maximo, & qui proximo capite præterea citantur.

Valerio Flacco repulsus.] Plutarchus Fuluium Flaccum uocat. de quo Valer. Max. quoq; lib.3. cap.2.§18.Fulgos.lib.2.cap.4.§5.Volater.lib.20.cap.2.& lib.16.cap.1.Vrban.com.

Graccho.] Titū Semproniū Gracchū intellige, eo tēpore proconsulem, cū quo excursionibus magis, q̄ iustis prælijs Hānibal bella gessit. Oros.lib.4.ca.16.Eutrop.lib.3.ca.2. Plutar.in uita Grachorū & Hannibalis. Valer.Max.li.1.ca.6.§8. Front.li.1.ca.12.§3.Volat.li.16.ca.2.Vrb.com.

Marcello.] Marco Marcello, qui post tantas Reipub.ruinas primus Romanis spem fecit Hannibalem superari posse: cuius ferociam admiratus Hannibal dixisse traditur, Rem cum eo hoste

 sibi

sibi gerendam esse, qui nec uictor, nec uictus quiescere posset. Vide Poßidonium apud Plutarchum in Fabio Maximo, Valer. Max. lib. 1. cap. 6. § 9. lib. 2. cap. 4. § 4. lib. 3. cap. 2. §. 5. Frontin. lib. 2. cap. 2. § 6. lib. 2. cap. 4. § 8. lib. 3. cap. 16. § 1. lib. 4. cap. 1. § 44. & lib. 4. cap. 7. § 37. Sabell. lib. 1. cap. 6. § 3. & lib. 6. cap. 3. § 3. Volateran. lib. 17. cap. 1. Vrban. com. Syll. lib. 12.

Fugatus.] Vnde merito populi Romani gladius dictus est, cum Fabius Cunctator clypeus diceretur, teste Poßidonio, & Floro lib. 2. cap. 6.

A Scipione.] Qui annos natus 24. imperium in Hispania sortitus, de ultione patris præcipuè & patrui cogitans, Nouam Carthaginem cepit, Magonem fratrem Hannibalis captum cum cæteris Romam misit. Vide Oros. lib. 4. cap. 18. Eutrop. lib. 3. cap. 2.

Superatus.] Apud Zamã, Plutarcho authore, ubi supra uiginti millia Pœnorũ à Romanis cæsa, & totidẽ propè capta dicũtur. Oros. li. 4. ca. 19.

In Africam reuocatus.] Hannibal à suis reuocatus, ut patriæ subueniret, quam Scipio latè uastauerat, flens Italiam reliquisse dicitur. Oros. lib. 4. cap. 19. Anton. Tom. 1. tit. 4. cap. 5. § 16.

Ad Antiochum Syriæ regem.] De cuius moribus lege Plutarch. in Hannibale, Paulo Aemilio, & Scipione Africano, Valer. Max. lib. 2. cap. 5. § 2.

§ 2. lib. 4. cap. 1. § 27. lib. 9. cap. 1. § 13. & cap. 15. § 7. Frontinum lib. 2. cap. 4. § 4. & lib. 4. cap. 9. § 9. Fulgosum lib. 4. cap. 3. § 9. lib. 6. cap. 5. § 15. lib. 1. cap. 2. § 13. lib. 9. cap. 6. § 1. lib. 1. cap. 1. § 10. & lib. 9. cap. 10. § 13. Volaterranum lib. 11. cap. 1. Geographiæ.

Confugit.] *Hannibal desperatis rebus ad Antiochum, quasi ad sacram anchoram confugit, à quo tam humaniter exceptus est, ut statim publicis pariter & priuatis consilijs adhibitus sit. Qua de re copiosè leges Plutarchum in Hanniba le, Sabellicum lib. 6. cap. 6. § penultimo. meminit etiam Frontinus lib. 1. cap. 8. § 6. Iuuenalis satyr. 6. Mirandusq́; cliens sedet, & c. Iustinus lib. 31. à principio.*

Hostem Romanis fecit.] *Petijt primò ab Antiocho cẽtum nauium classem, decem & sex millia peditum, mille equites. & his copijs se Italiam intraturum pollicebatur, & turbaturum Italicas gentes. deinde efflagitauit à rege Aristonẽ quendam Tyrium, hominem callidißimum, qui Carthaginem peteret, & mandata quædam regis nomine ad eos deferret, contra Romanos. Qua de re leges Plutarchum in Hannibale. meminit Orosius lib. 4. cap. 20. Eutropius lib. 4. cap. 2.*

Quo uicto.] *In Achaia, ubi à Consule Glabrione Acilio superatus, uix cum paucis è prælio*

fugit, in quo prælio rex habuisse fertur armatorum sexaginta millia, ex quibus quadraginta millia cæsa, fugata autem plusquam quinq; millia referuntur. Vide Orosium & Eutropium.

Ad Prusiam regem.] Debellato Antiocho, Romani præter alias conditiones quas imposuerunt regi, Hannibalem perpetuum suæ Reip. hostem sibi tradi postulabant, quo intellecto Hannibal, ne in hostium ueniret manus, ad Prusiam regem cõfugit. Qua de re lege Plutarch. in Hannibale, & Fulgosum lib. 7. cap. 3. § 9.

Ad regem concessit.] Sunt qui uicto Antiocho in Cretam profectum ad Gortynios Hannibalem scribunt (& non ad Brusiam) ubi Cretenses falso auri argentiq; thesauro decepit inscios, ut apud eosdem leges.

Legatione repetitus.] apud Plutarchum legimus, Q. Flaminiũ (cuius ob res in Græcia gestas celebre tum nomen erat) legatũ missum in Asiam, qui magna cõtentione à rege impetrauit, ut Hannibal dederetur. Vide infrà cap. 51.

Hausto ueneno absumptus est.] De Hannibalis morte diuersas historicorum opiniones lege apud Liuium lib. 9. Dec. 4. Plutar. in eius & Q. Flaminij uita propè finẽ, Phrising. lib. 2. ca. 40. Iuuenal. satyr. 10. Non gladij nõ saxa dabũt, &c. Sabel. lib. 6. Ennead. 5. Iulium Obsequent. cap. 3.

Prodi-

Prodigiorum. Volater. lib. 14. ca. 3. Vrban. com. qui ex Liuio, Plutarcho, & cæteris omnem Hannibalis uitam breuiter complexus est.

Libyssam.] *Bithiniæ uicum, inter Eribæam, Callicam, & Nicæam, eius regionis ciuitates, non procul à sinu Asiatico, ubi Ascanius fluuius in mare se recipit: ut tabula Græciæ Nicolai Sophiani clarißimè exprimit.*

In arca lapidea.] *Lapideo sepulchro, cuius meminit Plinius lib. 5. cap. 23. Sepulchra autem imperatorum & ducum, pro dignitate & opibus facta primum apud Romanos, & deinde ad certum sumptum redacta esse, testatur Alexander ab Alexand. lib. 6. cap. 14.*

Quoque inscriptum est.] *Lege apud ueteres cautum fuit, ne maiori lapide, quàm qui laudes sepulti, & titulos honorũ acciperet, strueretur sepulchrum: de qua idem eodem loco.*

DE Q. FABIO MAXIMO.

Cap. XLIII.

QVintus Fabius Maximus Cũctator, ut Verrucosus à uerruca in labris, ita Ouicula à clementia morum. Consul de Liguribus triumphauit. Hannibalem mora fregit. Minutium magistrum equitum imperio

perio æquari sibi passus est, & nihilo minus periclitanti subuenit: Hannibalem in agro Falerno inclusit. Manlium Statiliũ transfugere ad hosteis uolentem, equo, & armis donatis retinuit. & Lucano cuidã fortissimo, ob amorẽ mulieris infrequenti, eandem emptam dono dedit. Tarẽtum ab hostibus recepit. Herculis signũ inde translatũ in Capitolio dedicauit. De redemptione captiuorũ cum hostibus pepigit. Quod pactũ cũ à senatu improbaret, fundũ suũ ducentis millib. uendidit, et fidei satisfecit.

IN CAPVT XLIII.

Egregia Q. Fabij Maximi facta lege apud Liu. lib. 2. Dec. 3. Plut. in uita eius, Hannibalis, & M. quoq; Marcelli, Valer. Max. lib. 1. cap. 1. § 7. lib. 4. cap. 1. § 6. lib. 5. cap. 2. § 4. & lib. 2. cap. 2. § 11. Front. lib. 1. cap. 2. § 2. cap. 3. § 2. cap. 11. § 21. & lib. 2. cap. 1. § 8. Oros. lib. 3. cap. 22. Lorbardũ de Siricho cap. 4. Supplemẽti in Pet. Franciscum Floridum Sab. lib. 2. de Iulij Cæsaris præstantia, paulo pòst initium. Volater. lib. 16. cap. 1. Vrb. cõ. et eos qui suis locis paulo pòst citãtur.

Maximus.] *Vnde Maximi cognomen adeptus sit Fabius, diximus suprà cap.32.ex Liuij lib.10. Decad.1.Plutarchus autem à corporis habitu ita cognominatum putauit.*

Verrucosus.]*Cur Verricosus, Ouicula, & Cunctator Fabius appellatus sit, leges etiam apud Alexand. ab Alexand. lib.1. cap.9. meminit Plinius lib.34.cap.7.*

Liguribus.]*Italiæ populis, à Liguro Phaetontis filio originem habentibus, qui primo montosam eam regionem inter Macram & Varum amnes incoluit, quæ ab altera parte Padum, ab altera Apenninum habet. De his lege Strab. lib.4. Plin.lib.3.cap.5.lib.5.cap.4. & lib.4.cap.17. Melam lib.2.cap 4. Volater.lib.4. cap.2. Geograph. Vocantur autem, Oliuario teste, hodie Genouenses. Verùm de bello Ligustico, in quo iam Ligures, iam Insubres, iam Galli & Illyrici contra Romanos pugnauerunt, lege Florum lib.2. cap.3. Orosium lib.4.cap.11.& 12.Eutrop.lib. 3.cap.1. Augustin.lib.3.cap.9.Ciuitat.*

Triumphauit.] *Triumphos quinq;, primum tamen de Liguribus egit, autore Plutarcho.*

Hannibalem mora fregit.] *Et hinc Hannibal dixisse fertur, se magis formidare Fabium quiescentem à pugna, quam Marcellum fortiter dimicantem. De Fabij autem cunctatione & mora,*

qua

qua Hannibalem inuictum antea fregit, leges Liuium lib. 23. Florum lib. 2. cap. 6. Plutarchum in Fab. Max. Hannibale, & Romanorum quoq; Apophtheg. Valer. Max. lib. 7. cap. 3. § 19. Plin. lib. 22. cap. 5. Oros. lib. 4. cap. 15. Eutrop. lib. 3. cap. 2. Frontinum lib. 2. cap. 5. § 2. & 21. lib. 1. cap. 3. § 2. Sabellicum lib. 1. cap. 7. § 4. libro 7. cap. 3. § 6. cap. 4. § 8. lib. 9. cap. 1. § 4. cap. 11. § 1. lib. 6. cap. 3. § 4. Ennium apud Ciceronem in libello de Senectute, Vnus homo nobis, &c. & ex eodem Vergilij lib. 6. Aeneid. Quo fessum rapi, &c. Syl. Ital. lib. 6. Cunctando Fabius, &c. & lib. 7. Ac in sacro seni uis, &c. Ouidium lib. 2. Fastor. Nam puer impubes, &c. Meminit quoque eius rei Franciscus Patricius Senensis lib. de Regno, 1. titulo. 12. & Roteroderamus in Prouerb. Romanus sedendo uincit.

Minutium.] *Hominem ferocem, importunum, temerarium, lingua immodicū, studium auramq; exercitus semper quærentem, & Fabij facta semper contemnentem. Quem suis coloribus depingit Plutarchus in Fabio Maximo.*

Imperio sibi æquari passus est.] *Hoc est, socium imperij, & in ipsa quoq; Dictatura æqualem sibi fieri permisit, quod hactenus inauditū erat. Magnum clementiæ & mansuetudinis exemplum. Vide Liuium lib. 5. Dec. 3. Syl. Ital. lib. 12.*

Pericli-

Periclitanti.] *Id est, cum iam insidijs Hannibalis circumuentus, de sua & militum quoque omnium uita periclitaretur.* Historiam lege apud Frontinum lib.2.cap.5. § 21. meminit quoq; Erasmus Roterod.lib.5.Apophthegmatum, Sabell. lib.9.cap.1. § 4.Ethnicorum exemplor.

In agro Falerno.]id est in Campania. Falernus enim Cãpaniæ mons est, qui uino precioso & nigro adeò abundat, ut ob id summis laudibus celebretur apud Strab. lib. 5. Plin.lib.14. cap.3.& lib.23.cap.1. Volater.lib.6.cap.6.Geograph.

Manlium Statilium.] Plutarchus in Fabio Maximo, Marsum uocat. Valer. autem Max.nomen non exprimit, sed lib.7.cap.3.§ 8. Nolanum militem fuisse ait, de quo Front.lib.4.cap.16.§ 1.

Equo & armis donatis.] Romani quippe ut ignauos & inertes milites pœna & ignominia afficere, ita quoq; strenuos & bellicosos donis ornare militaribus solebant, ut testatur Blondus lib. 6. Romæ triumphant. & Alexand. ab Alexand. lib.4.cap.18. Gen. dier.

Lucano ob amorem infrequenti.] Delatus erat miles Lucanus apud Fabium, quod nocturno tempore uigilijs destinatus, clàm è castris frequenter excederet, insano captus puellæ amore. Quo intellecto, apprehensam puellam & militem quoque ad se duci Fabius iußit, militi'que strenuo

condo-

condonans delictum, puellam matrimonio legitimo coniunxit, ac hoc facto scortationem prohibuit, bonumq; & strenuum militem perpetuo quasi uinculo in officio retinuit. Vide Plutarchũ *in* Fabio Max. & Romanorum quoque Apophtheg. Val. Max. *lib.7.cap.3.* § 8. & Erasmũ Roterod. *lib.5.* Apophthegmatum.

Tarentum.] *inclitam* Calabriæ *urbem, in ultimo* Italiæ *loco circa* Salentinorum *confinia, ædificatam à* Tara Neptuni *(ut quidam uolunt) filio, quæ deinde à* Laconibus, *qui duce* Palanto, *in ea uenerunt loca, aucta est.* De *cuius origine & potentia, ex* Ephoro *leges apud* Strabonem *lib. 6. item* Plinium *lib.3. cap.10.* Florum *lib.1. cap. 18.* Iustinum *lib.3.* Sylium Italicum *lib. 12.* Verterat, &c. Pomp. Melã *lib.2.cap.4.* Volaterranum *lib.6.cap.8.* Vrban.com.

Ab hostibus recepit.] *Capta hac urbe, primores ex familia* Brutorum *iugulati sunt, interfecti* Tarentinorum *infiniti, triginta millia uenundati, & triginta milia talentorum ex præda hostili in ærarium relata.* De *qua oppugnatione* Liuius *libro 27.* Plutarchus *in* Fabio Maximo, Augustinus *lib. 1. cap. 6.* Ciuitat. Sylius Italicus *lib.15.* Tunc & Tyndarij, & c. Phrysingens. *lib. 2.cap.39. & alij.*

Herculis signũ.] *Direptis omnib. dicitur scriba*

à Fabio

à Fabio contendisse, quid'nam de simulachris & statuis deorum fieri iuberet. Ad quæ Fabius respõdit, Relinquamus Tarentinis infestos deos. Attamẽ Herculis simulachrum Tarentum asportatum, in Capitolio iuxta æream sui equestrem statuam locauit. ad cuius simulachrum Pœni humanis uictimis singulis annis olim sacrificabãt. Qua de re Liuius lib. 7. Dec. 3. Plutarc. in Fabio Maximo, Marlian. lib. 6. cap. 6. Rom. antiq. Alexand. ab Alex. lib. 2. cap. 14. Genial. dier.

Signum.] Simulachrum & statuam intellige, qua Hercules exprimebatur. Fuit autem Hercules apud Celtas cognomento ὄγμιος, imagine decrepiti senis, capite incompto, pelle rugosa, dextra clauam tenens, sinistra protentum arcum, multos mortales catenis uinctos ducens. ut testis est Alexand. ab Alex. lib. 4. cap. 12. Verùm non talis fuit hæc statua Herculis, quam à Tarentinis Romam Fabius transtulit. Fuit enim simulachrũ æneum, auro perfusum, imberbe, dextra clauam, sinistra Hesperidum aurea mala habens: quod multos post annos Romæ propè scholam Græcam, & forum Boarium in ruina aræ maximæ repertum est, teste Marliano libro 2. cap. 6. Topographiæ.

Inde translatum.] Seruatæ religionis memorabile exemplum. Notanda autem est hæc quoq;

Romanorum consuetudo, qui deuictis hostibus, & expugnatis urbibus, si quid uisendum ac memorabile, atque æuo priore incognitum fuisset, ex deuicta prouincia, ueluti rem spectatissimam, nouo inuento unà afferebant. Vnde quoque & Herculis signũ ante triumphantem in pompa prælatum esse, apud Alexandrum ab Alexandro libro 6. cap. 6. legimus. meminit quoque eius rei Liuius libro 9. Decad. 1.

Dedicauit.] In templi consecratione, item dedicandis aris atque simulachris quæ ceremoniæ sint adhibitæ, leges copiosè apud Alexand. ab Alexan. lib. 6. cap. 14.

De redemptione captiuorum pepigit.] Hunc uidelicet in modũ, ut uir pro uiro ex captiuis redderetur, ex utraq; parte: si qui uerò superessent, ducentæ & quinquaginta in singulos ab ijs qui reciperent, drachmæ soluantur. Facta igitur uiritim captiuorum permutatione, 247. ex Romanis apud Hannibalem superesse inuenti sunt.

À senatu improbaretur.] Nil enim ratum, nil firmum habebatur apud Romanos, nisi senatusconsulto quoque probaretur. Vide Alexand. ab Alex. lib. 4. cap. 11.

Fundum.] Agrum, qui intactus ab hoste manserat, fraude fortaßis Punica, cæteris omnibus depopulatis. Cuius rei meminit Plinius li-

bro

bro 17. cap. 26. & Frontinus libro 1. cap. 8. § 2. Stratagematum.

Fidei satisfecit.] *Fidei seruandæ notatu dignum exemplum est Fabius, qui cum pecunia, qua captiui ex permutatione reliqui redimerentur, à senatu denegaretur, bonis diuenditis proprijs (iuxta pactum) hostibus satisfecit. Quàm sanctum autem apud Romanos fuerit iusiurandum, & etiam hostibus data fides, lege Alexand. ab Alexand. lib. 5. cap. 10. & lib. 2. cap. 22. Historiam autem de fundo diuendito, leges præterea apud Liuium lib. 2. Decad. 3. Valer. lib. 3. cap. 8. § 3. & lib. 4. cap. 8. § 2. Sabell. lib. 2. Ennead. 5. Rapsod. Platinam lib. de uera nobilitate ad Vrsinum, & lib. 2. de Optimo ciue, & alios.*

DE PVBLIO SCIPIONE NASICA.

Cap. XLIIII.

PVblius Scipio Nasica à Senatu uir optimus iudicatus, Matrem deûm hospitio recepit. Cum aduersum auspicia consulem se à Graccho nominatum cõperisset, magistratu se abdicauit. Censor statuas, quas sibi quisq; per ambitionẽ in foro ponebat, sustulit. Consul Delminiũ urbẽ Delmatarũ expugnauit, Impera-

toris nomen à militibus, & ab Senatu triumphum recusauit oblatũ. Eloquentia primus, iuris scientia cõsultissimus, ingenio sapiẽtissimus fuit: unde uulgo Corculum dictus.

ob morũ cultum.

IN CAPVT XLIIII.

P. Scipio.] *Qui fuit Scipionis Africani frater, & Cnei Scipionis filius, ut apud Plutarchum in Africani uita, Volateranum lib. 10. cap. 3. Alexan. ab Alexan. lib. 2. cap. 11. de Scipionum familia clarissima legimus, ex quibus Cornelius adolescens Scipionum genus propagauit: qui eo quòd patrem lumine orbum, pro baculo regeret, uelut hastili nixum, Scipio fuit appellatus. Cuius rei testis est Macrobius, ex Plinij libro 28. cap. 2. & Alexand. ab Alex. lib. 1. cap. 9. qui eodem loco Nasicam quoq; à maioribus naribus dici Scipionem, literis mandauit. hinc enim & Ouidius Naso cognominatus est.*

Vir optimus iudicatus.] Plato lib. de Legibus 2. eum uirum bonum appellandum existimat, qui omnia quæcunq; bona dicuntur, cum iustitia possideat atq; disponat. Quem copiosius describit Cicero lib. 3. Officior. Platina in dialogo de Vera hominis nobilitate, & Vergilius in Epigram. Vir bonus & sapiens, &c.

Matrem

Matrem deûm.] *id est Cybelem, Saturni uxorem, quæ uel à Cybelo Phrygiæ monte, uel oppido, ubi primum eius sacra instituta sunt: uel ut* Festus *ait, quòd homines ad insaniam & furorem impelleret, Cybele dicta est.* Matris *autem deûm uaria fuerunt antiquitus nomina. alij enim* Berecynthiam, *plerique* Bonam deam, *alij* Magnam *dixere,* Phryges Peßinuntiam matrem, Attici Cecropiam Mineruam, Cypri Paphiam Venerem, Cretes Dictynnam Dianam, Siculi Stygiam Proserpinam, Eleusini uetustam Cererem, &c. Verùm de matre deûm, & Cybele, multa & uaria leges apud Diodorum Siculum libro 4. Boccatium in Genealogijs deorum, Plin. lib. 35. ca. 10. lib. 2. cap. 92. Vergil. lib. 3. Aeneidos, Hinc mater cultrix, &c. Ouid. libro 4. Fastor. Illa sedens plaustro, &c. Tibull. lib. 1. Sacra bonæ, &c. Propert. lib. 4. Eleg. 10. Iuuenal. Satyr. 2. Hic turpis Cybeles, &c. item, Atq; bonā temere, &c. & Satyr. 6. Nota bonæ secreta deæ, etc. Fulgen. lib. 3. Mythol. cap. 6. Macrob. lib. 1. Satur. Pomp. Læt. tit. 38. de Antiq. Rom. Alexan. ab Alex. lib. 6. ca. 4. et lib. 4. cap. 12. Cæl. Rhod. lib. 18. cap. 47. & 18.

Hospitio recepit.] Lectis libris Sibyllinis inuenerant Romani, pelli Italia alienigenam hostem posse, si mater Idæa Pesinunte Romam aduheretur, & à bono laudatoq; uiro hospitio exciperetur.

tur. Et sic Scipio Nasica totius senatus iudicio uir optimus iudicatus, inter tot centena milia Romanorũ, deã aduexisse & hospitio excepisse dicitur. Cuius rei testes sunt, Liuius lib.3. Dec.3. Plutarch. in uita Scip. Africani, Solin. cap.7. Plin. lib.7. cap. 34. Valer. Max. lib.8. cap.16. § 3. Flor. lib.29. Ex pit. Blond. lib.1. Rom. triumph. Sabel. lib.5. Ennead.5. Rapsod. Marlian. lib.3. cap.2. Topogr. Alexand. ab Alex. lib.2. cap.10. Ouid. lib.4. Fast. Mater abest, &c. Syl. Ital. lib.7.

Aduersum auspicia.] *Priscos enim Romanos adeò auspicijs deditos fuisse constat, ut post urbem conditam nil bello, uel pace, domi militiæ'ue agerent, nisi auspicatò. Qua de re lege Valer. Max. libro 1. cap.4. Alexand. ab Alexan. lib.5. cap.13. & quæ alibi suprà diximus.*

Consulem nominatum.] *Patriciorum auspicia, secundum quæ maiores magistratus sunt electi, leges apud Gell. lib.13. cap.14.*

Magistratu se abdicauit.] *Notandum diligenter, adeò uniuersa Romanorum gesta ad Deũ semper relata esse, ut etiam in maximo benè gestarũ rerum successu, dijs inuitis, aut reclamantibus non quicq̃ fieri paterentur. Verùm quæ auersa fuerint auspicia, quibus deterritus se magistratu abdicauerit Scipio, copiosè leges apud Plutarchum in Marco Marcello.*

À Gracho

A Graccho.] Tyberio scilicet Sempronio, qui plurimæ inter Romanos dignitatis, consul sibi Scipionem Nasicam & C. Martium subrogandos designauerat.

Statuas in foro positas.] Forum Romanum, quod etiam Latinũ uocatur, intelligit, in quo multa statuarum genera priscis temporibus ob uarias causas erecta erant. De quibus copiosè leges Plinium lib. 34. cap. 4. & 5. & lib. 33. cap. 12. lib. 34. cap. 6. Blond. lib. 6. Romæ triumph. Marlian. lib. 2. cap. 6. & 7. Vnde Liuius lib. 4. Decad. 1. et Plin. lib. 34. statuas fori ornamenta fuisse tradiderunt.

Per ambitionem.] Ambitio, quam Græci φιλοτιμίαν appellant, est honorũ ac gloriæ immodica cupiditas, quã Euripides ut peßimũ in ciuitate numen execratur. Testes sunt apud Romanos Sylla, Cinna, Carbo, Marius, Pompeius, Cæsar, & alij quàm plurimi, quorũ ambitione multo plures Romanorum ciuium ceciderunt, quàm in propagatione imperij totius orbis terrarum.

Consul.] cum Q. Opimio.

Delminium Delmatarum urbem.] Hanc Illyricæ regionis urbem, unde Delmatæ appellati sunt, Volaterranus lib. 8. ca. 1. Geographiæ, Damna uocat. Quæ quomodo à Scipione expugnata site, ex Liuio apud Sabellicum lib. 8. Ennead. 5. Rapsod. leges.

Caßina scripsit, lege apud Ciceronem in Bruto.

Corculum dictus.] Publium Scipionem Nasicam, Corculum ob morum excellentiam dictum esse, Cicero testatur in Bruto, & in Tusculanis quæstionibus bis, item Alexand. ab Alex. libro 1. capite 9.

DE MARCO MARCELLO.

Cap. XLV.

MArcus Marcellus Viridomarum Gallorum ducem singulari prælio fudit, spolia legit apud Nolam, Hannibalem primus locorum angustia adiutus uinci docuit. Syracusas per treis annos expugnauit: & cum per calumniam triumphus ei à Senatu negaretur, de sua sententia in Albano monte triumphauit. Quinquies consul, insidijs Hannibalis deceptus occubuit, & magnificè sepultus: ossa Romam remissa, à prædonibus intercepta perierunt.

IN CAP. XLV.

Marcus Marcellus.] M. Claudius Marcellus, primus Martium genti nomen indidit: de cuius egregiè factis Plutarchus, Volaterranus lib. 17.

cap.1. Vrbanor. comment. Lorbardus de Syricho Patauinus cap. 5. Supplementi, Sabell. lib. 4. Ennead. 5. Rapsod. Valer. Max. lib. 6. cap. 1. § 7. & qui paulo pòst citantur.

Viridomarum.] Plutarchus Britomarum appellat, quem Marcellus consul cum Gessatorum triginta milibus deleuit, de quo prælio Florus lib. 2. cap. 4. & lib. 20. Abbreuiat. Valer. Max. lib. 3. cap. 2. § 4. Orof. lib. 4. cap. 13. Eutrop. lib. 3. cap. 1. Petrarcha de triumphis, Vergil. lib. 6. Gallumq; rebellem, Tertiaq; arma patri, &c. meminit obiter Plin. lib. 3. cap. 20.

Spolia.] Opima spolia tertius post Romulum tulit Marcellus Ioui Feretrio. Qua de re ex Plutarcho & alijs diximus suprà cap. 2. & 25.

Legit.] Et his quidem uerbis: Feretri Iupiter, te ego obtestor, qui tertius Romanorum dux & imperator, uirum hunc ducem simul ac regem propria manu confossum occidi, hæc tibi prima opimaq; spolia dedico: tu nobis, dum belli ad reliquias uertimur, similem successum præstes. Quo docuit, non hominum, sed Deorum immortalium manu hostes uictos, & in posterum quoque uincendos esse. Nec enim ita fidendum industriæ & uiribus nostris, ut diuinam opem negligamus. Nec ita rursum pendendum ab illa, ut nostrum prætermittamus officiũ. Probè igitur Aeschylus apud

apud Stobæum ait, Φιλεῖ δὲ τῷ κάμνοντι συσπεύδειν θεός. id est: Huic qui laborat, adesse numen assolet. Et in eandem sententiam Pindarus, Πρὸς ἄκρον ἀρετᾶς ἦλθον οἵ τε πόνων ἐγεύσαντο, σὺν θεοῦ δὲ τύχῃ. hoc est: Ad summum uirtutis apicem peruenerunt, qui gustarunt labores, non autem sine Dei fortuna.

Apud Nolam.] Campaniæ urbem uetustissimam, quam Iustinus in Trogi Pompeij historias, ab Iapygis conditã fuisse ait. eandem autem Theanum Sidicinum adpellatam legimus. Vide Strab. lib. 5. & 6. Plin. lib. 3. cap. 5. Volater. lib. 6. cap. 6. Vrban. comment.

Hannibalem uinci docuit.] Quomodo autem uicerit, lege Frontinum lib. 2. cap. 2. § 6. & cap. 3. § 9. & ea quæ annotata sunt suprà cap. 42.

Syracusas expugnauit.] Hanc ciuitatem, inuictißimum Siciliæ caput Florus lib. 2. cap. 6. uocat, de cuius magnitudine & excellentia Diodorus lib. 16. Strabo lib. 1. Cicero in actione quarta & septima contra Verrem, &c.

Per tres annos.] Nam Archimedis philosophi & geometræ machinis diu in obsidione laborauit, & tandem Syracusanis Dianæ festum inter iocos & delicias celebrantibus cœpit. De cuius expugnatione Liuius libro quinto, Dec. 3. Florus libro 2. capite 6. Syllius Italicus libro 14. Valer.

Valer. Max. lib. 8. cap. 7. § 14. lib. 1. cap. 6. § 9. & lib. 5. cap. 1. § 9. & Sabell. lib. 4. Enne. 5. Rap. quæ facta est secundũ plerosq; , anno ab Vrbe condita 543.

Cum per calumniam.] *Marcellum enim incusabãt, primùm quòd non tantum homines, uerum etiam Deos, perinde ac captiuos in triumphum duxisset. Deinde quòd Romanos pulcherrima & mirabilia Græcorum ornamenta, quæ antea incognita fuerant, uenerari atq; suspicere docuisset.*

Cum triumphus ei negaretur.] *Aduersantibus inimicis cum triumphus Marcello negaretur, eo quòd nonnulla adhuc in Sicilia nauanda restarent, factum est ut iustum ac integrum in Albano monte triumphum ageret, in Vrbe autem minus splendidũ: quod triumphandi genus Græci ὄυαν, Ouationem uerò Latini uocãt. Vide de ea Liuium lib. 6. Dec. 3. Gell. lib. 5. cap. 6. Blond. lib. 10. Alex and. ab Alex. lib. 6. cap. 17.*

De sua sententia in Albano triumpha.] *Auersante senatu Romano, populum sæpe triumphos decreuisse constat, cum res bello gestæ dignæ uiderẽtur. Item plures, cum Romæ honos negaretur, de sua sententia, sed in Albano tantum monte, honestos triumphos egisse, legimus apud Alexand. ab Alex. lib. 6. cap. 6. Fuit autem tertius, sed plenus inuidia, Marcelli triumphus.*

Quin-

Quinquies consul.] Primum consulatum gessit cum Cn. Cornelio Scipione Caluo, anno ab Vrbe cōdita 532. Secundum, cum in demortui locum suffectus absens, magistratu se abdicauit, ut est apud Liuium lib. 7. Dec. 3. Tertium, cum Q. Fabio Maximo Verrucoso, anno conditæ Vrbis 540. Quartum, cum M. Valerio Leuino, anno 544. Quintum demum, cum Tito Quintio Crispino, ab Vrbe condita 546.

Insidijs deceptus.] Hannibal enim syluam & cauernas iaculatoribus hastatisq; compleuerat, ratus huc ob loci commoditatē Romanos ituros, cauas & præruptas uias obiecit à latere, ipsáq; loci fraude clarißimum ducem uicit. Qua de re copiose Liuius lib. 7. Dec. 3. Plut. in Marcello, Frōt. lib. 2. cap. 2. § 6. Stratagematum, Val. Max. lib. 1. cap. 6. § 9. meminit Plin. lib. 11. cap. 37.

Occubuit.] *transfixus lancea, quam Græci* λόγχην *uocant.* De huius morte lege Oros. lib. 4. cap. 18. Eutrop. lib. 3. cap. 2. & Plut. in eius uita.

Magnificè sepultus.] Hannibal ubi Marcellum cecidisse sensit, corpus splendidè & magnificè ornatum cremauit: deinde reliquijs argētea in urna conditis, coronam imponens auream, filio misit: quæ dum ferrentur, interuenere Numidæ, portātesq; adorti sunt, & hinc inde tumultuantes sparserunt. De qua re plura lege apud Plutarchum, &

chum, & Valerium libro 5. capite 1. § 22. qui eius rei meminit tantum.

DE L. CLAVDIA VESTALI VIR*gine.* *Cap. XLVI.*

Hannibale Italiam deuastante, ex responso librorum Sibyllinorũ mater deûm è Pessinũte accersita, cũ aduerso Tyberi ueheretur, repẽte in alto stetit: & cùm moueri nullis uiribus posset, ex libris cognitum est, castissimæ demum fœminæ manu moueri posse. Tum Claudia uirgo Vestalis, falso incestu suspecta, deam orauit, ut si pudicã sciret, sequeretur. Et zona imposita, nauẽ mouit, simulachrum Matris deûm aduexit. Templum ædificauit Nasica, qui uir optimus iudicabatur.

IN CAPVT XLVI.

Hannibale Italiam deuastante.] *Aliam causam aduectionis Cybeles apud Liuium undetrigesimo libro legimus, qui ait, multa & horrenda prodigia uisa esse, & hanc ob causam lectos libros Sybillinos, & uocatam Cybelem. Sed cum Plinio nostro consentiunt omnes ferè qui suprà citati sunt cap. 44. quò lectorem remittimus.*

Libro-

Librorum Sibyllinorum responso.] *Sibyllinos libros frequenter* Romani *consuluerunt, imminente necessitate: quos quidam à Tarquinio coemptos, ad* Cornelium *usq; Syllam incolumes uenisse, & Capitolij incendio combustos esse deinde affirmarunt. Verùm Suetonius Tranquillus, Augusti Cæsaris temporibus in basi Palatini Apollinis inuentos esse testatur, qui etiam hodie græcè conscripti extant, & Sebastiani Castalionis, uiri eruditissimi, & trium linguarum peritissimi beneficio, ante annum in linguam latinam mira carminis fœlicitate translati sunt. Verùm de Sibyllis, earumq; libris et oraculis, lege Iamblichum de mysterijs, Suidam, Varronem, Diodorum Siculum lib. 5. de Fabulos. antiq. gestis. Plinium lib. 7. cap. 33. lib. 13. cap. 13. Vergil. lib. 3. Aeneid. Insanam uatem, &c. & lib. 6. Ipsa canas oro. Marlian. lib. 2. cap. 10. lib. 3. cap. 19. Alexand. ab Alex. lib. 3. cap. 16. Cæl. Rhod. lib. 8. cap. 15. & lib. 21. cap. 37. item lib. 14. cap. 1. Leonicum lib. 2. cap. 16. de Varia historia, Castalionis præfationem in Sibyllina.*

Pessinunte.] *Phrygiæ oppido, ubi templum ex albo & sumptuoso lapide extructum erat, in quo Matri deûm uel Cybelæ honores sacraq; solennia constituerunt, Mida rege ad ea plurima conferente. Qua de re Diodorus Siculus lib. 4. Plin. lib. 5. cap. 32.*

Accera

Accersita.] *à legatis Romanorum, ut Romam ueniens, à uiro optimo hospitio susciperetur. qua de re copiose suprà cap. 44. dictum est.*

Castißimæ fœminæ manu.] *Ideo autem castißimæ matronæ manu trahi ad maris littora uoluit, quòd uirgo simul & mater (ut à poëtis fingitur) esset.*

Claudia uirgo Vestalis.] *Claudiæ huius factum, quo falsam amissæ pudicitiæ suspicionem è populariũ animis extinxit, leges copiosius apud Liuium libro 9. Dec. 3. Plutarch. in uita Scipionis Nasicæ, Plin. lib. 7. cap. 35. Herodianum lib. 1. in Commodo, Solin. cap. 7. Ouid. lib. 4. Fast. Claudia Quinta genus, &c. Propert. lib. 4. Eleg. 10. Vel tu quæ tardam, &c. Sabell. lib. 5. Ennead. 5. Rapsod. & lib. 2. cap. 5. § 6. lib. 5. cap. 5. ¶ 10. & lib. 10. cap. 2 § 78. Ethnic. exemp. Volaterr. lib. 14. cap. 2. Vrban. comment.*

Falso incestu suspecta.] *Est autem incestus, illicitus cum sanguine coniunctis, aut personis sacris congressus. Erat enim cestus, Veneris cingulum, quo utebantur ad honestas nuptias: & quo uxor, cum maritalis illi fides dabatur, à marito quasi perpetuo uinculo cingebatur. de qua consuetudine Alexand. ab Alexan. lib. 2. cap. 5. Vnde quoque Phyllis apud Ouid. in epistola ad Demophoonta ait:*

Cui

Cui mea uirginitas auibus libata ſiniſtris,
Caſtaq; fallaci zona recincta manu, &c.
Et *Martialis quoq;*
Sume citeriaco medicatum nectare ceſton,
Vinxit amatorem baltheus iſte Iouem, &c.

Orauit deam.] *ut indicaret miraculo, incorruptam adhuc eſſe pudicitiam, ac hoc modo à grauiſsimo mortis ſupplicio eriperetur: de quo lege* Plutarc. *in* Romulo, & 96. *Problematum, Pompon. Læt.* 23. *de* Rom. *ſacerdot. Alexand. ab Alexand. lib.* 5. *cap.* 12. *Cæl.* Rhod. *lib.* 17. *cap.* 19. & *qui ſuprà cap.* 1. *citati, de* Rhea *Syluia à* Marte *compreſſa.*

Aduexit.] *ſola, & ſine omni auxilio alieno. Simile autẽ comprobatæ caſtitatis exemplum de* Tutia *quoq; uirgine Veſtali legimus, quæ cribro aquam inuocata dea ex Tyberi hauſit, & in eius templum miracnloſè tulit. teſte* Plinio *lib.* 28. *cap.* 2. *Valerio* Maximo *lib.* 8. *cap.* 1. § 5. *Sabellic. lib.* 2. *cap.* 5. § 5. Ethnicor. exemplor.

Templum ædificauit.] Deam *aduectam* P. Cor*nelius* Naſica *à mari tantum in* Palatium *portauit, & in Victoriæ templum poſuit, donec proprium templum à* Liuio & C. Claudio *cenſoribus auſpicaretur, quod deinde abſoluit & dedicauit* Iunius Brutus: *de quo* Liuius *lib.* 36. Marlian. *lib.* 3. *cap.* 2. Alexand. *ab* Alexand. *lib.* 6. *cap.* 19.

Quo autem anno dea Romam aduecta sit, ostendit Plinius lib.18.cap 3.

Vir optimus iudicabatur.] Vide Plutar.in uita Scipionis Africani, Plin.lib.7. cap.34.& quos suprà cap.44.citauimus.

DE M. PORCIO CATONE.

Cap. XLVII.

MArcus Porcius Cato, genere Tusculanus, à Valerio Flacco Romam solicitatus, tribunus militum in Sicilia, quęstor sub Scipione fortissimus, prætor iustissimus fuit. In prætura Sardiniam subegit, ubi ab Ennio græcis literis institutus. Cōsul Celtibéros domuit: & ne rebellare possent, literas ad ciuitates singulas misit, ut muros diruerent: cum unaquæq; sibi soli imperari putaret, fecerūt. Syriaco bello tribunus militum sub Marco Attilio Glabrione, occupatis Thermopylarum iugis, †præsidium hostium depulit. Censor L. Flaminium consularem senatu mouit, quòd ille in Gallia ad cuiusdam scorti spectaculum, eductum

† *al. subsidiū*

eductum quendã è carcere, in conuiuio iugulari iussisset. Basilicã suo nomine primus fecit. Matronis ornamẽta erepta, Oppia lege repetẽtibus, restitit. Accusator assiduus malorum, Galbã octogenarius accusauit. Ipse quadragies quater accusatus, gloriose absolutus, Carthaginem delendam censuit. Post octuaginta annos filium genuit. Imago huius funeris gratia produci solet.

IN CAP XLVII.

Marci Porcij Catonis, quem alij superiorẽ, alij Maiorem ob ætatem, alij Censorium adpellant, egregia facta describunt Plut. *in uita eius, Liuius lib.3.*Dec.4.*et lib.4.*Dec.4.*etc.* Sabel.*lib.7.*Enn.*5.*Rap.*Petrar.*lib.3.tract.2.cap.10.Rerũ memorab.*Lorbardus *de Syricho cap.8.Supplem.in* Petrar. Volat. *lib.14.ca.2.et qui paulo pòst citãtur.*

Porcius.] *Cognomen indicat, satis obscuris parentibus, ut qui porcos pascerent, natum esse uirum clarißimum: de cuius genere & familia* Gellius *quoq; lib.13.cap.18.*

Tusculanus.] *ex Tusculo* Latij *oppido, à* Telegono Vlyßis *et* Cyrces *filio cõdito, de quo* Strabo *lib.5.*Plin.*lib.2.cap.98.*Volat.*lib.6.cap.1.* Huius

autem oppidi uestigia hodie quoq; uidemus supra castrum Frascati, *fontemq; ex eo* Romam *usq; ma nantem.*

Valerio Flacco.] Non *est ille* Valerius,*qui ad* Attalum *regem pro simulachro* Matris *deûm missus est,sed qui cum eodem* Catone *circa* Medio *lanum(ut* Liuius *lib.*4.Dec.4.*testatur)cum* Gal*lis & Insubribus pugnauit.* Vtriusq; *autem uitam habes apud* Volater.*lib.*20.*cap.*2.

Tribunus militum.] Duo Tribunorum *militarium erant genera: primum quidem illorum qui in exercitu creati,*Rufuli *dicebantur.* Alij,*qui* Romæ *in comitijs designati,* Comitiati *nominabantur.*De *quibus* Fenestella *cap.*16. Pomp.Læt. *cap.*19.Rom. *magist.*Blond.*lib.*3.*&* 5.Rom.*triumph.*Alexand.*ab* Alexan.*lib.*5.*cap.*2. *&* Asconius Pedianus.

Sicilia.] Q*uæ iam bello subacta, in* Romano*rum potestate erat.*De *hac diximus alibi suprà.*

Q*uæstor.]scilicet ærarij & urbanæ pecuniæ curam agens.* De *cuius dignitate & officio* Gra*tianus in eo libro quem de temporibus scripsit.* Varro *lib.*1.*de lingua* Latina,Fenest.*cap.*3.Pom*pon.*Læt.*cap.*17.*de* Rom. *magist.*Blond.*lib.*1.Ro*mæ triumph.*Vlpian.*tit.*13.*i.ff.*Alexand.*ab* Alex. *lib.*3.*cap.*16.*& lib.*2.*cap.*2.

Prætor.]Fuit prætor Tito Quintio Flaminio, *& Sex.*

& Sex. Aelio Peto consulibus, anno ab Vrbe condita 556. uel anno 4. Olymp. 145. Cuius præturæ meminit Valer. Max. lib. 7. cap. 5. § 6. De Prætorum autem authoritate & officio Liuius lib. 6. in fine, Fenestell. cap. 19. Pomp. Læt. cap. 24. de Roman. magist. Blond. lib. 3. Alexand. ab Alex. lib. 2. cap. 15. & lib. 6. cap. 24. Pomp. Iurisconsul. ff. de Origine iuris, L. Necessarium.

Iustißimus.] Et hinc Plinius lib. 7. cap. 27. optimum oratorem, optimum imperatorem, & optimum quoq; senatorem: Sabellicus autem ex neotericis, lib. 7. cap. 3. § 8. Ethnic. exem. uirum iustum & æquitatis studiosißimum, Catonẽ uocant.

Sardiniam.] Insulam inter mare Thuscum & Africum, omnium fertilißimam, de qua Strabo lib. 5. Plin. lib. 7. cap. 3. lib. 35. cap. 17. Solin. cap. 10. Mela lib. 1. cap. 7. Diod. lib. 6. Volater. lib. 6. cap. 9. Geograph. Syll. Italic. lib. 12. Claudian. in bello Gildonico, Humanæ speciem, &c. Leonicus lib. 1. cap. 1. de Varia historia. Verùm cum hanc insulam sortitus est Cato, sine rheda circumiuit ciuitatem, uno tantum seruo comitatus, qui uestem & turribulum ferret, teste Sabellico lib. 10. cap. 1. § 5. Ethnic. exemplor.

Ab Ennio.] Epico, quem Cicero ubiq; optimum & clarißimum poetam adpellat, ut qui non tantum annaliũ libros & comœdias, sed etiam de

Scipionis Africani, de Catonis, de Fabij Maximi, de M. Marcelli, & Fuluij Nobilioris rebus gestis scripserit. de quo lege Quintil. libro 10. cap. 1. & lib. 11. cap. 3. Plin. lib. 18. cap. 8. Marcum Varronem lib. 1. de Poetis, Crinit. lib. 2. de Poëtis Latin. Gell. lib. 17. cap. 21. Cæl. Rhod. lib. 7. cap. 1. & lib. 28. cap. 30. Volater. lib. 15. cap. 2. Vrban. comm.

Græcis literis institutus.] Marcum Porcium Catonem iam senem, non tantū græcas literas didicisse, sed etiam euoluisse, & ex Thucidide & Demosthene commentariolos cōfecisse, legimus apud Plutarchum, Valerium Maximum lib. 8. cap. 7. § 3. Gell. lib. 11. cap. 8. Sabell. lib. 7. Ennead. 5. Francis. Petrar. lib. 1. tract. 2. cap. 9. Rerum memorandarum, Cæl. Rhod. lib. 29. cap. 13.

Consul.] cum Lucio Valerio Flacco, anno uidelicet tertio, Olympiad. 146. ab Vrbe uerò condita 559. de quo consulatu Liuius lib. 3. Dec. 4.

Celtiberos.] Hispaniæ populus Celtiberi sunt. Strabo lib. 3. Plin. lib. 3. cap. 3. & 1. Pomp. Mel. lib. 3. cap. 1. Lucan. lib. 4. Gallorum Celtæ, &c. Syll. Ital. lib. 3. Venêre & Celtæ, &c. Hos autem quomodo domuerit, lege Liuium lib. 4. Dec. 4.

Vt muros diruerēt.] Cato cum deuictas à se Hispaniæ ciuitates existimaret in tempore rebellaturas fiducia murorum, scripsit singulis, sed uno eodemq; die, ut urbium munimenta diruerent: minatus,

minatus bellum, nisi confestim obtemperarent. Et sic unaquæq; urbium, cum sibi soli hoc credidit imperatum, omnium urbium munitiones quæ intra Betim fuerunt, uno (ut apud Polybium legimus) die solo æquatæ sunt. Vide etiam Front. lib. 1. cap. 1. § 1. & Volat. lib. 14. cap. 2. Vrban. com.

In Syriaco bello.] quod aduersus Antiochum gerebatur: de quo Liuius lib. 3. Dec. 4. & sequētibus, Iustin. lib. 31. Appian. in Syrico, Oros. lib. 4. cap. 20. Eutrop. lib. 4. cap. 1. Florus lib. 2. cap. 8.

M. Attilio Glabrione.] cum P. Scipione Nasica tum cōsule, anno tertio Olympiad. 147. ab Vrbe autem condita 563. Verùm hunc Attilium Appianus Aciniū Manium, Orosius autem Acilium uocat. Vide ea quæ annotata sunt infrà cap. 54.

Thermopylarum iugis.] Liuius lib. 6. Dec. 4. ait, Thermopylarū hoc iugum non aliter mediam Græciam diuidere, quàm Apenninus Italiā. Acceperunt autem nomē à thermis, & calidis aquis ex his fluentibus, quæ magno in honore, uti Herculi cōsecratæ, fuerūt. Vide Strabonē lib. 9. Herod. lib. 7. Plin. lib. 4. cap. 7. Pomp. Melā lib. 2. cap. 3. Leonic. lib. 1. cap. 90. de uar. hist. et infrà cap. 54.

Præsidium.] Alij legunt subsidium.

Hostium.] Antiochi Syriæ regis, qui armatorum 60. millia habuisse dicitur, ex quibus 40. millia cæsa, & plus quàm 5. millia capta referuntur.

Censor.] cum eodē scilicet Flacco, Publio Claudio Pulchro & L. Portio Licinio consulibus, anno 2. Olymp. 149. ab Vrbe condita 570. Tam seuerus autem in delinquentes fuit censor, ut inde Censorij cognomen adeptus sit. Lege Plin. lib. 19. cap. 1. & lib. 14. cap. 4. Sabell. lib. 2. cap. 8. § 5. Fulgos. lib. 2. cap. 4. § 1.

L. Flaminiū.] Titi Quintij Flaminij fratrem, & qui septē antè annos Romanorū cōsul fuerat.

È senatu mouit.] Cēsura enim uniuersæ reip. supremū et perfectißimū semper habuit locū. Vnde cēsores cū in uitia hominū studiosißimè animaduerterēt, etiam summo loco natos non tantum notātes adorti sunt, sed omnibus etiam honoribus et dignitatibus priuarunt: ut ex præsenti quoque satis liquet exemplò. Verùm de Censorum autoritate et potestate lib. 4. Dec. 1. Liuius, Blond. lib. 3. Rom. triumph. Fenestell. cap. 17. Pompon. Læt. cap. 21. de Roman. magist. Alexand. ab Alex. lib. 3. cap. 13. et Pompon. Iurisc. tit. 2. lib. 1. ff.

Ad cuiusdam scorti spectac.] quod ex Vrbe in prouinciā accersiuerat. Plutarchus adolescentem liberali forma fuisse ait, quem semper comitem habuerit. Valerius autem Antias non in adolescentis, sed puellæ gratiam factum esse scribit, quam Placentiæ perditè amasset.

È carcere eductū quendam.] Plutarchus ait unum

unum ex ijs fuisse, qui rei capitalis crimine damnati erant. Ex neotericis autem Sabellicus lib. 7. Ennead. 5. Rapſ. Gallum uocat, quē à suis ad Romanos cum liberis transfugisse ait.

Iugulari iußisset.] Liuius libro 9. Dec. 4. ubi præsentem describit historiam, Flaminium scriendi negocium non carnifici dedisse, sed propria manu in corpus hominis sæuisse commemorat: Catonis authoritate ductus, qui hæc memoriæ quoque prodidit. Vtcunq; tamen sit, constat L. Flaminium hominem fuisse crudelißimum, ut qui ob turpißimum amorē, humano se sanguine maculare, quàm inhonestißimæ meretricis precibus non obtemperare maluit. Huius autem rei meminit quoq; Cicero in Catone, & Valer. Max. lib. 2. cap. 4. 5. 4

Basilicam fecit suo nomine.] Ex pecunia publica, magnoq; sumptu Basilicam uicinam foro construxit, eamq; (ob æternam sui nominis memoriam) Portiam appellauit, teste Plutarcho, & Marliano libro 3. cap. 26. & Blondo, qui de Roma triumphante, etiam hodie huius Basilicæ uestigia nō nulla extare scribit.

Ornamenta Oppia lege erepta.] Caius Oppius tribunus plebis Q. Fabio & Tito Sempronio Coss. in medio Punici belli ardore, ne qua mulier plus semiuncia ari haberet, neu uestimento uersicolori uteretur, neu iuncto uehiculo in urbe

oppido ue, aut propius inde mille passus, nisi sacrorum publicorum causa ueherentur, legem tulit, quã modo aboleuissent, nisi acerrimè Porcius *Cato restitisset, urbanæ luxuriæ & superbiæ grauißimus hostis.* De hac lege Liu.lib.4. Dec.4. *Sabell.lib.6.*Ennead.5.Pomp.*Læt.* § 22. de Legibus. Francis.*Philelphus de* Legib. § 7. *Aymarus lib.* 2.

Restitit.] *luculentißima ad populũ iam concitatum habita oratione, quam leges apud* Liuium *lib.*4.Dec.4. *et Sabel.lib.* 5. Ennead.6.R*apſ. ubi de* Oppia *lege lectu dignißima inuenies.* Et his om*nibus uidetur probasse legem* Voconiam *de mulierum hæreditatibus coercendis.de qua* Cic. *de* Sene*ctut.tertia Verrina, & pro Cornelio* Balbo. Gell. *lib.*20.*cap.*1.*Sabell.lib.*1.*cap.*7. § 2.*Ethnicor.exemp.* & Alexan.*ab* Alex.*lib.*6.*cap.*15.

Accusator malorum aßiduus.] Non *ratione officij tantum, sed aliàs: quod & statua, quæ ei* Ro*mæ in templo erecta est, satis ostendit, cuius inscriptione restitutos ab eo mores intelligebatur, teste* Plutarcho.

Galbam.] *Sergium Galbã uirũ consularẽ eloquentißimũ: de quo Suetonius, Cicero in oratore, &* Volat.*lib.*16.*cap.*1.*Vrban.com.Galbas autem à colore galbulæ auis credunt denominari: est enim passeris genus luteis pennis, tametsi à Galbeo indumẽto aliqui dictos asseuerẽt.* Vide *Suetoniũ in*

uita

uita Galbæ, & Alexan. ab Alex. lib. 1. cap. 9.

Octogenarius.] Liuius lib. 9. Dec. 4. & Plutarch. nonogenarium legunt, qu. s Lorbardus quoque de Syricho sequutus est. Verùm quum Cato, ut historiæ ostendunt, octogesimo quinto ætatis anno obierit, nonagenarius iam Galbam accusare non potuit, nisi post mortem à manibus eius accusatum esse uelis. Verùm huius rei ueritatem apud Ciceronem de Claris oratoribus inuenies.

Accusauit.] Pro direptis Lusitanis, à Catone Censorio accusatus Galba: sed ob complexum suorum filiorum, misericordia absolutus est. Qua de re lege Asconium Ped. Valerium Max. libro 8. cap. 1. §. 1. et Volat. libro 16. cap. 2. ferè à princip.

Quadragies quater.] Quoties accusatus sit Cēsorius, dissentiunt authores. Quadragies quater accusatū, scribit quoq; Solinus ca. 7. cui astipulantur Lorbardus de Syricho, & Cælius Rhodiginus lib. 11. cap. 14. Quadragies ter, Plin. lib. 7. cap. 27. Valer. Max. sæpenumero accusatū ait, lib. 3. ca. 7. § 7. Sexies & quadragies, Sabell. lib. 1. cap. 7. § 6. Sic quoq; Aristophontes apud Athenienses nonagies quinquies accusatus, semper euasit, ut testis est Aeschines in celeberrima oratione in Demosthenem, Alexan. ab Alex. lib. 3. cap. 5.

Carthaginē delendā censuit.] Tam uicinam se habere inimicam urbem, & hostilia meditantem,

quàm

quàm pomarium illud esset, unde decerpserat ficum quam recentē in manibus habebat. Vide Plutarch. *in eius uita,* Plin. *lib.15.cap.18.* August. *lib.3. cap.31.* Ciuitatis, Sabell. *lib.1.ca.7. § 2.* Fulgos. *lib. 8.cap.10. § 3.* Flor. *lib.2.cap.15.*

Post octoginta annos filium genuit.] Ex Salonij *clientis sui filia,* Marcum Catonem Salonium *genuit: teste* Gell. *lib.13 cap.18.* Volater. *libro 14. cap.2.* Vrban. *com.* Sabell. *lib.1.cap. 7. § 2. & Solino cap.4.* Polyhist. *qui ait, octogesimo anno iam exacto auum* Vticensis, *ex Salonij filia Catonem procreasse.*

Imago huius.] *Cato conspiciens multorum erigi statuas: Malim, inquit, ut de me quærant homines, quamobrem Catoni non posita sit statua, quàm quare sit posita. Sentiens, se malè res præclaras gerere, ut olim scientes illum promeruisse statuam, mirentur non esse positam.* Plutarch. *in eius uita, &* Romanorum Apoph. *repetijt* Eras. Rot. *lib. 5.apoph. &* Cælius *lib.29.cap.14.*

DE CLAVDIO NERONE, ET *Hasdrubale.*

Cap. XLVIII.

HAsdrubal frater Hānibalis ingentibus copijs in Italiam traiecit: actumq; erat de Romano imperio, si coniungere Hannibali copias

pias potuisset. Sed Claudius Nero, qui in Apulia cum Hannibale castra cōiunxerat, relicto in castris patre, cum delectis ad Hasdrubalem properauit, & se Liuio collegæ apud Senam oppidum, & Metaurū flumen coniunxit, amboq; Hasdrubalem uicerunt. Nero regressus, pari celeritate, qua uenerat, caput Hasdrubalis ante uallum Hannibalis proiecit. Quo ille uiso, uinci se fortuna Carthaginis confessus est. Ob hæc Liuius triumphās, Nero ouās, urbem introierunt.

relicta parte

IN CAPVT XLVIII.

Hasdrubal frater Hannib.] Hic obiter notandum est, grauiter lapsum esse Iustinum, qui lib. 19. Hannibalem Hasdrubalis filium fuisse, memoriæ prodidit: cum secus habeant omnes historiæ, quot quot extant.

Ingentibus copijs.] cum elephantis centum & triginta, equitum peditumq; uiginti millibus, ex Africa in Italiam uenisse legimus, Lucio Cæcilio Metello & C. Furio consulibus. Verùm huius capitis historias leges apud Liuium lib. 7. Dec. 3. Valer. Max. lib. 3. cap. 7. § 4. & lib. 7. ca. 4. § 4. Flor.

lib.

lib.2.cap.6.Oros.lib.4.cap.18.Eutrop.lib.5.cap.2.Front.lib.1.ca.1 § 9.cap.2.§ 9.cap.5.§ 18.lib.2.ca.3.§ 8.lib.4.cap.7. § 15.lib.3.cap.17. § 1. lib.1.cap.3. § 4. lib.2. cap.1.§ 1. & lib.1. cap.3 § 4. Syll.Ital.lib.15.Terrore interea, &c. Sabell.lib.4. Ennead.5. Rapsod.Phrisingens.lib.2.cap.37. Volat.lib.13.cap.4.& lib.16.ca.4. Vrban.com. Lorbardus cap.6.Suppl.Epitomes in Petrarcham.

In Italiam traiecit.] Ab Hispanijs per Gallias uenit, teste Orosio: ut fratri, qui Romanis impar erat, coniungeretur.

Claudius Nero.] Tum temporis consul, anno uidelicet tertio, Olymp.143.ab Vrbe uerò condita 547.cuius meminit Fulgos. lib.1. cap.1.§ 7. Sunt autem Nerones à uirtute & fortitudine dicti. Nero quippe Sabina lingua fortem & strenuum designat. uide Gell.lib.13.cap.21. Alexand. ab Alex. lib.1.cap.9.

Relicta in castris parte.] Ne fraudem hostes intelligerent.

Properauit.] Diurno enim & nocturno simul tempore Romani iter dimetientes, hostes ex improuiso obruerunt.

Liuio.] M.Liuio Salinatore, de quo Plinius infrà capite quinquagesimo.

Apud Senã.] inclytã Tusciæ ciuitatẽ, quã Brentum Gallorũ ducẽ, pro senibus ualetudinarijsq; et

armentis

armentis extruxisse, anno ante Christũ natũ 362. quidã ferũt. Polybius aũt, Senones pulsos à Romanis, aliã coloniã eius nomine Senæ, quã apud Adriaticũ reliquerũt, condidisse prodidit. Vide Plinium lib. 3. cap. 5. Volat. lib. 5. cap. 2. Geograph.

Metaurũ flumẽ.] scilicet Vmbriæ, de quo Strabo libro 6. Plin. lib. 13. cap. 3. & lib. 3. cap. 5. et 14. Pomp. Mel. lib. 2. cap. 4. Volat. libro 6. cap. 7. Vrban. com.

Vicerunt.] Multo fuso sanguine. secundũ Liuium enim, quinquaginta sex hostium millia: secũdum Orosium, sexaginta tria millia occisa, capta quinq; millia quadringenti referuntur.

Nero regressus.] ad statiua sua.

Pari celeritate.] qua scilicet uenerat prius. Liuius ea nocte quæ pugnã secuta est, regreßũ ait, & citatiore quàm inde uenerat agmine, die sexto ad suos peruenisse. Celeritatẽ aũt in imperatore plurimũ ualere, scribit Cic. in orat. pro lege Manilia.

Caput Hasdrubalis.] in ea clade interfecti. Apud Liuium aũt legimus, non tantũ caput Hasdrubalis in Hannibalis castra mißũ esse, sed captos etiã Afros ostẽdisse: & præterea duos etiã ex his solutos esse, ut acta Hannibali referrẽt, desperanti ob mortẽ fratris. uide ea de re etiã Frontin. lib. 2. cap. 9 § 2. & Syll. Ital. qui lib. 15. hanc historiam graphicè describit, Tum Nero procera, &c.

Trium-

Triumphans.] curru, quia in eius prouinciæ res gestæ erant. Alexand. ab Alex. lib. 1. cap. 22.

Ouans.] Albo insidens equo, & myrtea insignitus corona. Vide de Ouatione Alexand. ab Alex. lib. 6. cap. 17. & quos citauimus suprà cap. 33. Est autem Nero elegantißimum animi moderationis exemplum, ut qui licet Liuij Salinatoris in Hasdrubale opprimēdo particeps gloriæ fuerit, tamē triumphantem equo sequi, quàm triumpho (quē ei senatus æquè decreuerat) uti maluerit. Vide Valer. Max. lib. 4. cap. 1. § 11.

DE PVBLIO CORNELIO SCIPIONE *Africano. Cap.* XLIX.

PVblius Scipio ex uirtutibus cognominatus Africanus, Iouis filius creditus. nam antè, quàm conciperetur, serpens in lecto matris eius apparuit: & ipsi paruulo draco circunfusus nihil nocuit. In Capitolium intempesta nocte eunti, nunquam canes allatrauerunt. Nec hic quicquam prius cœpit, quàm in cella Iouis diutissimè sedisset, quasi diuinam mentem accepisset. Decem & octo annorum, patrem apud Ticinū singulari uirtute seruauit. Clade

Canen

Cannensi nobilissimos iuuenes Ita-
liam deserere cupienteis, sua aucto-
ritate compescuit. Reliquias incolu-
meis per media hostiũ castra Canu-
sium perduxit. Vigintiquatuor an-
norum prætor in Hispaniã missus,
Carthaginem, qua die uenit, cepit.
Virginem pulcherrimam, ad cuius
aspectũ concurrebatur, ad se uetuit
adduci, patriq; eius, ac spõnso resti-
tui iussit. Hasdrubalẽ, Magonemq;
fratres Hannibalis Hispania expu-
lit. Amicitiã cum Syphace Mauro-
rum rege coniunxit. Masinissam in
societatẽ recepit. Victor domum re-
gressus, consul ante annos factus,
concedente collega, in Africã classe
traiecit. Hasdrubalis & Syphacis ca
stra una nocte perrupit. Reuoca-
tum ex Italia Hannibalẽ superauit.
Victis Carthaginensibus leges im-
posuit. Bello Antiochi legatus fra-
tri fuit. Captũ filium gratis recepit.
A' Petilijs & Neuio tribuno plebis

repetundarum accusatus, librum rationum in conspectu populi scidit. Hac die, inquit, Carthaginem uici, quasi bonum factū: in Capitolium eamus, & dijs supplicemus. Inde in uoluntarium exilium concessit, ubi reliquam egit ætatem. Moriens ab uxore petijt, ne corpus suum Romam referretur.

IN CAPVT XLIX.

Publius Scipio.] *Scipionis Aphricani, qui dux fatalis contra Hannibalem fuit, insignia facta leges apud Plutarchum in eius uita, & Romanorum quoque Apopht. Gell. lib. 4. cap. 18. & 20. lib. 6. cap. 8. lib. 3. cap. 4. lib. 2. cap. 20. lib. 12. cap. 8. & lib. 16. cap. 8. Valer. Max. lib. 2. cap. 5. § 3. lib. 6. cap. 2. § 4. Front. lib. 4. cap. 7. § 4. & 16. Fulgos. lib. 6. cap. 4. § 12. lib. 7. cap. 4. § 14. & lib. 4. cap. 1. § 4. Volater. lib. 19. cap. 3 Vrbano. r comment. Alexand. ab Alexan. lib. 2. cap. 11. Otho Phrysing. lib. 2. cap. 4. Francis. Petrar. Rerum memorab. lib. 3. tract. 2. cap. 2. contra medicū ignor. lib. 2. cap. 7. & epist. famil. 1. Lorbard. de Syricho in Supplem. Petrar. cap. 7. Huius etiam amplissimas laudes decantat Seneca epistola 86. ad Lucilium, & qui in processu præterea citantur.*

Ex uir-

Ex uirtutibus cognominatus Africanus.] ob egregiam in Africæ finibus de Pœnis & Hannibale uictoriam, Africanus cognominatus est: Liuius lib.1.Dec.3. Oros.lib.4.cap.19. Eutropius lib.4. cap.2.Petrarch.lib.2.cap.7.Inuectiuarum.

Serpens in lecto matris apparuit.] quē superstitiosa antiquitas, genium Iouis fuisse putauit. Hanc historiam ex Oppio & Iulio Higino leges copiosissimė apud Gelliū lib.7.cap.1. Liuium lib. 6.Dec.3. Valer.Max.lib.1.cap.3.§ 2. Plut.in eius uita, Anthon. Florent. tomo 1.tit.4. cap.5.§ 16. Similia etiam de Olympiade Philippi regis uxore, & Alexādri matre legimus in historijs græcis.

Canes nunquā latrauerunt.] Canes templi custodes erant, qui sacrilegos & nebulones uoce pariter ac dentium ictibus remouebant. Sic in Vulcani templo, canes Romæ pro æditius fuisse, & sacrilegis tantum adlatrasse, fama fertur: quemadmodum apud Aetnam, notissimū Siciliæ montem, etiam custodire templum ac lucum canes traduntur, quibus mirum præcipuė insitū ingenium creditur: quippe castė adeuntes, permulcēt ac adblandiuntur, illisq; perinde ac beneuolis aggregātur. Quod si manib.non puris, sceleréq; aliquo pollutior templū inuisat, irruūt mordicus, lacerāt, conuellūtq;. qua de re multa leges apud Cæl. Rhodig. lib.23.cap.29.& Alexand.ab Alex.lib.1.cap.3.

repetundarum accusatus, librum rationum in conspectu populi scidit. Hac die, inquit, Carthaginem uici, quasi bonum factū: in Capitolium eamus, & dijs supplicemus. Inde in uoluntarium exilium concessit, ubi reliquam egit ætatem. Moriens ab uxore petijt, ne corpus suum Romam referretur.

IN CAPVT XLIX.

Publius Scipio.] Scipionis Aphricani, qui dux fatalis contra Hannibalem fuit, insignia facta leges apud Plutarchum in eius uita, & Romanorum quoque Apophth. Gell. lib. 4. cap. 18. & 20. lib. 6. cap. 8. lib. 3. cap. 4. lib. 2. cap. 20. lib. 12. cap. 8. & lib. 16. cap. 8. Valer. Max. lib. 2. cap. 5. § 3. lib. 6. cap. 2. § 4. Front. lib. 4. cap. 7. § 4. & 16. Fulgos. lib. 6. cap. 4. § 12. lib. 7. cap. 4. § 14. & lib. 4. cap. 1. § 4. Volater. lib. 19. cap. 3 Vrbano. r comment. Alexand. ab Alexan. lib. 2. cap. 11. Otho Phrysing. lib. 2. cap. 4. Francis. Petrar. Rerum memorab. lib. 3. tract. 2. cap. 2. contra medicū ignor. lib. 2. cap. 7. & epist. famil. 1. Lorbard. de Syricho in Supplem. Petrar. cap. 7. Huius etiam amplissimus laudes decantat Seneca epistola 86. ad Lucilium, & qui in processu præterea citantur.

Ex uir-

Ex uirtutibus cognominatus Africanus.] ob egregiam in Africæ finibus de Pœnis & Hannibale uictoriam, Africanus cognominatus est: Liuius lib.1.Dec.3. Oros.lib.4.cap.19. Eutropius lib.4. cap.2.Petrarch.lib.2.cap.7.Inuectiuarum.

Serpens in lecto matris apparuit.] quē superstitiosa antiquitas, genium Iouis fuisse putauit. Hanc historiam ex Oppio & Iulio Higino leges copiosissimè apud Gelliū lib.7.cap.1. Liuium lib. 6.Dec.3.Valer.Max.lib.1.cap.3.§ 2.Plut.in eius uita, Anthon. Florent. tomo 1.tit.4. cap.5.§ 16. Similia etiam de Olympiade Philippi regis uxore,& Alexādri matre legimus in historijs græcis.

Canes nunquā latrauerunt.] Canes templi custodes erant, qui sacrilegos & nebulones uoce pariter ac dentium ictibus remouebant. Sic in Vulcani templo, canes Romæ pro æditius fuisse, & sacrilegis tantum adlatrasse, fama fertur: quemadmodum apud Aetnam, notissimū Siciliæ montem, etiam custodire templum ac lucum canes traduntur, quibus mirum præcipuè insitū ingenium creditur: quippe castè adeuntes, permulcēt ac adblandiuntur, illisq; perinde ac beneuolis aggregātur. Quod si manib.non puris, scelereq; aliquo pollutior templū inuisat, irruūt mordicus, lacerāt, conuellūtq;.qua de re multa leges apud Cæl. Rhodig. lib.23.cap.29.& Alexand.ab Alex.lib.1.cap.3.

Nunquam allatra.] *Quasi in canibus ratio, & pietatis notas quasdam inesse, credere fas sit.* Vide Sabell. lib. 5. cap. 4. § 3. Ethnic. exemplor.

Nec hic quicquã prius cœpit.] *Vt iuxta diuini* Platonis *sententiam, omnium negociorum exordium à* Deo *sumendum esse doceret.* Quod *enim in triremi gubernator, in curru rector, præcantator in choreis, dux in urbe, imperator in exercitu, hoc est (ut* Apuleius *ait) in mundo* Deus: *cuius fauor nisi conatibus nostris aspiret, manca est omnis humana industria.*

Quasi diuinam mentem accepisset.] *Seruatæ seu potius simulatæ religionis exemplũ.* Vide Liuium lib. 6. Dec. 3. Gell. ut suprà. Valer. Max. lib. 1. cap. 3. § 2. Sabell. lib. 4. Ennead. 5. Rapsod. & lib. 2. cap. 3. § 4. & lib. 5. cap. 4. § 3. & lib. 2. cap. 4. § 3. Iouian. Pont. lib. 1. de Magnanimitate, cap. 8. Adde ea quæ in uita Numæ suprà diximus.

Decem & octo annorũ.] *Plutarchus enim ait, cum decimum septimum annum ætatis ageret, initio secundi belli Punici, à patre in castra, ut stipendio militaret, ductum esse.* Romanos *enim haud ferè quenquam minorem 17. annis, aut 46. maiorem militiæ aut tyrocinio adscripsisse, apud* Alexand. ab Alex. lib. 1. cap. 20. *legimus.*

Patrem.] *Publium Corneliũ Scipionem, tum consulem: cum quo primùm* Hannibal *signa in*

Italia

Italia contulit. cuius uitam leges quoq; apud Volaterranum lib.19.cap.3.Vrban.comment.

Apud Ticinum.] De hac clade Liuius lib.1. Dec.3. Plutar.in Hannibale & Scipione, Flor.lib. 2.cap.6. Syll.Ital.lib.4. Cæruleas Ticinus aquas, &c. & qui præterea sunt citati suprà cap.42.

Singulari uirtute seruauit.] iam ab hostibus circumuentum, grauiterq; uulneratum. Huius factum leges apud Liuium citato loco, Oros. lib.4. cap.14. Eutrop. lib.3. cap.2. Plin. lib.16. cap.5. Val. Max.lib.5.cap.4. § 2.Plutar.ut suprà, Flor. lib.2.cap.6. Sabell.lib.2. Ennead.5.Rapsod. Notandum tamen obiter, Cælii memoriæ tradidisse, Scipionem consulem à seruo natione Ligure seruatum esse. sed Liuio, Plutarcho, & alijs ferè omnibus potius assentiendum est, qui filij uirtute ab hostium manu liberatũ, unanimiter prodiderunt.

In clade Cannensi.] de qua Polyb.lib.5. Oros. lib.4.cap.16. Florus lib.2.cap.6. Frontinus lib.2. cap.2. Syll.lib.9. & qui suprà cap.42.citati.

Italiã deserere cupientes.] ob desperationem: eo quippe tẽpore in quatuor locis grauißima bella gerebant, in Italia contra Hannibalem, in Hispania contra Hasdrubalem, in Macedonia contra Philippum, & in Sardinia contra Sardos.

Sua authoritate compescuit.] hoc est, stricto gladio omnes patriam deserere cupientes adegit,

 ut si-

ut fidem darent, se patriam nequaquā deserturos. Liu.lib.2.Dec.3.Oros.lib.4.ca.16.Val.Max.lib. 5.cap.6.§ 7. Sabel.lib.1.ca.4. § 4. Ethnic.excep.

Reliquias.] *decem millia (ut Plutarchus ait) hominum.*

Canusium.] Apuliæ oppidum, quod fluuius, quem Aufidū adpellant, præterfluit. De hoc Strabo lib.6. Plin.lib.3. cap.11. lib.8.cap.47.& 48. lib.35. cap.6. Pomp.Mela lib.2. cap.4. Volater. lib.6.cap.8.Geographiæ.

Viginti quatuor annorū prætor.] Magistratuum gerendorū ordinem Romani obseruabant. primò enim gerebatur quæstura, pòst ædilitas, ædilitatem sequebatur prætura, post præturam gerebatur consulatus, postrema erat censura.

In Hispaniam missus.] cum decem milibus peditum, & triginta nauium classe. Cuius in Hispaniā transitū leges apud Liuiū, Plut.Flor.Eutrop. ut suprà, August.lib.3.cap.21.Ciuit. Oros.lib.4. cap.18. Val.Max. lib.4.cap.3.§ 2. & lib.3.cap. 7.§ 1. Phrysing.lib.2.cap.38.Syll.Ital.lib.15.

Carthaginem.] nouam intellige, quæ est in Hispania, in qua stipendia maxima, præsidia ualida, copiæ auri argentiq; magnæ Pœnarum habebantur. De qua copiose Strabo lib.3.Plin.lib.3. cap.3. Pomponius Mela libro 2.capite 6. Volaterranus libro 6.capite 5.

Et quâ

Ea qua uenit die, cepit.] cæsis & captis quadraginta hostium milibus, & quingentis nauibus concrematis. Quibus autẽ artibus Carthaginem ceperit, leges apud Liuium lib. 6. Dec. 3. Plutarc. in Scipione, Plinium libro 26. capite 4. Orosium libro 4. capite 18. Syllium Italicum libro 15.

Ad se uetuit adduci.] ne uisa uirgine, animus ad libidinem pelliceretur: in oculis enim non exiguam natura posuit motuum declarationẽ. quam obrem ab eorum motionibus omnis est abijcienda leuitas & impudẽtia. & cum nulla corporis pars uacare debeat continentia, oculos maximè oportet habere homines continentes: quos Seneca de Remedijs fortuitorum uitiorum, omnium irritamenta & scelerum duces uocat.

Restitui iußit.] dato amplißimo munere. Verùm Plutarchus in Apophtheg. ait, Scipionem dixisse: Libenter se accipere puellam, si homo priuatus, non imperator esset. quo dicto docuit, se iuuenem puellæ forma corrumpi non potuisse, quo minus meminisset quid imperatorem deceret, qui in omni uita, uirtutis & honestatis debet suis exhibere exemplum. Historiam latius leges apud Liuium libro 7. Dec. 3. in fine, Valerium Maximum libro 4. capite 3. § 2. Eutropium libro 3. capite ultimo, Gellium libro 6. capite 8. Sabellicum lib. 1. cap. 4. § 3. Ethnic. exempl. Platinam lib. 2.

de Optimo ciue,circa finem: Erasmum Roterodamum lib. 5. Apophthegmatum.

Sponso.] Plutarchus in uita Africani sponsum huius uirginis Luceium Celtiberorũ principem, Liuius autem Allucium adpellat, ad quem elegantissima Scipionis oratio apud eundem extat.

Hispania expulit.] post cladem scilicet ad Besulam factam, ubi Scipio non prius uictoriæ modum imposuit, quàm Hasdrubal & Mago ex continẽti pulsi, Gades se recipere coacti sint. Vide Liuium lib. 8. Dec. 3. Plutar. in Scip. & in Politicis, Frontinum lib. 1. cap. 3. § 4. Stratagematum.

Cum Syphace.] quẽ in Africa cum Hannibale uicerat, uinctumq; cathenis ad se perductum, spolijs ingentibus, plurimisq; captiuis Romam deducendum Caio Lælio tradiderat. Vide Liuiũ lib. 8. Dec. 3. Frõt. lib. 1. cap. 2. § 1. Syl. Ital. lib. 17. Spesq; Syphax, &c. et Ouid. lib. 6. Fast. Postera lux, &c.

Maurorum rege.] Mauritania Africæ regio, quæ extrema uersus Gaditanum mare, quã freto tantum Herculeo ab Hispania, à Getulis Atlante, Numidis Ampsaga flumine diuisam, Caius princeps in Tingitanã, quæ Sitiphensis à loco antea dicebatur, et Cæsariensem, uti refert Plin. lib. 5. cap. 1. & 2. distinxit. de qua præterea Strabo lib. 17. Pomp. Mela lib. 1. cap. 6. Volaterr. lib. 12. cap. 8. Geographiæ. Syphacem autem non Maurorum, sed

ſed Mauſæſulorum regē uocant Liuius lib. 8. Dec. 3. & Plut. in Scipione. Eſt autem, teſte eodem Liuio, gens affinis Mauris, regionem Hiſpaniæ maxime, quà ſita noua Carthago eſt, ſpectans.

Amicitiā coniunxit.] *Scipio cum ſibi Africam poſt egregia ſua in Hiſpania geſta, animo deſtinaret, commodiſsimum eſſe ſtatuit Syphacem omni arte in Romanorum amicitiam trahere. poſtpoſitis igitur omnib. rebus, duabus quinqueremibus in Africā cōtendit, & regē populi Romani amicū fecit. Qua de re multa Plut. & Liu. Huius amicitiæ quoq; meminit Front. lib. 2. cap. 7. § 4. Stratag.*

Maſiniſſam.] *Acerbiſsimum hactenus Romanorum hoſtem, & qui ad eum uſque diem omni ope & auxilio aduerſus Scipionem Carthaginenſes iuuit: ſed nunc Scipionis uirtute allectus, odium tam capitale in tantum amorem mutauit, ut non tantum Romanis uſui & adiumento fuerit, ſed etiam moriens Senatum Romanum, Scipionemq; liberis ſuis tutores reliquerit. Vide Fulgoſum lib. 4. cap. 2. § 3.*

In ſocietatem recepit. Ex ſententia ſenatus nō tantum patrium ei regnum reſtituens, ſed adiecta quoq; opulentiſsima regni Syphacis parte, præpotentē Aphricæ regem conſtituens, teſte Plutarch. Eſt autem humanitatis & clementiæ, notatu dignum exemplum.

Consul ante annos factus.] *Biennio post præturam consulatum, nec prius gerere licebat, ut testis est Cicero in Rullum. Nec cuiquam apud Romanos petere consulatum licebat, nisi uigesimum quintum annum ætatis exegisset. Scipio tamen, licet per ætatem consul fieri, iuxta legem nequiret, cum ædilitatis candidatus processisset, omnes tamen eum centuriæ Consulem dixêre. Cuius rei mentionem faciunt, Plutarchus in Politicis ad Traianum imperatorem, Valerius Maximus lib. 2. cap. 5. § 5. Sabell. libro 9. Ennead 5. Rapsod. Verùm apud Plutarch. in Scipionis uita legimus, ante legitimum tempus ædilitatem petijsse (non consulatum) etsi tribuni plebis auersarentur, quòd nõdum satis annorum esset, frequentibus suffragijs tamen peruicisse.*

Concedente collega.] *Marco Seruilio, uel ut alij, Seruio.*

In Africam traiecit.] *Cum nauibus longis, 40. onerarijs uerò 400. teste Liuio lib. 9. Dec. 3. uel lib. 29. Syll. Ital. lib. 7.*

Castra una nocte prorupit.] *Propé flumen Gesulam castra posita erant, haud procul ab Vtica, quæ Scipio nocturno tempore incendi iußit. Pœni igitur cum casu quodam castra incensa putarent, inermes ad extinguendas flammas cõcurrunt, ubi oppreßi à Scipionis exercitu 40. millia*

igni

igni ferroq́; absumpta sunt, quinq; aũt millia capta. Lege Liuiũ lib. 10. Dec. 3. Oros. lib. 4. cap. 18. Eutrop. ut suprà. Front. lib. 2. cap. 5. § 29. Syll. Italic. lib. ultimo, Castra leui calamo, &c.

Hannibalem superauit.] Apud Zamam uidelicet, ubi interfecta sunt uiginti millia quingenti. Hannibal uerò cum paucis, hoc est uix quatuor equitibus inter tumultum elapsus, Adrumetum con fugit. Vide Oros. lib. 4. cap. 19. & Plin. suprà cap. 42. Volat. lib. 12. cap. 9. Geogr. & lib. 19. cap. 3. Vrban. com. Front. lib. 1. cap. 8. § 9. Stratag.

Victis Carthaginensibus.] Quibus artib. Carthaginenses uicerint, ostendit Liuius lib. 6. Dec. 3. Oros. ut suprà. Leges aũt, quas eo bello Carthaginẽsibus imposuit, Liu. recitat quoq; lib. 10. Dec. 3.

Bello Antiochi.] Bellum Syriacum, quod aduersus Antiochum susceptum est, intelligit: de quo Liuius lib. 3. & 4. Appianus in Syrico, Florus lib. 2. cap. 8. Oros. lib. 4. cap. 20. Eutrop. lib. 4. ca. 2. Trogus lib. 31. Gell. lib. 5. cap. 5. Front. libro 4. cap. 7. § 29. & alij quoq; citati suprà capite quadragesimo secundo.

Legatus.] Legatum bellicum intellige, quem imperatoris uicarium & locum tenentem uulgò dicunt. de cuius officio & authoritate Alexan. ab Alexand. lib. 6. cap. 3.

Fratri.] Lucio Cornelio Scipioni Asiatico, de

qua

qua legatione leges Liuium *lib.8.Dec.4.*Flor. *lib. 2.cap.8.*Gell.*lib.4.cap.18.Plin. infrà cap.53. Sabell.lib.7.*Ennead. 5. Rhapsod.

Filium.] *Hic ualetudinarius Scipio, ob infirmam & tenuem corporis ualetudinem, est cognominatus: & hinc cum inutilis ad liberos procreandos esset, Scipio Africanus in eius locum* Aemilianum Scipionem, L. Pauli *filium (uel ut alij scribunt) ex filia nepotem in familiam, nomenq; adoptauit. Qua de re multa leges apud* Alexandrum *ab* Alexandro *libro 2.cap. 11. Meminit præterea* Cicero *in* Bruto, *Valer.Max.lib.3.cap.5.§ 2.Volat.lib.19.cap.3. Vrb.com.* Plutarch.*in uita Africani, &* Plin.*infrà cap.58.*

Captum.] *Inter nauigandum ab* Antiocho *captum esse, Plinius infra cap.53.testis est.licet alij authores subdubitent, quorum opiniones in eius capitis declaratione leges.*

Gratis accepit.] *À legatis* Antiochi, *qui Scipionē seniorem corpore infirmum & inualidū, filio recreare singulari humanitate & beneficentia uoluit. Vide hanc historiam apud* Liuium *lib.7.* Dec.4.*Plut.in Scip.Iustinum lib. 13. Plin. lib.35. cap.4. Sabel.lib.7.*Ennead.5.Rhapsod.

À Petilijs & Neuio.] *Ita enim reuera legendum est, licet alij à* Petilio *Actæo legant.* Duplex *enim fuit accusatio, quarum prima facta est à duobus*

bus Petilijs:secūda uerò à Marco,*uel ut alij*,Q*uin to* Neuio *tribuno plebis, ut testatur* Valerius An*tias apud* Liuium *lib.8.*Dec.4.*& Sabel.ut suprà*, Gell.*lib.4.cap.18.*

Repetundarum.] *id est de pecunijs repetundis, quo nomine pecuniæ, & omnia quibus diuitiæ constant, contineri dicimus. Hæc tamen accusatio proprie cadit in eos, qui cum sint magistratus, prouincialibus aut ui, aut dolo eripuissent pecunias, aut uasa preciosa, uestes, frumenta, nauigia, aut huius farinæ alia.* Vide Vallam *libro* Elegantiarum *1.cap. 37.* Petiliorum *autem accusatio fuit, ut Antiochenæ pecuniæ, & prædæ rationem redderet.* Neuij *uerò, quòd à rege Anthiocho accepisset pecuniam, ut conditionibus gratiosis, & mollibus, pax cum eo populi* Romani *nomine fieret.* Q*ua de re leges paulo antè citatos authores.*

Librum rationum.] Hoc *est librum in quo omnis prædæ ratio diligenter conscripta erat, coram omnibus lacerauit, ægrè nimirū passus, quòd cui salus imperij ac reip. ferri accepta deberet, ab eo ratio pecuniæ prædatitiæ posceretur.* Vide Val. Max.*lib.5.cap.3.§ 3.& lib.3.cap.7.§ 1.*

Hac die.] Hoc *est, quassata ab hostibus* Romanorum Repub. *ego solus contra* Hannibalem *populi* Romani *inuictißimū antea hostem, fœliciter pugnaui,*

pugnaui, et salutē patriæ peperi: ideoq; hodie à litibus, iurgijs, et omni accusatione penitus abstinēdum est, imò dijs gratiæ præcipuè agendæ, quorū auxilio hostium uictóres facti sumus, &c.

In Capitolium eamus.] In quo tot ornamenta, & deorum delubra artificiosè extructa fuêre, ut meritò deorum & Iouis domicilium terrestre ab antiquis sit dictum. Ita namque extructum & ornatum fuisse (saluis adhuc Romanis rebus) ferunt, ut quantum diuina terrenis, tantum hoc ædificium omnia totius mundi superarit, quæ uocant mirabilia, ut à dijs potius, cum humana superaret ingenia, ædificatum uideatur. Vide Marlianum libro 2. cap. 10. Blondum libro 1. Romæ instauratæ, 73. Alexandrum ab Alexandro libro 6. cap. 10. Ammianum Marcellinum apud Cælium Rhodig. libro 23. cap. 7.

Dijs supplicemus.] Fuit supplicatio aliquando prærogatiua triumphi. Nā quibus ob res benè gestas supplicationes decretæ sunt, haud multo pòst speciosos triumphos datos comperimus, obseruatumq;, ut quoties supplicationes indicebantur, à iurgijs & litibus temperarent, uinctisq; uincula demerent. Supplicationum autem uarias causas, & cæremonias, lege apud Alexandrum ab Alexandro libro 5. cap. 25.

In uoluntariū exiliū.] Scipio, licet ob memoriā benefi-

beneficiorum absolutus sit, ægrè ferens tamen sibi structas insidias, Linternum (ubi uillam habebat) concessit in spontaneum exilium. Cuius meminit Plinius libro 14. cap. 14. Antoninus Tomo 1. tit. 4. cap. 5. § 16. Varias autem in exilium mittendi rationes, leges apud Alexandrum ab Alexandro libro 3. cap. 20.

Vbi reliquam egit ætatem.] *Obijt autem ætatis suæ quinquagesimo quarto anno, ut apud Plutarchum & Volaterranum legimus.*

Ab uxore.] *scilicet Aemilia, eius L. Pauli filia, qui consul pro patria apud Cannas occubuit.*

Ne corpus suũ Romam referretur.] *De morte Scipionis diuersa tradiderunt authores. Alij nanque Romæ mortuum, elatumq́; scribunt: & ad fidem huius rei, monumentum ad portam Capenã ei factum, & tres statuas super locatas ferunt: quarum duæ P. & L. Scipionum esse dicuntur, tertia uerò Q. Ennij poetæ. quarum quoque meminit Marlian. libro 7. cap. 17. & libro 2. cap. 7. Plinius libro 7. cap. 3. Alij autem, quod probabilius est, Linterni, uel Aminturni, ut Antoninus uocat, in exilio consenuisse, & uita defunctum esse, tradiderunt: ubi sepulchro suo inscribi iußit, Ingrata patria ne ossa quidem mea habes: ut refert Valerius Maximus libro 5. cap. 3. § 3. Orosius libro 4. cap. 20.*

DE

DE LIVIO SALINATORE.

Caput L. 50.

Liuius Salinator primò cõſul de Illyri*ij*s triũphauit. Deinde ex inuidia peculatus reus, ab omnibus tribub. excepta Metia, cõdemnatus. Iterum cũ Claudio Nerone inimico ſuo conſul, ne Reſp. diſcordia malè adminiſtretur, amicitiã cum eo coniunxit, & de Haſdrubale triumphauit. Cenſor cũ eodẽ collega omneis tribus, excepta Metia, ærarias fecit, Stipẽdio priuauit, eo crimine, quod aut prius ſe iniuſtè condemnaſſent, aut poſtea tantos honores non rectè tribuiſſent.

IN CAPVT L.

Liuius Salinator.] *Hunc Liuium, Valer. Maximus nunc Lucium, nunc Sextum, Patauinus aũt Marcũ prænomine uocat: de quo ſcribit etiã Valer. Max. lib. 3. cap. 7. § 4. Lorbard. de Syricho Patauinus cap. 6. Supplementi in Petrarch. Epitomen, Volater. lib. 16. cap. 14. Vrban. com. & qui in proceſſu ſuo loco citantur.*

Salinator.] *Salinarium uectigal exploſis regibus*

regibus sublatum fuerat, quod primus instituerat Ancus Martius Romanorum regum quartus, cuius rei meminit Plin.lib.31. *cap. 7. &* Plinius *quoque noster suprà cap. 5. Quæ uectigalia cum in Censura sua* Liuius *restituisset, & quasi ex Solaria annona nouum uectigal statuisset, Salinator cognominatus est. Qua de re* Liuius *lib. 9.* Dec. 3.Blond.*lib.5.*Rom. *triumph. Alexand.ab Alexand.lib.1.cap.9. Volat.lib.16.Vrban.com.*

Primo Consul.] *Cum L.scilicet* Aemilio *Paulo, anno tertio Olympiadis* 140. *ab Vrbe uerò condita* 535. *quorum consulum meminit* Plinius *quoque lib.29. cap.1.*

Illyrijs.] *Cruentißimum cum Illyrijs bellum gestum est, ideo quod Romanorum legatos interfecissent.* In *utroque autem exercitu octingenta armatorũ millia(ut* Fabius *historicus,qui in ipso bello fuit,testis est) trucidata referuntur.* De *quo bello quoq;* Appianus *copiosè in eo libro qui Illyricus inscribitur.* Flor.*lib.2.cap.5. & lib.20. abbreuiationum,* Oros. *lib. 4. cap. 13.* Eutrop. *lib.3.cap.1.* De *Illyrijs autem inter* Arsiam Titiumq; *flumen habitantibus, uide* Strabon.*lib.7.* Plin.*lib.3.cap. 21. & 26. lib. 7. cap. 2.* Melam *lib.2.cap.3.* Volater.*lib.8.cap.1.*Geograph.*Leonicum lib.1. cap. 92. de Varia historia.*

Ex inuidia.] *Quæ plerunq; fœlicitatis comes*

esse solet. ijs enim maximè inuidēt homines, quos ad uirtutem rectiore tramite prodeuntes intuentur. Quocirca apud Plutarchum Themistocles *quum adhuc adolescens esset, nil splendidum à se fieri dicebat, cum neminem adhuc inuidum sibi sensisset.* Elegantissimā *autem huius ægritudinis descriptionē leges apud* Nasonem *lib. 2 Metam.* Pallor *in ore sedet, macies in corpore toto, &c.*

Peculatus.] Peculatus *est (ut* Laurentius Valla *lib. 6. elegantiarum, cap. 4. definit) furtum ad ipsam rempub. pertinentium, uel ad prouentus principis spectantium cui consentit quoque* Labeo, *et* Paulus *Iurisconsultus lib. digest. 48. ad legem* Iuliam *peculatus: cuius pœna, ut eodem loco* Vlpianus *tradit, aquæ & ignis interdictionem continebat.*

Ab omnibus tribubus.] A` *quatuor & triginta tribubus, teste* Liuio *lib. 7. Dec. 3.* Valerio *Max. lib. 2. cap. 4. § 7 De his autem tribubus et earum nominibus lege* Blondum *lib. 3. de Rom. triumph.* Alex. *ab* Alexand. *lib. 1. cap. 17.*

Excepta Metia.] *quam à* Metio *oppido, uel castro claro & peruetusto (cuius memoria intermortua est)* Festus Pompeius *dici putat.* Notandum *tamen,* Tribus Romanas *in iudicio populi, reum suffragijs suis uel damnasse, uel absoluisse, si omnium uota consensissent: sin uerò minus,*

unius

unius tantum tribus interceßione reliquarum decreta ſublata eſſe. Cuius rei teſtimonia recitat Alexand. ab Alex. lib. 4. cap. 3.

Condemnatus.] *Damnatus multorum ſuffragijs, in uoluntarium quoque exilium cōceßit, in quo longo tempore multa inedia & pauperta te moratus eſt, donec urgente Italiam Hannibale reuocaretur.*

Cum Claudio Nerone conſul.] *Cum Nerone conſul ſalutatus eſt, anno tertio Olymp. 143. ab urbe uerò condita, 547. Quo anno Olympiæ ludicrum fuiſſe Liuius teſtatur, in horum conſulum creatione: atque ad id miſſum L. Manlium: per quod oſtenditur, Dionyſij Halicarnaſſei ſupputationem ueriorem illa, quam ſequutus eſt Liuius.*

Inimico ſuo.] *Letale odium inter Claudium Neronem & Liuium, pete ex Liuij lib. 28. Valerij Maximi lib. 2. cap. 4. § 7. & libro 4. cap. 2. § 3. Liuij igitur exemplo, odium & ſimultatem inter Reipublicæ adminiſtratores planè alienam eſſe debere, docemur: qui cum concordes & unanimes ſunt, ad concordiæ quoque & pacis ſtudium facilè inuitant ſubditos, quos habent.*

Ne reſp. diſcordia malè adminiſt.] *Quemadmodū enim cōcordia paruæ res creſcunt, ita quoq; ut ue-*

ut uerissimè Salustius dixit, discordia maximæ dilabuntur: & tum maximè, si ipsi inter se principes parum consentiant. Vnde Aristides cognomento iustus, qui fœlicissimè semper Rempub. administrarat, è concione quadam (in qua frustra Themistocli obstiterat) discedens, clara uoce testatus est, res Athëniensium incolumes esse non posse, nisi & ipsum & Themistoclem in barathrum conijcerent. Satius esse multò existimans ire in carcerem, quàm ob duorum simultatem minus rectè consuli publicis commodis. Plutarchus in uita Aristidis.

Amicitiam cum eo iunxit.] *Placabilitatis & mansuetudinis elegantissimũ exemplũ est Liuius qui etsi Neronis odio ardẽs in exilium profectus fuerat, tamẽ ingenij sui & iniuriæ obliuitus, cum capitali hoste amicitiam inire non turpe iudicat.*

De Hasdrubale.] *Hannibalis fratre, qui cum in bello Punico secundo decertandi necessitatem euitans, in colle confragoso post uineas aciem direxisset: Liuius & Nero deductis in latera uiribus, uacua fronte ex utraque fronte circumuenerunt eum, atq; ita aggressi superauerũt. Vide Liuium lib. 8. Dec. 3. Florum lib. 2. cap. 6. Orosium lib. 4. cap. 18 Front. lib. 2. cap. 3. § 8. Sabellicum lib. 4. Ennead. 5. Sunt autem in hac clade interfecti sex hostium millia, capti quinq; millia quadrin-*

dringenti, ut scribit Liuius libro 28.

Triumphauit.] *De hoc triumpho Liuius & Sabell. ut suprà, Flauius Blond. lib. 10. Rom. triumph. Val. Max lib. 4. cap. 1. § & lib. 9. cap. 3. § 1. Plin. suprà cap. 48. in fine.*

Censor cum eodem.] *Claudio scilicet Nerone, cuius censuræ meminit Liu. lib. 9. Dec. 3. Sabell. lib. 5. Ennead. 5. Val. Max. lib. 2. cap. 4. § 7.*

Excepta Metia.] *quæ se nec condemnasset, neque condemnatū consulem aut censorem fecisset. Est autem gratitudinis exemplum.*

Aerarias fecit.] *Hoc est tributi nomine omnes tribus, adeoq; omnē populū Romanū æra pendere, et pecuniam multam exponere coegit, præter Metiam, quæ crimine peculatus eum absoluerat. Est autem uindictæ & ultionis exemplum.*

DE T. QVINTIO FLAMINIO.

Cap. LI. 51

T. Quintius Flaminius Q. Flaminij, qui apud Thrasymenū perijt, filius, cōsul Macedōniā sortitus, ducibus Charopis principis pastoribus prouinciā ingressus, regem Philippum prælio fudit, castris exuit. Filium eius Demetrium obsidem accepit, quem pecunia multatum in

regnum restituit. A' Nabide quoque Lacedæmonio filium obsidem accepit. Liberos † etiam Græcos Nemeæ per præconem pronunciauit. Legatus etiam ad Prusiam, ut Hannibalem repeteret, missus,

IN CAPVT LI.

Quæ præsenti capite de Quintio Flaminio delibantur, fusißime scripta apud Liuium *lib.* 2. Dec. 4. *Plutarchum in eius uita, Flor. lib. 2. cap.* 7. *Oros. lib.* 4. *cap.* 20. *Eutrop. lib.* 4. *cap.* 1. *Sabell. lib.* 6. *Ennead.* 5. *Rapsod. Volaterranum lib.* 16. *cap.* 1. *Syl. Ital. lib.* 15. *& alios leges.*

Flaminius.] *Flaminios ideo cognominatos Festus autor est, quod ex earũ domo, ignem uel flammas efferri, nisi rei diuinæ gratia, non licuerit.*

Qui apud Thrasym. perijt.] *Is Consul cũ C. Seruilio, inauspicatò iter ingressus, & in pugna, apud Thrasymenum ab equo cui insederat per caput deuolutus, cum Hannibale pugnans, amisso exercitu, interfectus est. Qua de re Liuius lib.* 22. *ab Vrbe condita, Flor. lib.* 2. *cap.* 6 *Oros. lib.* 4. *cap.* 15. *Eutrop. lib.* 3. *cap.* 2. *Syl. Ital. lib.* 5. *per totum, Cicero lib.* 1. *de Diuinatione, Valer. Max. lib.* 1. *cap.* 6 § 6. *Plin. suprà cap.* 42. *Superatus autem ab Hannibale Flaminius,* 19. *Cal. Iulias,*

teste

teste Ouid.lib.6. Fastor. Non ego te, &c. Sabell. lib.9. Ennead.4. Rapsod.& lib.1. Ennead.5.

Consul.] Cum Sexto Aelio Peto consul factus est, anno 4. Olympiad.145. ab Vrbe uerò condita 556. quorum meminit Plinius lib.19. cap 8. Creatus autem in consulem nondum triginta annos natus, Fuluio & Manlio contradicentibus, qui iniquum putabant, uirum iuuenem ad usurpandam summam dignitatem præter legem irrumpere: qua cautum erat, ut nulli nisi exacto 43. ætatis anno, consulatum gererent. de qua Alexand. ab Alexand. lib.3. cap.3. circa finem.

Macedoniam.] Græciæ regionem, quæ militiæ robore, & regum antiquorũ claritate, uetustæq; fama gentis, & magnitudine imperij, clarissima fuit, quã à septentrione à Dalmatia Mœsiaq; montana seiungunt: ab occasu Adriatico siue Ionio, ab ortu Aegeo abluitur, meridianã oram Epiroticæ gentes & ipsa Græcia excipiunt. De qua Strabo lib.7. Plin. lib.4. cap.11. & cap.10. lib.3. cap.23. Solin. cap.14. Pomp. Mela lib.2. cap.3. Iustinus lib.7. Florus lib.2. cap.12.

Charopis principis.] Fuit autẽ Charopus Machata uir inter Epirotas primarius, et à Romanis plurima beneuolẽtia affectus, & clàm eis ob Philippi metũ quãplurimũ fauens, teste Plutarcho.

Pastoribus ducibus.] Qui per neglectos quos-

dam ab hostibus anfractus, Titum *quendam ex tribunis militum cum peditum quatuor milibus & equitibus trecentis, ducturos se pollicebãtur. qua de re copiosé* Plutarchum *in* Flaminio *leges.*

Philippum.] Macedoniæ *regem, de quo copiosé* Diodorus Siculus, Orosius *lib. 5. cap. 12.* Iustinus *lib. 29.* Eutropius *lib. 4. cap. 1.* Valerius Maximus *lib. 1. cap. 8. § 19.* Frontinus *lib. 1. cap. 4. § 8.* Fulgos *lib. 5. cap. 1. § 8. & 2. § 10. lib. 6. cap. 6. § 3. lib. 7. cap. 2. § 3. & § 4.* Sabellicus *lib. 6.* Ennead. *5.* Rhap. *& lib. 3. cap. 2. § 5. lib. 10. cap. 13. § 2.* Ethnic. *exemplor.* Erasmus *lib. 6. 4. & 8.* Apophthegmatum, *& qui á capitis principio præterea citati sunt.*

Prælio fudit.] *cæsis octo, secundum* Polybium, *hostium millibus, captis quinq; millibus. Gestum est autem hoc bellum, sicuti* Eutropius *annotauit, anno ab* Vrbe *condita 551. á quo dissentiens* Glareanus *noster, 554. ab* Vrbe *condita, & secundum 145* Olympiadis *annum numerat.* Huius *autem belli meminit quoque* Valerius Maximus *lib. 5. cap. 2. § 7.*

Castris exuit.] Apud Scotussam *scilicet, teste* Plutarcho *in uita* Flaminij, *&* Pauli Aemilij, *&* Strabone *lib. 9.* Est *autẽ* Scotussa *urbs* Thessaliæ Pelasgicæ, *de qua* Strabo *lib. 7. in fine,* Plin. *lib. 4. cap. 11. & lib. 31. cap. 2.* Volaterranus *lib. 8. cap. 7.* Geographiæ.

Filium

Filium eius Demetrium.] *Flaminius alterum ex liberis* Philippi *regis* Demetriũ *nomine, obsidem susceptum* Romam *misit, quo quidem facto ipsum commodißimè usum tempore, & impendentibus occurrisse periculis liquet.* Vide Volaterranum *lib.38.cap.8.*

Pecunia.] *mille scilicet talentis per annos decem soluendis* Romanis*, qua de re* Orosius *&* Eutropius *ut suprà.*

A' Nabide.] Quem Plutarchus Onabum uocat. *Fuit autem longè perniciosißimus* Lacedæmoniorum *tyrannus, cuius quoq; meminit* Plut. in Philopæm. Iustinus *lib.31.* Florus *lib.2.cap.7.* Sabell. *lib.6.* Ennead. *5.* Liuius *lib.34.*

Filium.] Armenem, Oros. *&* Eutrop. *uocant.*

Liberos pronunciauit.] Flaminius *tubæ signo silentio facto, per præconem hæc uerba recitari iußit.* Senatus P.Q.R. *&* Q. Flaminius *Imperator, omnes* Græciæ *urbes, quæ sub ditione* Philippi *regis fuerunt, liberas atq; immunes esse iubet.* Qua *de re copiosißimè leges apud* Liuium *lib.3.* Dec. *4.* Plutarchum *in* Flaminium, Valerium Maximum *lib. 4.cap.8.§6.*

Græcos.] *Corinthios scilicet,* Locros, Phocenses, Euboicos, Achæos, Phthiotas, Magnesios, Thessalos, Perrœbos: *hos enim* Plutarchus *tantum enumerat.*

Nemeæ] *Liuius quoque dum* Nemea, *Plutarchus autem dum* Isthmia *agerentur, & frequens hominum conuentus ad ludorum spectaculū consedißet, hoc factum esse arbitrantur. Sunt autem ludi* Nemei *à* Nemea *sylua in Archemori honorem instituti: tametsi à* Molorcho, *qui* Herculem *suscepit hospitio, cuius filius à leone interemptus fuerat, eo enecato primum institutos dicāt, in quibus maiorum imagines, sicut in funebri pompa, longo ordine repræsentare, atque equorum cursu, simul disco, cestu, & palæstra dimicare, uictoresq; apio coronare solebant. Isthmij autem ludi ab* Isthmo Achaiæ *iuxta* Corinthum, & Megarensium *sinu, delubro* Neptuni, *inter* Ionium & Aegeum, *à conuentu totius* Achaiæ *profusis sumptibus fiebant, qui in honorem* Melicertæ, *seu* Palæmonis, *aut* Portunni *marini dei manſere.* De *his lege* Alexand. *ab* Alexand. *lib.5.cap.8.* Blondum *lib.2.* Cœl. Rhod. *lib.13.cap.17. Horum meminit obiter* Lactantius *lib.6.cap.20. diuin.inst.* Leonicus *lib.1.cap.68.*

Pronunciauit.] *Et hinc quoq;* Græciæ *saluator & defensor dictus est, teste* Plut. Valer. *autem* Max. *lib.7.cap.2.§17. mercatorē potius quàm uictorem* Græciæ, Flaminiū *dici putauit.*

Legatus ad Prusiam.] *Bithyniæ regem: de qua legatione lege* Plutarchum *in uita* Flaminij & Hanni-

et Hannibalis: et ea quoq; quæ prope finem quadragesimi secundi capitis suprà dicta sunt.

DE M. FVLVIO NOBILIORE.

Cap. LII.

MArcus Fuluius Nobilior, consul Aetolos, Ambraciatasq; superauit. unde ouans urbem introijt. Consul Achæos, qui bello Macedonico interfuerant, pòst ad Antiochũ defecerãt, prelijs frequentib. uictos, & in Ambraciam oppidũ coactos, in deditionem accepit: tum signis tabulisq; pictis spoliauit, de quibus triumphauit: quam uictoriam per se magnificam † Marcus Ennius amicus eius insigni laude celebrauit. *al. Quint.*

IN CAPVT LII.

Marcus.] *Alij Quintum omnes legunt. Sed ex Liuij lib. 7. Dec. 4. Ciceronis orat. prò Murena, Sabel. lib. 7. Ennead. 5. Volat. li. 16. cap. 1. Geog. Marcum prænomine adpellatum esse legimus. Florus autem lib. 2. cap. 9. et Frontinus lib. 1. ca. 6. § 1. ne in errorem inciderent, omisso prænomine, Fuluiũ tantum Nobiliorem uocitant. cuius filiũ fuisse Quintũ Fuluium satis constat: utriusq; autem*

autem uitam breuiter descriptam apud Volaterranum loco citato leges.

Consul.] *Cum Gneo Manlio Volsone, anno primo Olymp.248. ab Vrbe uerò condita 565.*

Aetolos.] *Græciæ inter Acarnaniam & Phocidem populos, ab* Aetolo Endymionis, *uel ut alij uolunt,* Martis *filio dictos, de quibus Strabo lib. 9. & 10. Plinius lib.4.cap.2. Pomp. Mela lib.2. cap.3. Volat.lib.8.cap.9.Geographiæ.*

Ambracianosq;.] *Alij legunt* Orethanosq;, *sed male.* Ita *enim apud Florum legimus: Victo* Aretiacho, Romani *faces* Asiatici *belli perseque bantur.* Ergo Fuluio Nobiliori *mandata est ultio, qui protinus caput gentis* Ambraciā, *regiam* Pyrrhi *machinis quatit, &c.* A *dde ea quæ sunt apud* Liuium *lib.8.*Dec.4. *ubi* Ambracienses *uocat: quos, quomodo uicerit, ostēdit lib.9.*Dec.4. *à principio. Vocat autem* Ambraciam *hanc* Epiri *urbem* Pyrrhi *regiam,* Augustus Nicopolim, *à uictoria.* Ptolomæus *tamen facit duas ciuitates* Ambraciam & Nicopolim, Ambraciamq; *ponit intra sinum* Ambracium, & Nicopolim *extra sinum in* Epiro. *Vide Strabonem lib. 9.* Plin. *lib. 4 cap.1.lib.2.cap.87.* Mel. *lib.2.cap.3.* Hanc Lartem *nunc dici,* Oliuarius *ait.*

Superauit.] *De hac uictoria* Liuius *lib. 83. ab* Vrbe *condita, & lib.7.*Decad.4. *item lib. 9.*

Dec,

Dec. 4. Iustin. lib. 32. Florus ut suprà, Appianus in Syrico, Eutropius lib. 4. cap. 1.

Ouans.] In hac ouatione argenti bigati præ se tulisse 130. millia, & extra numeratū 20. millia pondo argenti, auri uerò pondo 127. legimus apud Liuium lib. 6. Decad. 4. De ouationis autem cæremonijs, lege Blond. à principio lib 10. Romæ triumph. Alexand. ab Alexand. lib. 6. cap. 17. & ea quæ suprà cap. 33. & 45. diximus.

Achæos.] Ponti accolas, de quibus Strabo copiosissimè lib. 8. Plin. lib. 4. cap. 7. lib. 6. cap. 5 & cap. 11. Solin. cap. 21. Polyhist. Pomp. Mela lib. 1. cap. 21. & infrà cap. 61.

Bello Macedonico.] Scilicet primo, de quo Liu. lib. 31. 32. 33. & 34. Flor. lib. 2. cap. 7. Iustin. lib. 29. & 30. Oros. lib. 4. cap 20. Eutrop. lib. 4. cap. 1. Syll. Ital. lib. 15. Aemathio interea, &c.

Antiochum.] Syriæ regem. de quo copiosè dicetur infrà capite 54.

Signis.] Quæ apud exteros, quæq; apud Romanos signa fuerint militaria, quo'ue pacto educi consueuerint, copiosè leges apud Alexandrum ab Alexand. lib. 4. cap. 2. Blondum lib. 6. Romæ triumph.

Tabulisq;.] Id est statuis & picturis, quibus urbem Romam ornauit pro more. Romani quippe expugnatis oppidis, quicquid ornamentorum inuenissent,

uenissent, triumphantes, maximo apparatu ſtrebant, atq; urbem nouis ſtatuis, picturis & tabulis ab hoſtibus translatis magnificè ornabăt, qua de re copioſè Alexand. ab Alex. lib. 6. cap. 6. De tabulis autem à Fuluio Romă translatis, Liuius copioſè lib. 9. Dec. 4. meminit, Plin. lib. 35. cap. 7.

Triumphauit.] Triumphauit de Aetolis Fuluius ad 10. Calend. Ian. in quo aureæ coronæ centum 12. pondo ante currum latæ ſunt, argenti pondo millia 83. auri pondo 243. tetradrachma Attica 118. millia, Philippei nummi 12. millia, 422. ſigna ænea, 285. ſigna marmorea, 230 armorum, &c. Cuius triumphi deſcriptionem elegantiſsimam petes ex Liuij lib. 9. Dec. 4. Blondum lib. 10. Romæ triumphantis.

Quintus Ennius.] Alij Marcum pro Quinto legunt, cuius uitam elegantiſsimè deſcripſit Petrus Crinitus lib. de poetis Latinis 1. cap. 2. ubi omnes eius lucubrationes enumerat.

Amicus eius.] Comes enim in hac expeditione fuit Fuluio, cuius rei teſtis eſt in oratione pro Archia poeta Cicero, ubi ait: Fuluius, qui cum Aetolis (Ennio comite) bellauit, non dubitauit Martis manubias muſis conſecrare. Vnde quoque idem Cicero in Tuſculanis quæſtionibus, Fuluium à Catone maximè uituperatum eſſe ait, quòd poetas ſecum in prouinciam duxiſſet.

DE L. SCIPIONE ASIATICO. *Cap.* LIII.

SCipio Asiaticus, frater Africani, infirmo corpore, tamen in Africa uirtutis nomine à fratre laudatus, Consul Antiochum regem Syriæ, legato fratre apud Sipylum montem, cum arcus hostium pluuia hebetati fuissent, uicit, & regni relicti à patre parte priuauit: hinc Asiaticus dictus. Pòst reus pecuniæ interceptæ, ne in carcerē duceret, Gracchus tribunus pleb. intercessit. M. Cato censor equū ei ignominiæ causa ademit.

IN CAPVT LIII.

Fater Africani.] *P. Cornelij Scipionis, cuius uitam copiosè describit Plutarchus, Gell. lib. 4. cap. 18. Lorbard. de Syricho cap. 7. supplementi in Petrarcham, & Plinius noster suprà cap. 49.*

Infirmo corpore.] *de Scipionis post deuictum Antiochum ægritudine, lege Liu. lib. 8. Dec. 4.*

Consul.] *Cum Caio scilicet Lælio Africano, ut est apud Eut. lib. 4. cap. 2. anno 4. Olymp. 147. ab V. uerò cond. 564. quorū consulum meminit quoq; Gellius lib. 16. cap. 4. in noctibus Atticis.*

Antio-

Antiochum.] *Antiochi Syriæ regis gesta leges apud* Liu.*lib.6. &* 7. Dec. 4. Oros. *lib.* 4. *cap.* 20.Eutrop.*lib.*4.*cap.*2.*&* Plin.*cap.proximo.*

Legato fratre.] P. *Scipione Africano, qui sua sponte legationem suam fratri & populo* Ro*mano obtulit. Cuius rei meminit* Liuius *libro* 8. *Decad.*4.*Florus lib.*2.*cap.* 8. *Eutropius lib.* 4. *cap.*2.*Plutarchus in uita Scipionis Africani, Iustinus lib.*31.*Gellius lib.* 4.*cap.*18. *Sabell. libro* 7.*Ennead.*5.*Plinius suprà cap.*49.

Sipylum.] *Asiæ montem, non procul ab amne Mæandro, de quo Strabo lib.*1.*& lib* 12.*in fine. meminit quoque Plinius capite sequenti. Eutropius autem ait, Antiochum circa Sipulum (ita enim montem uocat) &* Magnesiam *Asiæ ciuitatem à Scipione prostratum esse, occisis quinquaginta peditum, et tribus equitum millibus. de qua clade* Liuius *lib.*3.*&* 4.*& sequentibus,* Plut *in uita Scipion.* Oros.*&* Eutrop.*ut suprà,* Flor.*lib.* 2.*cap.*8.*meminit* Euseb.*in Chronicis.*

Arcus pluuia hebetati.) L. *Scipio cum die ac nocte* Antiochi *exercitum imbre continuo uexatum, & arcus quoq; madentibus neruis inhabiles factos esse intellexisset, prælium astutè iniit, & triumphauit.* Lege Front.*lib.*4.*cap.* 7.§ 29.

Regni relicti.) scilicet Asiæ.

A patre.) Seleuco uidelicet, cognomēto Calli*nico,*

nico, qui olim Syriæ regno præfuit, & nouercam Berenicē cū paruo filio in oppidū Daphnes fugauit: de quo Iustin. lib. 15. Volat. lib. 11. cap. 1. Geograp. qui omnes ferè Syriæ reges ordine numerat.

Asiaticus.] Quemadmodum enim P. Cor. Scipio, qui dux fatalis contra Hannibalem fuit, Africa superata, & Carthaginēsibus bello uictis, Africani nomē: ita etiam L. Scipio, deuicto Antiocho, & subacta Asia, Asiatici adeptus est. Vide Plutarchum in Scipione Africano, Val. Max. lib. 3. cap. 5. § 2. & Alexand. ab Alex. libro 2. capite 11.

Pecuniæ interceptæ.] peculatus crimine accusatus est, quemadmodum & eius frater, ut dictum est suprà, cap. 49. Liuius igitur lib. 8. Dec. 4. ait, populum Romanum quæstores ad bona eius publicè possidenda misisse, sed non modò in ijs nullum pecuniæ regiæ uestigium adparuisse, sed nequaquam tantum in ærarium redactum, quantæ summæ esset damnatus.

Gracchus.] qui hucusq; Corneliorū genti inimicissimus, & capitalis hostis fuit, teste Plutarcho in Gracchorum & Scipionis uita.

Intercessit.] Titus Sempronius Gracchus contra omnium opinionem L. Scipionem accusatum defendit, & ne in carcerem duceretur, inhibuit, habita oratione luculentissima. Cuius rei beneficio tanta inter eos amicitia conciliata & affini-

tas fuit, ut omnes mirarentur. Siquidem solenni die, cùm Ioui epulum in Capitolio libaretur, Corneliam filiam Gracchho desponsatam dedit: qua de re Liuius lib. 9. Dec. 4. Plutarchus in uita Africani in fine, Gellius lib. 12. cap. 8. Valerius Maxim. libro 4. cap. 2. § 4. Alexander ab Alexan. libro 1. cap. 18.

Tribunus plebis.] Tribuni enim plebis antiquitus creati sunt non iuri dicundo, nec causis que relisq; de absentibus noscendis, sed intercessionibus faciendis, quibus præsentes fuissent, ut iniuria quæ coràm fieret, arceretur: quoniam ut uim fieri uetarēt, assiduitate eorum, & præsentium oculis opus erat. Qua de re scribit M. Varro lib. 21. Gellius libro 13. cap. 12. Alexander ab Alexand. libro 1. cap. 3.

M. Cato Censor.] De huius censura Plutarchus in Censorio: cuius quoque meminimus satis alibi suprà.

Equum ignominiæ causa ademit.] Nimis pingui homini & corpulento Censores adimebant equos: nequaquam enim idoneos ob corporis molem putabant, ut equitis munere porrò fungerentur. Neq; fuit ignominiæ pœna, ut quidam existimant, cum munus absq; omni ignominia remittebatur. Sed Catonem Scipioni Asiatico equum cum ignominia hic ademisse legimus, qui etiam in oratione,

tione, quam de sacrificio commisso scripsit, obijcit hanc rem criminosius. Qua de re copiosius Gellius lib. 7. cap. 22. Verùm nequaquam dubium est, Catonem ex inuidia & simultate Scipioni equum ademisse, cum odio quoq; Scipionem Africanum prosequutus sit: de quo Plutarchus & Volaterranus lib. 14. cap. 2. Vrban. comment. Alexand. ab Alex. lib. 1. cap. 17.

DE ANTIOCHO SYRIAE REGE,

Cap. LIIII.

ANtiochus Syriæ rex, nimia opum fiducia bellũ Romanis intulit, specie Lysimachiæ repetendæ, quam à maioribus suis in Thracia conditã, Romani posside bant: statimq; Græciam, insulasq; eius occupauit. In Euboea luxuria elãguit. Aduentu Attilij Glabrionis exercitus Thermopylas occupauit. Vnde industria Marci Catonis eiectus, in Asiam refugit. Nauali prælio, cui Hannibalem præfecerat, à L. Aemilio Regillo superatus, filium Scipionis Africani, quẽ inter nauigãdum

ceperat, patri remisit: qui ei, quasi pro reddenda gratia suasit, ut amicitiam Romanã peteret. Antiochus spreto consilio, apud Sipylum montem cum L. Scipione conflixit. Victus, & ultra Taurum montem relegatus, à sodalibus, quos temulẽtus in conuiuio pulsauerat, occisus est.

IN CAPVT LIIII.

Antiochus Syriæ rex.] *Legimus plures Antiochos post Alexandrum & Seleucum, fuisse Syriæ reges: ex quibus primus fuit Antiochus cognomento Soter, secundus Antiochus cognomento Deus, postmodum Antiochus Magnus, Antiochus Obses, Antiochus Epiphanes, siue Illustris, Antiochus Eupator, Antiochus Eusebius, &c. Verùm Plinius noster præsenti capite, eius tantum Antiochi, qui ex rerum gestarum argumento Magnus cognominatus est, gesta describit. Horum autem omnium res gestas compendiose complexus est Volaterranus libro 11. capite 1. in descriptione Syriæ.*

Syriæ rex.] *Syria Asiæ regio à Syro Apollinis & Sinopes filio dicta, Septentrionẽ uersus Cilicia & Amano terminatur, à mari ad Euphratis pontem stadia intersunt ab Issico sinu usq; ad pontem,*

qui est

qui est iuxta Commagenam, non pauciora quadringentis: orientem uersus terminatur Euphrate, & Arabibus Scenitis, qui cis Euphratem sunt: Austrum uersus fœlici Arabia & Aegypto: occidentem uersus Aegyptio pelago, Issicum usq;. Vide Ptolomæi tabulam Asiæ quartam & quintam, Strabonem libro 16. Plinium libro 5. cap. 12. & 21. Solinum cap. 58. Pomponium Melam libro 1. cap. 11. Volaterranum ut suprà. Vocatur autem hodie (Oliuario teste) Suria.

Nimia opum fiducia.] *Impulit regem ad hoc bellum in primis Thoas Aetholiæ princeps, inhonoratam apud Romanos quærens aduersus Macedones militiæ suæ societatem: & Hannibal deinde, qui in Africa uictus, profugus hostem populo Romano toto orbe quærebat: qua de re suprà capite 42. dictum est. Fretus igitur rex partim socijs, partim uiribus suis, bellum Romanis intulit, quod copiose describit Appian. in Syrico, Liuius libro 3. & 4. & sequẽtibus, Orosius libro 4. cap. 20. Eutropius libro 4. cap. 1. Plutarchus in uita Scipionis, Gellius lib. 5. cap. 5. Frontinus lib. 4. cap. 7. Sabell. lib. 9. Enn. 4. Florus lib. 2. cap. 8.*

Lysimachiæ urbis.] *quæ in littore Thracio ædificata erat: de qua Strabo lib. 16. Plin. lib. 4. cap. 11. Pomp. Mela lib. 2. cap. 2. Liuius lib. 3. Dec. 4. Sabellicus libro 8. Ennead. 4.*

Repetendæ.] quaſi hæreditario iure à maioribus ſuis acceptam.

A maioribus conditã.] Conſtat Lyſimachiam à Lyſimacho conditam eſſe, ex Iuſtini lib. 17. qui tamen grauißimo terræmotu urbẽ corruiſſe ſcribit. Fuit autem is Lyſimachus Agathoclis filius, è ſucceſſorib. Alexãdri Magni, qui Pergamo præfuit, ubi regis theſauri fuerunt. de quo multa lectu iucundißima leges apud Iuſtinum lib. 15. Volateran lib. 16. cap. ultimo Vrban. comment. & Ioachimum Vadianum in lib. Pomponij Melæ 2. cap. 2. ubi multa de huius urbis conditore leges.

Græciã occupauit.] Antiochi profectionem in Græciam, eiusq; copias, inſulas præterea ſubactas copioſe deſcribit Liuius lib. 5. Dec. 4. & lib. 6. Dec. 4. Sabell. lib. 7. Ennead. 5. Plutarch. in uita Hannibalis & Flaminij.

Inſulasq;.] Liuius enumerat Imbrum & Scyathum: tu adde præterea Thaſſos, Imbros, Samothraces, Scandille, &c. De quibus uide decimã & ultimam Europæ tabulam in Ptolemæo Sebaſtiani Munſteri, & Melam lib. 3. cap. 7.

Eubœa.] Atticæ inſula propinqua, quæ primum ab occidẽte longo Euripo, quod Põto cõiungitur, à Bœotia diducitur: à meridie Myrtoum, quod ab inſula eiuſdem nominis cognominatur, ſimul & Atticã ex uicino promõtorio Geraſto: ex altero

altero uerò promontorio Caphareo Hellespontum prospicit, lata ut maxima 40. longa 150. in circuitu 365. paſ. mil. Hodie autem *Nigripōti insula est, quam Turca cepit anno à natiuitate Christi 147. ut alia propè Græciæ omnia.* De hac insula Strabo à principio lib. 10. Plin. lib. 4. cap. 12. Solin. cap. 19. Pomp. Mel. lib. 2. cap. 7. Volaterr. lib. 9. cap. 5. Geograph.

Luxuria.] *Magna enim ex parte aureos clauos crepidis subiectos habuit, argenteaq; uasa ad usum culinæ comparauit, & tabernacula textilibus sigillis adornata statuit, qui tibijs fidibusq; canerēt instituit. rosas per hyemē sparsit in terram, ut luxuriæ non minor apparatus quàm militiæ esset: quippe 8. millia lixarū, ex quibus coquorum, pistorum, scenicorumq; maior numerus erat. Habuit auri præterea & argenti tantum, ut etiam gregarij milites caligas auro figerent, proculcarentq; materiam.* De qua luxuria Liuius lib. 34. Appian. in Syrico: *qui scribūt Antiochum amore uirginis correptum, in tanta bellorum mole, summa licētia nuptias etiam celebrasse.* Sed copiosius luxum describit Iustin. lib. 38. Valer. Max. lib. 9. cap. 1. § 13. Flor. lib. 2. cap. 8. Alexand. ab Alexan. lib. 2. cap. 29. in fine.

Elanguit.] *Luxuriæ & uoluptatis fructus & effectus exprimitur tam apertè, ut uerissimè*

Platonem dixisse intelligas, qui uoluptatem omnium malorum escam adpellauit, quòd ea uidelicet homines non aliter capiantur, quàm hamo pisces: quod Hannibalis *quoq;, ac* Volscinarũ *exemplo comprobatũ est suprà* 42.*&* 36.*capitibus.*

Attilij *Glabrionis.*]*qui cũ* P.Cornelio *Scipione tum temporis consul erat, anno uidelicet* 4.*Olympiadis* 147.*ab* Vrbe *uerò cõdita* 563. *Verùm notandum est, hunc Attilium alijs atq; alijs nominibus à cæteris historiographis adpellari: Liuius quippe* Attinium Manniũ:*Plutarchus in* Q. Flaminio, *&* Apianus *Altinium Mannium:* Orosius, Eutropius, *&* Frontinus *libro* 2. *capite* 4. § 4. *Marcum Accilium uocant.*

Thermopylas.]*montem in longitudinem extensum, qui incipiens à* Leucade, *in occidentem et* Aegeum *mare haud longè à* Demetriade *protendens, fauces habet angustißimas. In hunc autem montem* Antiochus *coactis ex proprijs peditibus decem millibus, equitibus quingentis, additis insuper quibusdam sociorum copijs, exercitum duxerat, teste* Appiano, *qui Thermopylarum iugum graphicè depingit: de quo copiose etiam* Herodotus *libro* 7.*Strabo libro* 9.*&* alij.

Occupauit.]*auxilio* Porcij *Catonis, qui tum tribunus militum à populo factus, deiectis iugis* Callidromi *montis,* Aetolis *qui præsidiò tenebantur,* supere-

supereminentem castris regijs collem, à tergo subitus apparuit. Lege Liuiū libro 6. Dec. 4. Front. libro 2. cap. 4. § 4.

In *Asiam refugit.*] *Admodum paucis comitatus militibus. De eius autem fuga Liuius libro 5. 6. & 7. Dec. 4. Plutarchus in uita Q. Flaminij, Orosius & Eutrop. ut suprà.*

Nauali prælio.] *Orosius & Eutropius scriptum reliquerunt, sequenti anno post Antiochi fugam, Scipionē Africanū (qui in auxilio Eumenem Attali filiū habuit) aduersus Hannibalem, qui tūc Antiochi classi præerat, bellum nauale gessisse, & Hannibale in fugam acto, omniq; exercitu amisso, Antiochum pacem cum Rom. petijsse.*

L. Aemilio Regillo.] *Qui cum octoginta, ut Iustinus lib. 31. ait, rostratis nauibus aduersus Hannibalem à Romanis missus erat. Hunc autem Aemilium, Appianus Liuium, Iustinus nunc Lucium Neuium, nunc Menenium appellat. Liuius autem, & Florus, alijq; plerique Plinio astipulantes, Aemilium quoq; Regillum uocant.*

Filium.] *Scipionem scilicet, cognomento Valetudinarium: qui si corpore ualuisset (ut Cicero in Bruto ait) in primis habitus esset disertus, ut partim eius oratiunculæ, partim etiam historia quædam Græca de Caßina testantur. Plutarchus in uita Africani nihil sanè de eo se compertum ha-*

bere dicit, nisi eum præturam gessisse, & in ea consequenda à Circeio patris scriba adiutum fuisse. Huius autem Scipionis meminere præterea Valer.Max.lib.3.cap.5.§ 2. & Alexander ab Alex. lib. 2. cap.11. Plin. suprà.49.

Quem inter nauigandum ceperat.] Orosius & Eutropius, utrum Scipionis filius exploratus, hostiumq; insidijs, uel in prælio captus sit, incertum esse scribunt. Alij enim principio belli à Chalcide Oretum petentem, circumuentum à regijs nauibus & captum, tradidêre: quibus hoc loco Plinius quoq; astipulatur. Alij uerò, postea quam transitum in Asiam est, cum turma Fregellana missum exploratum ad regia castra, effuso obuiam equitatu, cum reciperet sese, ex eo tumultu delapso equo, cum duobus equitibus oppressum, & ita ad regem deductum esse scripserunt. Vide Liuium libro 7. Dec. 4. Plutarch. in Africano, Plin. lib. 35. ca. 4. Iustin. lib. 31. Sabell. lib. 7. Ennead. 5. Valer. Maxim. lib. 2. cap. 5. § 2. & lib. 3. cap. 5. 2 Volater. lib. 19. cap. 3. Vrban. com.

Patri remisit.] Gratis, & sine ulla redemptio ptione misit Scipioni Africano filium multis regijs muneribus donatum, ut patris ægritudinem filij amißi præsentia & aspectu molliret. Insignè moderationis animi exemplum est Antiochus, qui ei captum remisit filium, à quo tum maximè

finibus

finibus imperij pellebatur, & lacessitus maiestatē Scipionis Africani excellentissimi uiri uenerari, quàm dolorem suum ulcisci maluit. Cuius rei quoque gloriose meminit Plinius suprà cap. 49.

Pro reddenda gratia.] Sapiens enim (ut ad Lucilium Seneca scribit) omnia secum examinabit, quantum acceperit, à quo, quando, ubi, quemadmodum, &c. Cuius rei speculum nitidissimum est hoc loco Africanus, qui pro singulari sua (qua præditus fuit) sapiētia cum intelligeret, quàm magnum beneficium esset accipere filium captum, ab hoste crudelissimo, qui pro suo iure sæuire potuisset in uictum, ut in summa corporis debilitate aspectu filij recrearetur, Romam missum sine omni redemptione, & regijs præterea ornatum muneribus, non facile aliquid præclarius, uel excellentius Antiocho pro reddenda gratia dare potuit, quàm quod dedit, cum suaderet ut cum Romanis rerum omnium dominis amicitiam contraheret, quos aliàs perpetuos inimicos & hostes habiturus esset.

Spreto consilio.] De pace Antiochi certis conditionibus & legibus frustra tentata, item de spreto regis consilio, copiosè Liuius lib. 7. Dec. 4.

Apud Sipylum.] Asiæ montem, cuius mentionem fecimus suprà capite 53. Verùm alij datis conditionibus, & non acceptis apud Syrophilum,

(ita

(ita enim montem uocant) comisso prælio superatum scribunt: quos sequutus est quoque Volaterranus lib.11.cap.1.Geographiæ.

Victus & relegatus.] Iuxta easdem pacis conditiones, quas prius spreto Africani consilio renuit, pax data est post uictoriam, ut uidelicet ex Europa & Asia recederet, decem millia talentorum, & uiginti obsides daret, Hannibalem concitatorem belli mitteret, & sic ultra Taurum sese conferret: ut est apud Liuium, Orosium, Eutrop. & alios. Quamobrem et Romanis gratias egit, quod nimis magna procuratione liberatus, modicis regni terminis populi Romani liberalitate & beneficentia uti posset. Vide Valerium Maximum lib. 4.cap.1.§ 27.Sabell.lib.9.cap.11.§ 6.

Taurum montẽ.] Qui progredienti ab Hyrcano mari, ad auroram est ad dextram, & usque ad Indicum mare protenditur: de cuius magnitudine leges Strabonem libro 11. Melam lib.1.in descriptione Lyciæ, Volaterranũ lib.10.cap.1.Geograph. Nemo tamen de Tauro copiosius, eleganti usq;, quàm Plinius scripsit lib.5.cap.27.& Solin. eius simia, in Ciliciæ descriptione. nã & hic autor lectu dignißimus est, non tam quod rerum illustrium breue traxit è Plinio compendiũ, quàm quod emunctæ phrasis, & appositæ in hoc scribendi genere dictionis author est, quanquam res pleræq;

omnes

omnes, quas tractat, Plinij laboribus debentur.

Quos temulentus pulsauerat.] *Præsenti docemur exemplo, ebrietatem non absque ratione à celeberrimis authoribus uoluntariam insaniam dictam esse: sed ita etiamnum, ut si in plures paulò extendatur dies habitus is, etiam manifestarius euadat furor. & hinc Ambrosius, abundatiore uini usu homines, uelut immutata naturæ ui, equos fieri hinnientes, & pedibus omnia conculcantes, ait. Verùm de uini natura, & ebrietatis comitibus, lege ea quæ doctißimè congeßit Cælius Rhodiginus libro 28. cap. 28. & 30. 31. & sequentibus aliquot capitibus.*

Occisus est.] *Relictis Seleuco, Philometore, & Antiocho filio, qui obses à patre Romanis datus est: testante Volaterrano libro 11. cap. 1. Geog. Notabis autem ebrietatem, uoluptatis comitem, condigno premio remuneratam esse. Nullus enim hostis (ut Seneca ait) tam cõtumeliosus est in quenquam, quàm in quosdam uoluptates suæ: quæ cum hominem arripuerint, penitus submergunt, & subuertunt.*

DE CNEO MANLIO VOLSONE.

Caput LV.

CNeus Manlius Volso missus ad ordinandã Scipionis Asiatici

tici prouinciam, cupiditate triumphi, bellum Pisidis, & Gallogræcis, qui Antiocho affuerant, intulit. His facile uictis, inter captiuos uxor regis † Ortiagontis centurioni cuidã in custodiã data, à quo ui stuprata, de iniuria tacuit. Et pòst, impetrata redemptione, marito adulterum centurionem interficiendum tradidit.

al. Orgiagontis

IN CAPVT LV.

Cupidine triumphi.] *An cupidus fuerit triumphi Manlius, an Gallogræcos inuisos simulauerit, dubium esse ait* Florus *lib. 2. ca. 11. qui ei quoq; deuictis Gallogræcis, triumphum denegatum esse asserit, eo quòd causam belli senatus nõ approbasset: in quo à* Liuio *discrepat, qui lib. 38. ab* Vrbe *condita, scribit Manlium triumphasse decem legatis (ex quibus præcipui* L. Furius Purpureo, *&* L. Aemilius Paulus *erat) contradicentibus, nõ tamen publicis, sed cognatorum & amicorum opibus. ex quo liquet, gloriæ & honoris cupidissimum fuisse* Manliũ, *qui triũphauit ad tertiũ* Nonas Martias: *de quo triumpho lege* Blondũ *lib. 10.* Rom. *triũp.*

Pisidis.] *qui Lycaonibus, Isauris, & Lydis uicini sunt, de quibus lege Strabonem lib. 12.* Plin. *lib. 5. cap.*

5.cap.27.lib.6.cap.8.lib.35.ca.14.Volat.lib. 10. cap.5.Geograph.Ptolom.lib. 6,cuius tabulam Asiæ primam uidebis. Verùm Sextus Rufus in Romanarum rerum epitome,ait Seruilium consulem ad bellum Piratarum missum, Pamphiliam Isauriam & Pisidiam quoq; obtinuisse.

Gallogræcis.] Galatis,ad quos Pauli apostoli epistola extat. Eorum enim regionem Galatiam olim uocabant. Gallogræcorum quippe gens,sicut ipsum nomen ostendit,mixta & adulterata est: teste quoq; Strabone lib.12.Plin.lib.5.ca.32.Ptolem. lib.5. Diodor. Sicul. lib.6 .de Fabul. antiq. gestis, Solin.cap.53.Pom.Mel.lib.1.cap.3.Volat.lib. 10. cap.1.Qui scribunt,Gallos multitudine abundantes,relicto natali solo Italiã inuasisse, impleuisseq; Græciam: & sic mixto ex Gallis Græcisq; uocabulo,Gallogræcos appellatos esse.

Qui Antiocho affuerant.] Hoc est,qui duce Brenno in Græciam magna militum copia profecti erant. Vide Iustinum lib.24.

Intulit.] ad Olympum montem properans, apud quem uniuersi Gallogræci cum coniugibus & liberis confugerant. Vide Oros.lib.4.cap.20. & Eutrop.lib.4.cap.2.Sabel.lib.7.Ennead.5.

His uictis.] Duobus prælijs, ut apud Florum legimus, fusi fugatiq; sunt, quamuis sub aduentu hostis relictis sedibus, in altißimos se montes recepissent,

pissent, quos Tolostrobogi, Tectosagiq; iam inse-derãt. In duobus igitur his cladibus Claudius Quadrigarius 40. hominum millia occisa, Valerius autem Antias (qui semper modicus in interfectorum numero esse solet) decem milia interfecta esse prodiderunt. Apud Orosium aũt, & Eutropium, qui de unica tantum ad Olympum montem clade scripserunt, quadraginta Gallogræcorum millia prostrata esse legimus.

Inter captiuos.] Quadraginta hominũ millia quoq; capta esse, et ultrà, à quibusdã proditũ est: ex quibus multi donati sunt pro concione, & inprimis Attalus Eumenis frater, qui egregiam omnium consensu operam eo prælio nauauit.

Vxor.] Chiomara nomine, quæ ex Galatiæ finibus nata erat: ut author est Plutarchus, qui copiose præsentem historiam, cap. 21. de Claris mulieribus describit.

Orgiagontis regis.] Orisgontem Regulũ uocat Liu. lib. 38. nõ Oriagontẽ, ut Plutarch. et alij.

Centurioni.] Tribunũ uocat Plutarchus, quẽ Chiomaram in diuidenda præda sortitum ait. Centuriones autem erant, qui centum præerant militibus: quemadmodum Decuriones, authore Festo, qui denis equitibus. Vide Alexand. ab Alex. lib. 6. cap. 13. Laurent. Vall. lib. 6. cap. 33. Eleg.

In custodiam data.] Hostiũ enim captiuorum insignio-

insigniores in custodiam tradebantur, ut currum triumphantium praecederent postea. Cuius rei testis est Alexand. *ab* Alexand. *lib.* 6. *cap* 6.

Vt *stuprata.*] *Liuius li.* 8. *Dec.* 4. *scribit hunc Centurionem mulieris animum primùm tentasse, eamq; cum ab illicito stupro abhorrentē uidißet, ui compreßisse: & deinde ad leniendam iniuriae factae indignitatem, spem reditus ad suos fecisse.*

Impetrata *redemptione.*] *Chiomarae enim affines multum auri pro redimenda promiserant, modò castam & intactam remitteret ab hostium iniuria.*

Centurionem interficiendum tradidit.] Ne*cessarijs aurum in cōstituto loco clam* Centurio*ni pro redemptione numerātibus, Gallica lingua suos hortata est, ut adulterum occiderent: quo facto, interfecti caput abscißum, sinu inuolutum ad coniugem tulit, abiectoque ante pedes eius, iniuriae & ultionis suae ordinem exposuit.*

Interficiendum *tradidit.*] Iuxta legem Plato*nis, quae libro de legibus* 9. *hunc in modum lata est.* Qui *mulierem liberam ad rem uenereum ui adigit, non ab eo solum cui uis illata est, sed à patre, marito, fratribus, filijsq; uita priuetur.* Et *hinc* D. *Adrianus, ut ait* Metian. Iurisc. *lib.* Pan*dectarum* 48. *ad legem Corneliam de Sicarijs, rescripsit, eum qui stuprum sibi, uel suis per uim in-*

ferentem occidit, dimittendum. Verùm de diuersis adulterij apud diuersas gentes pœnis, lege Alexand ab Alex lib. 4. cap. 1 Plutar. probl. 115. Cœliũ Rhod. lib. 21 cap. 45. li. 10. cap. 5. lib. 27. cap 4. lib. 21. cap. 48. & alijs locis.

DE L. AEMILIO PAVLO MACEDONIco. Cap. LVI.

LVcius Paulus Aemilius, filius eius, qui apud Cannas cecidit, primo consulatu, quem post treis repulsas adeptus erat, de Liguri. triumphauit. Rerum gestarũ ordinem in tabula pictũ publicè posuit. Iterũ consul Persem Philippi filiũ, regem Macedonũ, apud Samothracas cœpit, quem † uinctũ fleuit, & assidere sibi iussit, tamen in triumphũ duxit. In hac lætitia duos filios amisit. Et progressus ad populũ, gratias fortunæ egit: q̃d si quid aduersi Reip. imminebat, sua esset calamitate decisũ. Ob hęc omnia, & à populo & à senatu concessum est, ut ludis Circensibus triũphali ueste uteretur. Ob huius licentiam & paupertatem, post mortem

al. uictum

mortem eius dos uxori, nisi uenditis possesśionibus, non potuit exolui.

IN CAPVT LVI.

Aemilius.] *Aemilia gens Mamercum Pythagoreũ authorem suæ stirpis nuncupat, cui propter eximiam humanitatem, & sermonis lepiditatem, cognomen Aemilios inditũ ferunt. Testis est Plut. in Paulo Aemilio. Alex. ab Alex. libro 1. cap. 9. Volat. lib. 13. cap. 3. Vrb. com.*

Filius eius qui cecidit apud Can.] *Lucij uidelicet Pauli cum Publio Terentio Varrone cõsulis, qui contra Hannibalem apud Cannas infœliciter pugnauit: anno secundum Oros. lib. 4. cap. 16. & Eutropium quoq; lib. 3. cap. 2. ab Vrbe condita, 540. De qua clade copiosè Polyb. lib. 5. Liu. lib. 2. Dec. 3. Flor. lib 2. cap. 6. Syll. Italicus lib. 9. & qui suprà 42. & 49. capitib. præterea citantur.*

Primo consulatu.] *Quem cùm Gn. Bebio Pamphilo gesśit, anno 40. Olymp. 49. ab Vrbe uerò condita, 572. de quo consulatu Liuius lib. 9. Dec. 4. in fine.*

Post tres repulsas.] *Hoc est, cũ ter frustra consulatum petijsset. Huius autem repulsæ meminit Plut. in uita Pauli, & Romanorũ Apoph. Valer. Max. lib. 7. cap. 5. § 4. qui ait, eius uirtutem iniurias non fregisse, sed acuiśse potius, cũ post repulsas bis consul & Censor factus sit. De alijs autem*

qui æquo animo repulsas tulerunt, Pontanum leges lib.2.cap.5.de fortitudine domestica.

De Liguribus.] *Contra quos cum octo militũ millibus missus, aduersus triginta hostium millia magna fortitudine pugnauit, & septuaginta* Epirotarũ *urbes, teste* Polybio, *funditus euertit. uide* Liu.*lib.5.* Dec.*5. & quos supra cap.43.citauimus: ubi plura de Ligur. eorumq; bello diximus.*

Triumphauit.] *quindecim millibus* Ligurum *trucidatis, duobus millibus & quingentis captis.*

Rerum gestarum ordinem tabula pictum.] *Victori enim ingredienti urbem, in ipso triumpho, longo ordine, montium, fluminum, oppidorũ & urbium species, quas bello peruicerat, & ui expugnarat, præcedebant, depictæ iuxta* Romanorum *morem, qui tabellas quoque grandioribus literis inscriptas, cum titulis, in quibus naues captæ, urbes tributo affectæ, seruæ, aut uectigales, in fidem ue acceptæ, & reges bello uicti, continebantur, ostendere, & in populi conspectum ponere soliti erant.* De *qua consuetudine* Alexander *ab* Alex. *lib.6.cap.6.*

Posuit.] *in* Capitolium *nimirũ, ubi duo tabularum genera erant. Alterum, quòd fortium uirorum res gestas continebat depictas: alterum, leges antiquissimas, ut* Romuli, Numæ, *&c. de quibus lege* Marlian.*lib.2.cap.9.*Topog.*uet.*Romæ.

Iterum

Iterum consul.] cum Licinio Crasso, septimo decimo anno, posteaquã primò cõsul fuerat, teste Liuio lib. 4 Dec. 5. Cuius tamẽ consulatum post decimum quartũ à primo annum Glareanus in Liuiana Chronologia posuit, qui numerat annum primum centesimæ quinquagesimæ tertiæ Olympiadis, ab Vrbe autem condita 586.

Persem.] Qui, ut apud Polybiũ legimus, præ metu in urbẽ se retulit, uelato recessu, quasi Herculi sacra facturus: tandem ad templum confugit, Marco Octauio Aemilio legato insequente. Qua de re leges quoq; Plutarchum in Aemilio, Sabell. lib. 8. Ennead. 5. Flor. lib. 2. cap. 12.

Samothracas.] Strabo lib. 13. Sarmothraciam quondam Dardaniam dictam esse ait, eò quod Dardanus ex Hetruria fugiens hìc substiterit, & mox in Troiam traiecerit, ut Eustathius quoq;, qui etiam ex Aristotelis authoritate Samothraciam dicit Leucosiam uocatã, deinde à Sao Mercurij & Rhenes filio Samum, & sic à Thracibus postremò habitatam & Samothraciam appellatam. Hanc quoque insulam Apollonius primo Argonauticorũ Atlãtidos uocat, eo quod (ut eius enarrator ait) Electra Atlantis filia in ea habitauerit. De hac leges Strabonem lib. 10. Diodorum Siculum lib. 6. Plinium libro 4. cap. 12. libro 36. cap. 5. lib. 37. cap. 10. Pompon. Melam

lib.2.cap.7.Volat.lib.9.cap.4. Geograph.

Cœpit.] *cũ uxore et liberis. historiã copiosius leges apud* Liu.Plut.*ut suprà.* Oros.*li.4.cap.20.* Eutrop.*lib.4.cap.3.*Iustin.*in fine lib.34.*

Victum fleuit, et aßidere sibi iussit.] Perseus *uictus,& ad* Aemiliũ *ductus, turpiter ad terrã procũbens, & genua* Aemilij *amplectens, uoces emisit degeneres, quib. auditis,* Paulus *lachrymas multas effundens, hostis sui crudelißimi aduersa fortuna motus, humi prostratũ erexit, & uictorẽ se clementißimũ fore ostẽdit.* Et *sic ubiq; uirtus cadentium magnã reuerentiæ partem etiã apud hostes habere debet.* Vide Liu. Plut. Sabellicam *ut suprà, & li.4. cap.7.§ 4.Ethnic.exemplor.* Platinam *lib.2.de optimo ciue.*

In triumphum duxit.] *Huius triumphi spectaculum, triduum impleuit. primus dies signa tabulas'que, sequens arma pecuniasq; transuexit.* Tertius *ipsum* Perseum *regem cum filijs, alijsq; captiuis: cuius spectaculi ordinem & pompam non uisam hactenus, leges apud* Plutarch. Appianum, *inter principium & medium eius libri qui* Libycus *inscribitur.* Sabell. *libro 8.* En.5. Blondum *lib.10.* Romæ *triumph.* De *consuetudine autem* Rom. *qui captiuos, & præsertim duces, nobilesq; in triumphum semper duxerunt,* Alexan. ab Alex.*lib.6.cap.6.*

Duos filios.] *Erant Aemilio quatuor filij, quorum duo in adoptionem aliarum familiarum, Scipio uidelicet & Fabius, duo uerò in potestate retenti erant: horum alter quinq; diebus ante triumphum, qui sedecim annorum ætate erat, mortuus est. Alter, qui duodecim annorũ erat, tertia post triumphum (testante Plutarcho) decessit. Docemur autem præsenti exemplo, raro tam perfectam esse hominis fœlicitatem, quæ non mœroris aliquo felle mixta sit. Horum autem filiorum mentionem facit ex Plutarcho Erasmus, libro 5. Apophtheg.*

Progressus ad populum.] *Vocata populi concione uerba fecit, non hominis quidem qui indigeret consolatione: sed qui planè ciues suos, ob eius incommodum indecenter lugentes, cõsolaretur. Verè igitur magnanimitatis exemplum est Aemilius, qui recta ratione fretus fortitudinem et constantiam, non solum aduersus arma & hostiũ minas, sed aduersus omnem fortunam pariter habendam ratus, ea ratione filiorum casum tulit, ut secundis aduersa, & domestica publicis obscurata, dignitatem & magnitudinem rerum nequaquam deturbarent. Vide Valeriũ Maximum lib. 5. cap. 10. § 2. ubi similia tum Romanorum tum aliorum exempla leges.*

In ludis Circensibus.] *Quod Græcis Olympici*

fuere, hoc nimirum Romæ (quantum opinione auguror) Circenses fuisse crediderim. quippe Agonici Circẽses apud Elidem, in honorem Iouis Olympici pariter inuenti, institutiq́; sunt. Inde Romam aduocatos quidam existimarunt, ubi Neptuno & Cereri tribuerunt: quorũ memoria quot annis celebrabatur, iuxta fluminis ripam angusto tramite, altero latere urgente flumine, altero positis gladijs, ut utrinq; præsens exitium esset, bigarum cursu certabatur, dimicatione periculosa, adeò ut intra præscriptum illas coercere ne cesse foret. unde Circenses dicti. De quibus copiosè Liu. lib. 4. Dec. 5. Blond. lib. 2. Rom. triumph. Marl. lib. 4. cap. 10. Topographiæ, Ouid lib. 4. Fast. Hinc Cereris ludi, &c. Tranquillus in Cæsare, Alexand. ab Alex. lib. 5. cap. 8. Leon. lib. 2. cap. 57. lib. 1. cap. 68. & lib. 2. cap. 62. de uaria hist. meminit, Plinius lib. 15. cap. 29. in fine, et lib. 36. cap. 22. Cælius lib. 8 cap. 7.

Triumphali ueste.] purpura scilicet auro contexta, ut ait Plutarchus, quam purpuram, togam pictam, Liuius lib. 1. belli Macedonici appellat. Vtriusq; autem sententiam à Festo Pompeio complexam legimus, qui hunc in modum de ea ueste scribit: Ea, inquit, uestis, quæ nũc picta toga dicitur, antea purpurea uocata est, eratq́; sine pictura. Cuius rei argumentum est pictura, quæ olim

fuisse dicitur in æde Vertumni & Consi, quarum in altera M. Fuluius Flaccus, in altera T. Papirius Cursor, triumphātes ita depicti erant. Alexand. *autem ab* Alexand. *lib. 5, cap. 8.* Genial. *dierum, palmatam uestem uocitat, cum ait, Palmata uestis in pace Consulis, uictoria uerò parta triumphantis ornamentum erat, quæ quidem purpureæ, & auro intextæ erant, & nisi triumphalibus uiris, atque ex* Capitolio & Palatio, *haud aliter dari solitæ, eò quod* Iouis *tunicæ perquam similes essent. Verum alij Scutulatam, Phrygiatam, Surculatam, Vngulatam, & Clauatam, inter triumphales annotarunt.*

Paupertatem.] *Hinc Valerius lib* 4. *cap.* 3. *ait,* Paulum Aemilium *Perse deuicto,* Macedonicis *opibus ueterem ac hæreditariam urbis paupertatem satiasse quidem, penates autem suos nulla ex parte locupletiores fecisse: præclare nimirum secum actū existimans, quod ex illa uictoria alij pecuniam, ipse patriæ salutem, & gloriam sibi parasset. Cuius rei gloriosè quoq; de diuitiarum contemptu, meminit Sabell. lib.* 2. *cap.* 1. *§ ultimo.*

Vxori.] *Vxor fuit illi* Papyria Mnasonis *uiri consularis filia, quam post longum coniugij tempus repudiauit, licet pulcherrimam sobolem ex ea suscepisset. hæc enim gloriosissimū* Scipionem, & Maximum Fabium *peperer at. Sed post diuor*

tium, duxit aliam uxorem (cuius nomen nuspiam legi) ex qua duos illos suscepit filios, quorū maior trib. dieb. ante triumphū, minor uerò natu 3. die pòst, deceßit De utraq; uxore Plutar. in uita Aemilij, de Papyria Eras lib. 5. Apophtheg.

Licentiam.] prodigalitatem, uerū Plutarchus liberalitati ascribit his uerbis: Erat in cæteris haud quaquam pecuniarū studiosus, sed sumptuosus & liberalis: nec multa habebat, sed cum dos mulieri reddēda fuit, uix patrimoniū eius suffecit, &c. Sed magna uirtutū & uitiorū est cognatio.

Dos non potuit exolui.] Apud priscos Romanos dos æs graue fuit, mox decem millia æris dotes non excessere: postea corruptis moribus, ad 40. millia supergressæ sunt, in tantum, ut Megulia, quòd quingenta ærium millia dotem dederat, dotatæ nomen tulerit. Val. Max. lib. 4. cap. 4. ¶ Neq; dotale prædium, quod'ue dotis causa exhibitum esset, uiro inuita uxore alienare licebat: Iulia lege prohibēte, ne uxor indotata maneret. Alexand. ab Alexand. lib. 4. cap. 8.

Venditis posseßionibus.] Plutarchus enim scribit, uix triginta septem millium reliquisse, atque in hoc ambos sibi filios hæredes instituisse: à Scipione tamē, qui erat minor natu, integrā hæreditatem fratri conceßisse, cum ipse in familiam Africani locupletiorem adoptatus transijsset.

DE T. SEMPRONIO GRACCHO.
Cap. LVII.

TItus Sempronius Gracchus nobiliſsima familia ortus, Scipionem Aſiaticum quamuis inimicum, duci in carcerem non eſt paſſus. Prætor Galliam domuit, conſul Hiſpaniam, altero conſulatu Sardiniã: tantumq́ captiuorũ adduxit, ut longa uenditione res in prouerbium ueniret, Sardi uenales. Cẽſor libertinos, qui ruſticas tribus occuparãt, in quatuor urbanas diuiſit. Ob quod à populo collega eius Claudius (nam ipſum auctoritas tuebatur) reus factus: & cum eum duæ claſſes cõdẽnaſſent, Tiberius iurauit, ſe cum illo in exilium iturum. Ita reus abſolutus eſt. Et cum in domo Tyberij duo angues è geniali thoro repſiſſent, reſponſo dato, eum de dominis periturum, cuius ſexus anguis fuiſſet occiſus: amore Corneliæ coniugis marem iuſsit interfici.

IN CAPVT LVII.

Ex nobilißima familia.] De nobilißima Gracchorum familia, lege Plutarchũ in uita Gracchorum, Volat. lib. 16. cap. 2. Vrb. com. Alexand. ab Alex. lib. 1. cap. 18. Gracchos aũt à loquacitate et facundia, quasi graculos cognominatos esse, quidam existimarunt: de quorũ facundia sæpe apud Cicer. & alios legimus. Quamuis apud Varronẽ obseruatum sit, Gracchum ideo cognominatum, quod eum mater mensibus duodecim in utero gestasset, & legittimũ pariendi tempus supergressa esset. & hinc nimirum Plinius libro 7. cap. 16. Gracchorum matrẽ cõcreto genitali natam esse, memoriæ prodidit. Vide Cælium lib. 24. cap. 4.

Quamuis inimicum.] ob plerasq; in Repub. dissensiones. Hanc historiam latè descriptam inuenies apud Liuiũ lib. 9. Dec. 4. Plut. in uita Scipionis & Gracchorũ, Gell. lib. 12. cap. 8. & lib. 7. cap. 19. Valer. Max. lib. 4. cap. 2. § 4. & Plinium suprà cap. 53. ubi plura annotauimus.

In carcerẽ duci passus non est.] Cum M. Minutius Augurinus tribunus pleb. mulctã irrogasset, & cõtra morẽ maiorũ trib. pleb. per uim inauspicatò sententiã de eo tulisset. uide Gel. loco citato.

Consul.] cum Claudio Pulchro, anno uidelicet, iuxta Glareani nostri supputationem, primò, Olympiadis 151. ab Vrbe autem condita, 577.

Hispa-

Hispaniam.] quam centum & quinquaginta urbiũ euersione mulctauit, cuius rei testis est Florus lib. 2. cap. 17.

Altero cõsulatu.] quẽ cum M. Iuuẽtio Hellua gessit, anno 3. Olymp. 154. Vrbis uerò conditæ 591. Plut. quoq; in uita Gracchorũ, Titum hunc Sempronium bis cõsulem fuisse ait, duobus triumphis & insuper censuræ gloria insignem.

Sardiniam.] Cuius insulæ longitudinem Strabo lib. 5. facit miliarium 220. latitudinem 98. Ptolemæus multo quoque longiorem fecit, quàm sit lata. Eorum enim littus 188. mille passuum longitudinis habet, maxima latitudine 122. mille passuum existente. in cuius sententia est quoq; Mela lib. 2. cap. 7. circa finem. Est autem hæc insula à Sardo Herculis filio ita dicta, ut Syllius Italicus lib. 12. & Solinus cap. 10.

Domuit.] Quindecim millibus hostium cæsis, & omnibus Sardorũ populis, qui defecerant, in ditionem redactis. Vide Liuium lib. 1. Dec. 5. Florum lib. 2. cap. 6.

Res in prouerbium ueniret, Sardi uenales.] Plutarchus in Romanorum Problematis aliã prouerbij rationem adfert. Nimirum olim inoleuisse morem apud Romanos solennem, ut qui ludos in Capitolio ederent, Sardos uenales pronunciarẽt: prodiretq; puer quispiam, per ludibrium monili cinctus,

cinctus, quam bullam uocant. Eumq; morem hinc ortum putat, quòd Veiëtes olim diu cum Romanis bellum gesßissent, quodq; horum urbem postremam Romulus *expugnasset.* Vnde *& regem ipsum & multos captiuos* Romam *deductos, uenales pronũciauit.* Porro *cum* Lydi *ab initio fuerint* Hetrusci, Lydorum *autem caput erat* Sardis, *inde factum ut* Hetruscos *Sardorum nomine pronunciarit uenales. Huius autem prouerbij meminit* Cicero *quoq; lib. 7. Epistolarum familiar. ad* Gallum: *explicat* Erasmus *Rot. in* Chiliadibus.

Libertinos.] *Iusta seruitute manumissos. uerùm qui liberti, quiq; libertini propriè dicendi sint, subtiliter disputat* Laurent. Vall. *lib. 4. cap. 1. Elegant. De manumißione uerò,* Alexãd. *ab* Alexand. *lib. 4. cap. 10. &* Budæus *in* Pandectis.

Rusticas tribus.] *Rusticæ tribus apud* Romanos *omnium laudatißimæ erant, & eorũ quidem qui agros colerẽt: è quibus in* Vrbanas *transferri, ignominiosum et turpe erat. Qua de re leges* Plinium *lib. 18. cap. 3.* Alex. *ab* Alex. *lib. 1. cap. 18.*

In quatuor urbanas.] *Suburranam uidelicet,* Palatinam, Exquilinam *&* Collinam, *quas* Seruius Tullius, *sextus* Romanorum *rex, primò instituit, & in has manumissos, si* Reip. Romanæ *participes esse uellent, ut unà cum ciuibus censerentur, distribuit. In has deinde* Q. Fabius Rullus

om-

omnem forensem factionem postea excretam Censor coegit, unde Maximus cognominatus est: qua de re dictum est suprà cap. 7. & 43. Quatuor enim illæ tribus aliorum temeritatem tribuum moderabantur. Vnde in petitione ipsa, Vrbanam tribum semper plurimi fuisse, legimus apud Blondum lib 3. Romæ triumphantis.

Collega eius.] *Appius Claudius Cæcus, qui censor libertinos in Senatum legit, & Censuram solus præter consuetudinem quinquennio obtinuit, ut dictum est suprà cap 34.*

Tuebatur authoritas.] *quæ Censoribus concessa erat dignitas & potestas. Hi enim senatu uel tribu amouere, notisq; & ignominiis afficere delinquentes, ratione officij potuerunt. Qua de re multa Alex. ab Alex. lib 3 cap. 13. nos quoq; diximus plura cap. 47. ex Liu. Blond. Fen. & alijs.*

Duæ classes.] *Populum Romanum in classes quinq;, & postmodũ in centũ nonaginta tres centurias distributum fuisse, legimus apud Dionys. Hal. lib 7. De Appio aũt Claudio accusato & dãnato, Alexand. ab Alex. lib. 3. cap 3. Gen. dier.*

Cum illo.] *iniustè damnato. Est autem ueræ & infucatæ amicitiæ exemplum Lætari enim & dolore affici, ex his quæ in utramq; fortunam amico contingunt, ut in Lælio ait Cicero, ea est demum uera amicitia. & hinc Demetrius Phalereus*

lerius ueros amicos in rebus lætis et prosperis uocatos, in aduersis uerò inuocatos & ultrò adesse, dicere solitus erat.

In exilium.] *Pro magno enim & insigni amici commodo, tenuis (ut Theophrastus ait) infamia subeunda est interdum: quandoquidem honestatis et famæ iactura maiore honestate plerunq;, & cum maximo fœnore compensatur.*

In domo Tiberij.] *Quæ fuit in eo Palatij loco, ubi olim Apollinis fuit templum uetustißimum, fulmine deinde deiectum, & ab Augusto nouum excitatum, cuius hodie uestigia quædam obscura propè Fedræ uineam extare uidentur. Cuius rei testis est Marlianus lib. 3. cap. 4. & 5. & Publius Victor in regione urbis decima.*

Ex geniali thoro.] *Genialis thorus duabus culcitris, in Genij honorē apud ueteres eximiè parabatur, ad quē noua nupta quinq; facibus noctu admittebatur, quas ab ædilibus accendi, & ex spino arbore fieri, erat auspicatißimum, et fortunati euentus: quandoquidem ex hac arbore in raptu Sabinarum pastores faces accendisse ferantur, ut est apud Plutarchum Problem. 2. Blond. lib. 8. Rom. triumph. ferè à principio, Pliniū ex Masurio lib. 16. cap. 18. Alexand. ab Alex. li. 2. cap. 5. Genial.*

Responso dato.] *ab aruspice.*

Corneliæ.] *Ea ipsa Cornelia erat, quam ad firman-*

mandam Scipionis Asiatici amicitiam, cum Ioui epulum in Capitolio libaretur, in matrimonium duxit. quæ cum elegantißimas posteris epistolas reliquerit, causa fuit, ut & filij summa eloquentia eius ætatis homines præcellerent. cuius rei testis est ad Brutum Cicero; Quintilianus lib. 1. cap. 1. & Plutarchus in uita Gracchorum. De hac præterea laude digna scribunt Plinius lib. 7. cap. 13. & 16. Pomponius Rufus lib. Collectaneorum, Valerius Maximus lib. 4. cap. 4. § 1. Marlianus lib. 2. cap. 7. & qui mox quoq; citantur.

Marem occidi iußit.] eo quòd iuuenis adhuc esset Cornelia, & per ætatem plures libros párere posset, post duodecim editos hactenus, teste Plinio lib. 7. cap. 13. & 14. qui ad septuagesimum secundum usq; annum peperisse ait. Totam autem hanc historiam de insigni amore coniugali leges apud eundem libro 7. cap. 35. Valer. Max. lib. 4. cap. 6. § 2. Sabell. lib. 3. cap. 6. § 6. Ethnic. exemplor. Alexand. ab Alex. lib. 1. cap. 18. Volater. lib. 16. cap. 2. Plutarch. in uita Gracchorum.

DE P. SCIPIONE AEMILIANO. Cap. LVIII.

Publius Scipio Aemilianus, Pauli Macedonici filius, à Scipione Africano adoptatus, in Macedo-

Ee nia

nia cum patre agēs, uictum Perſem tam pertinaciter perſecutus eſt, ut media nocte in caſtra redierit. Lucullo in Hiſpaniā legatus, apud Intercatiam oppidū, prouocatorē ſingulari prælio uicit. Muros hoſtileis ciuitatis primus aſcendit. Tribunus in Africa ſub Tito †Manilio imperatore cohortes octo obſidione uallatas, cōſilio & uirtute ſeruauit, à quibus corona obſidionali donatus. Cùm ædilitatē peteret, conſul ante annos ultro factus, Carthaginem intra ſex mēſeis deleuit. Numantiā in Hiſpania, correcta prius militum diſciplina, fame uicit: hinc Numantinus dictus. Caio Lelio plurimū uſus. Ad reges adeūdos miſſus, duos ſecum præter eum ſeruos duxit. Ob res geſtas ſuperbus, Gracchum iure occiſum uideri reſpondit. Obſtrepente populo: Taceant, inquit, quibus Italia nouerca eſt, non mater. et addidit, Quos ſub corona uendidi. †Cenſor Mummio collega ſegniore in

al. Man- [margin note at "Manilio"]

al. Cēſore [margin note at "Cenſor"]

re in senatu ait: Vtinam mihi collegam aut dedissetis, aut non dedissetis. Suscepta agrariorum causa, domi repente exanimis inuentus, obuoluto capite elatus, ne liuor in ore appareret. Huius patrimoniũ tam exiguum fuit, ut 32. libras argenti, duas & semilibram auri reliquerit.

IN CAPVT LVIII.

Scipio Aemilianus.] *Aemiliani cognomen à Paulo Aemilio, à quo adoptatus est, accepit: cuius adoptionis meminit Plutarch. in Paulo Aemilio, Valer. Max. lib. 2. cap. 5. § 5. Alexan. ab Alex. lib. 2. cap. 11. qui huius adoptionis rationem reddit. Notandum est autem, lege cautum fuisse, ut adoptatus adoptantis appellationẽ sumeret, suo quoque nihilominus nomine retento. Cuius rei testis est Tranquillus & Dion in Augusto. Scipionis huius uitam omnem describunt quoque Lorbardus de Syricho cap. 14. Supplementi in Petrarch. & Volater. lib. 19. cap. 3. Vrban. comment.*

Pauli Macedonici.] *cuius uitam descripsit suprà cap. 56.*

A Scipione Africano.] *à Publio Scipione, qui ob insignem pietatem, Iouis filius esse creditus est. de quo Plinius suprà cap. 49.*

Adoptatus.] *Adoptatio duobus modis fit, aut principis authoritate, aut magistratus imperio. Authoritate quidē principis eos adoptamus, qui sui iuris sunt: quæ adoptionis species dicitur arrogatio. Imperio autem magistratus, qui in potestate parētis sunt, siue primū gradum liberorum obtineāt, qualis est filius siue filia: siue inferiorem, qualis est nepos, neptis, pronepos, proneptis, teste Caio. Vide instit. Iuris, de adoptione* § 1. *et* 2. *in* 1.

In Macedonia cum patre agens.] *Hanc historiam lege apud Liuium lib.* 5. *Dec.* 5. *à principio, & Plutarchū in uita Pauli Aemilij propè finem, qui ait, eum ex improuiso Macedoniam cepisse.*

Victum Persem.] *Perses Macedonū rex quomodo uictus sit, docet Liuius libro* 4. *Dec.* 5. *lib.* 5. *Dec.* 5. *Plutarchus in Paulo, Florus lib.* 2. *cap.* 12. *Appianus in Mithridatico, Oros. lib.* 4. *cap.* 20. *Eutropius lib.* 1. *cap.* 3. *Sabellicus lib.* 8. *Ennead.* 5. *Rapsod. Iustinus lib.* 34. *& Plinius suprà cap.* 56.

Lucullo.] *Lucio Licinio Lucullo, qui paulo ante initium belli Punici fuit consul cum A. Posthumio Albino: de quo lege Liuium lib.* 49. *Volater. lib.* 16. *cap.* 4. *Vrban. comment. Cuius filij, siue (ut alij uolunt) nepotes fuerunt, Marcus & Lucius Luculli: de quorum postremo Plinius infrà cap.* 74. *& Plutarchus.*

In Hispania legatus.] *Hunc Scipionem adolescentem*

scentem admodum, à Lucullo consule, petendi auxilij gratia, ex Hispania in Africã missum, & honorificè exceptũ à Carthaginẽsibus & Masinissa rege, apud Valer. Max. lib. 2. cap. 5. § 5. legimus. Praeterea hunc Scipionẽ in Hispania sub Lucullo militasse, ait idem Valer. lib. 3. cap. 2. § 6.

Intercatiam.] Intercatia est una ciuitatũ Asturiae in Hispania. Polybius uerò cum Vaccaeorum & Celtiberorum populos dinumeret, etiam Sagesamam & Intercatiam nominat. Vide Strabonem libro 3.

Muros hostiles primus ascendit.] Intercatia praeualidũ oppidum cum circũsederetur, primus moenia eius ascẽdit, caeteris ab oppugnatione abhorrẽtibus, & uitae periculũ uitãtibus. Val. Max. lib. 3. cap. 2. § 6. Vnde & murali corona donatus est, quemadmodum Manlius: de qua corona Alex and. ab Alex. lib. 4. cap. 18. Gell. lib. 5. cap. 6.

Prouocatorem.] strenuae fortitudinis barbarum: cuius rei meminit gloriose admodũ Plinius lib. 36. cap. 1. in medio. Facta sunt autem haec anno 620. Vrbis conditae.

Cohortes octo.] Cohors alia milliaria, ea 1500: pedites, equites uerò 132. habet. Cuius generis cohortes, quòd ex lecto milite constabãt, ad subsidia belli, quo lapsam aciem repararent, seruare soliti sunt. Aliae quingentariae, quas ex 550. peditibus,

equitibus uerò 66.plerũq; descripsere.Ex quibus nonnullæ Cõsulares,aliæ Prætoriæ, aliæ Vrbanæ, multæ Legionariæ,pleræq; Auxiliares dictæ.Cuius generis decem numero cohortes,iustam efficiunt legionẽ. Tametsi cohortes quinquagenarias apud Latinos,Samnites, & Hernicos 600. militum quandoq; descriptas legamus. Vide Alexan. ab Alex.lib.1.cap.5. Budæum in Pandect. Veget. lib.2.cap.6.de Re milit. Gell.qui meminit lib.16. cap.4.in fine,Blond.lib.6.Rom.triumph.

Corona obsidionali.]Obsidionali corona donatum esse Aemilianum, testatur quoq; Plin.lib. 22.cap.6,& Alex. ab Alex.lib 4.cap.18. De obsidionali aũt corona diximus suprà 26.& 17.cap.

Cum ædilitatẽ peteret,consul fact.]Ex ædilitatis cãdidato,consulem à populo factum esse,testatur Valer.Max.lib.8.cap.16.§ 4. & Alexan.ab Alex.lib.4.cap.4. ubi de ijs qui ædilitatis repulsam paßi, ad consulatum tamen, aliosq; magistratus statim euecti sunt. De Aedilibus autem Curulibus,& plebeis,& eorum lectione,potestate,officio,dignitate,&c.lege Liuium lib.7.à principio, Dionys.lib.6.Gell.lib.17.cap.21.Blond.lib.3.Romæ triumph. Fenest.cap.13. Pomp.Læt.cap.20. de magist. Rom, Varr. lib.1, de lingua Lat. Põp. Iurisc.tit.2.primi digest. Alex.ab Alex.ut suprà.


Ante annos consul factus.] Intelligendum est

his

his uerbis, P. Scipionem Aemilianum in consulem electum esse, antequam ædilitatem, quæsturam, et præturam gesßisset: qui magistratus ueluti gradus quidam ad consulatum erant, ad quem nullus admittebatur olim, nisi quadragesimum tertium ætatis annum attigisset. Pluribus tamen paulo pòst citra eam ætatem consulatum gerere permissum apud Romanos fuit: qui quos amplißimis ornamentis dignos putarunt, satis annorum & ætatis habere duxerunt. quo factum est, ut Valeriũ Coruinum tertio & uigesimo ætatis anno, & alios quoq; ante legitimum tempus ad consulatũ promotos legamus. Vide Alexandrum ab Alexand. libro 3. cap. 3. & quæ dicta sunt suprà cap. 49. & 51.

Carthaginem.] urbem omniũ florentißimam, & totius Africæ decus: de cuius situ, magnitudine, & potẽtia, Strabo lib. ultimo, Plin. lib. 33. cap. 10. lib. 5. cap. 6. Solin. cap. 4. Quomodo autem deleuerit, scribit Appian. in Lybico, Florus lib. 2. cap. 15. Oros. lib. 4. cap. 22. Eutrop. lib. 4. cap. 4. Phrysing. lib. 2. cap. 41. & alios.

Intra sex menses deleuit.] Diruta est Carthago septingentesimum post annum quo condita erat: quam Scipio iuuenis extinxit igni, posteaquã sex continuis diebus & noctib. oppugnasset, anno à cõdita Roma 602. teste Liuio lib. 49. Oros. et Eu



tropio ut ſuprà, Plin.*lib.*14.*cap.*4.*lib.*18.*cap.*15.

Numantiam.] *Hiſpaniæ citerioris ciuitatem, haud procul à* Vacceis *&* Cãtabris *in capite* Gallecię *ſitam, quæ per annos quatuordecim, uel (ut* Strabo *lib.*3.*ſcribit) uiginti, cum quatuor ſuorum millibus, quadraginta millia* Romanorum *non ſolum ſuſtinuit, ſed etiam uicit, pudendisq́; fœderibus affecit hactenus.* Cuius rei teſtes ſunt Oroſius *lib.*5.*cap.*6. Eutrop.*lib.*4. *cap.*7. Flor.*lib.*2.*cap.*18.*&* lib.55.*& quatuor ſequẽtibus* Abbre. Liuij, Auguſtin.*lib.*3.*cap.*21.Ciuitat.

Correcta militum diſciplina.] *Corruptum ſuperiorem ducum ſocordia exercitũ correxit, militem uitioſum & ignauũ exercẽdo magis, quàm puniẽdo: ſine aliqua acerbitate in caſtris, uelut in ſcholis exercuit. Deinde omnia quæ uoluptatis cauſa in caſtris haberentur, ſeuero edicto ſubmoueri iuſsit. deniq; ſcortorum duo millia cum lixis è procinctu loci eius eiecit.* Vide Flor.*&* Eutrop.*locis citatis, &* Valer. Max. *lib.*2.*cap.*2.*§* 2. Front. *lib.*4.*cap.*1.§ 1. Sabell.*lib.*9.Ennead. 5.Rhapſod.

Fame uicit.] *Numantini quippe uallo & aggere circundati, cum comeatum nullum haberent amplius, conſumptis omnibus quæ famem expellere poterant, ad ultimum humanorũ corporum dapibus uſi ſunt: unde capta iam urbe, complures inuenti ſunt, artus & membra trucidatorum* corpo-

corporum sinu suo gestantes. Alij incensa penitus urbe ueneno se interfecerunt, & flammis extincti sunt. Qua de re Oros. lib. 5. cap. 6. Eutrop. cap. 7. lib. 4. Flor. lib. 2. cap. 17. Valer. Max. lib. 7. cap. 6. § 10. Domitius Brusonius Contursinus lib. 2. cap. 41. Facetiar. & exempl.

Numantinus dictus.] Alexand. ab Alex. lib. 2. cap. 11. Plin. lib. 33. cap. 11. ubi de eius triumpho, Volater. lib. 19. cap. 3. Vrban. com.

Caio Lælio plurimum usus.] Scipionis & C. Lælij familiaritas, & arctissima amicitia, proclamatur apud Ciceronem in Bruto, & in libello de Amicitia, in quo Lælius natu iam grandior, loquens de amicitia, & præcepta eius Fannio et Sceuolæ tradens, introducitur. & Volateranum lib. 16. cap. 4. Valerium Maximum lib. 8. cap. 8. §. 2.

Ad reges missus, secum seruos duxit.] Lælius in Hispaniã legatus missus, in expugnatione Carthaginis nouæ præpositus classi fuit, ut Liuius lib. 9. Dec. 4. testatur. Idem deinde missus à Scipione ad Syphacem legatus, pro amicitia, Tribunos peritissimos rei militaris specie seruorum secum duxit, explorandæ regionis gratia, in qua legatione Syphacem populo Romano amicum reddidit. Vide Frontinũ lib. ca. 1. § 1. 3. de Occultandis cõsilijs.

Ob res gestas superbus.] Notum est, ob res secundas quàm plurimos superbia uinci, quorum

animi,uiresq; in aduersis,nullo modo cõfringi pos sunt. Probè igitur Cicero lib. Epistolarum fam. 4. *ad Marcellum scribens, omnia in bellis misera esse dicit: nihil tamen miserius, quàm ipsam uictoriam. quæ etiamsi ad meliores uenit, tamẽ eos ipsos ferociores reddit, & ita quidem, ut si natura tales non sint, in necessitate tamen esse cogantur.*

Gracchum iure occisum respondit.] Tiberium Gracchum intellige, Africani ex Cornelia filia nepotem, qui quæstor Mancino in Hispania fœdus eius flagitiosum probauit. Tribunus plebis, ne quis plus 1000. agri iugera haberet, legẽ sanxit, nouo exemplo magistratum abrogauit, &c. De cuius factis & morte leges infrà cap. 64. Plutarch. in uita Gracchorum, & quos infrà citabimus.

Iure occisum.] Scipio Aemilianus interrogatus à Cn. Carbone trib. pleb. Gracchianæ seditionis uindice, quid de Tiberij Gracchi morte, cuius sororem in matrimonio habebat, sentiret? Iure occisum uideri, respondit: cuius dicto cum cõcio tribunitio furore instincta uiolenter succlamasset: Taceant, dixit, quibus Italia nouerca est. Orto præterea murmure. Nõ efficietis, ait, ut solutos uerear, quos alligatos adduxi. Vide historiam latius descriptam apud Liuium lib. 59. Valer. Max. lib. 6. cap. 2. § 4. Volat. lib. 19. cap. 3.

Quos sub corona uendidi.] Sub coronis uenire diceban-

dicebantur, qui in bello capti uenundabantur coronati: in qua sententia est Cælius Sabinus iurisperitus. Alij uerò sub corona captiuos uenundari dici solitum ideo arbitrantur, quòd milites custodiæ causa, captiuorum uenalium greges circumstarēt, quam militum circumstationem coronam appellarunt. Primam tamen opinionem ut ueriorē probat Cato in libro de re militari, Gell. lib. 7. cap. 4. Blond. lib. 4. Rom. triumph. Alexan. ab Alex. lib. 3. cap. 16. Budæus in Pandect. Cælius lib. 7. cap. 13. & lib. 25. cap. 22. Lect. antiq. Aliam autem in captiuis diuendendis consuetudinem, ostendit Plinius lib. 35. cap. 17.

Mummio.] Lucio Mummio, qui Dractū ducem Achæorum apud Isthmon uicit, & omni Achaia in deditionem accepta, Corinthum quoq; ex S. C. diruit, quòd ibi Romanorum legati uiolati essent: ut scribit Liuius lib. 52. & Volaterranus lib. 17. cap. 1.

Collega segniore.] Segnitiem eius infrà cap. 60. in eius uita ostendit, cum ait aduersus Corinthios missum, uictoriā alieno labore quæsiuisse.

Vtinā mihi dedissetis, aut non dedissetis.] Hanc Scipionis sententiā Valer. inter grauiter dicta & facta retulit: qua innuit, multo satius esse nullum omnino se habere Censuræ collegam, quàm talem, qui magnæ quidem nobilitatis, sed eneruis

& dissolutioris uitæ esset. Vide Valer. Max. lib. 6. cap. 4. § 4. Eras. Roterod. lib. 8. Apoph.

Agrariorum causa.] Hoc est, posteaquam Tyberio Graccho, qui de diuidendis agris legem seditiosam promulgauerat, aduersarius esset. de qua lege Liuium lib. 25. Appian. lib. 1. de bellis ciuilibus, Plutarch. in uita Gracchorum, Cicer. contra Rullum, & Plinium infrà cap. 64.

Exanimis inuentus.] Clandestinis enim insidijs mors illi illata est, nullo huius facinoris authore inuento: tamen dubium non est, quin à Gracchi (cuius restiterat legi) confœderatoribus interemptus sit. Vide Valer. Max. lib. 8. cap. 16. § 4.

Obuoluto capite elatus.] De huius exequijs lege Plinium lib. 7. cap. 44. sepulchro uerò, Martianum lib. 7. cap. 17. qui Scipionum sepulturam in uia Appia fuisse scribit.

Ne liuor in ore appareret.] Dupliciter hic locus exponi potest. Primò quidem ideò Aemilianũ iam interemptum, obuoluto elatum esse capite, ne liuor, hoc est uestigia, colores, uel tumores, aliæq; ueneficij notæ apparerent. Liuor enim & tumor ueneficij signa sunt communia: ut author est Cicero in Rhetoricis ad Herennium, & Quintilian. lib. 5. Aut ne mortui etiam facies torua liuorem, hoc est inuidiam erga Gracchum, legis authorem præ se ferret: solet enim facies plerunq; repræsentare,

tare, quæ in cordis nostri penetralibus concepta sunt.

Patrimonium tam exiguum.] *Hic enim Scipio maximus imperator, tantæ fuisse traditur abstinentiæ, ut annis quatuor et quinquaginta nihil dicatur emisse, nihil uendidisse, nihil ædificasse: atque in tanta rerum affluentia & opibus, quibus Carthaginem & Numantiam deleuit, haud plus tribus & triginta argenti libris, auri uerò duabus reliquisse. Itaque cum per socios & exteras gentes iter faceret, non mancipia eius, non opes, non uictoriæ numerabantur: sed quantum amplitudinis, continentiæ, & abstinentiæ pondus secum ferret, æstimabatur. Vide Valer. Max. lib. 4. cap. 3. § 16. Alexand. ab Alex. lib. 1. cap. 18. Cælium Rhod. lib. 26. cap. 22. Lect. antiq.*

Libras argenti.] *Libram ex duodecim uncijs, hoc est denarijs duobus & septuaginta, siue drachmis 96. constare legimus. Libræ autē pondus æris, inquit* Plin. *lib. 23. cap. 3. imminutum bello Punico primo, quum impensis* Respub. *non sufficeret, constitutumq́; ut asses sextario pondere ferirentur, id est duarum unciarum, precio tamen libræ unius seruato. Cui astipulatur quoq;* Cælius Rhodiginus *lib. 10. cap. 2. Quanti autem æstimetur libra auri, uel argenti, lege* Budæum *de* Asse, Alciatum *de* Ponderibus *& mensuris,* Plin. *lib. 21. cap. 34.*

34. Alexand. ab Alex. lib. 2. cap. 20. Philip. Melan. in libello de Re nummaria.

Reliquerit.] *Plinius lib. 33. cap. 11. Naturalis historiæ, triginta duas argenti tantum libras hæredi reliquisse scribit, cum tamen in triumpho de Pœnis quatuor millia, 470. pondo transtulerit. Obijt aũt Scipio Aemilianus, expletis quatuor et quinquaginta annis: ab Vrbe autem condita, 622.*

DE AVLO HOSTILIO MANCINO.

Caput LIX. 59.

AVlus Hostilius Mãcinus prætor aduersum Numãtinos, uetantibus auibus, & nescio qua uoce reuocante profectus cũ ad Numantiam uenisset, exercitũ Pompeij acceptum prius corrigere decreuit, inde solitudinẽ petit. Eo die Numantini forte solenni nuptu filias locabãt. & unã speciosam duobus cõpetentibus, pater puellæ conditionẽ tulit, ut ei illa nuberet, qui hostis dexterã attulisset. Profecti iuuenes, abscessũ Romanorũ in modũ fugæ properãtiũ cognoscũt: rẽ ad suos referũt. Illi statim quatuor millibus, uiginti millia Romanorũ ceciderũt, Mãcinus, autore

autore Tiberio Gracchio quęstore, in leges hostiũ fœdus percusit: quo per senatum improbato, Mancinus Numantinis deditus, nec receptus: augurio in castra deductus, præturam postea consecutus est.

IN CAPVT LIX.

Aulus.] *Alij qui paulo pòst citantur, ferè omnes uocant Caium. Plinius uerò lib. 35. cap. 4. Lucium appellat. Est aũt ille Mancinus qui prius Carthaginem irruperat: quo facto effecit, ut proximis comitijs cum M. Aemilio Lepido consul crearetur. Cuius cum Manulia meretrice historiã ex Attei Capitonis libro Coniectaneorum 8. recitat Gellius lib. 4. cap. 14.*

Vetantibus auibus.] *Romanos nunquã bella gessisse nisi auspicatò, diximus alibi suprà: inter alia tamen auspicia, quæ ueteres maxima cura cultuq; obseruarunt, nõ paruæ æstimationis fuisse legimus pullos, quibus è cauea emißis puls dabatur. Et tametsi antiquo augurũ decreto, omnis auis tripudiũ facere poßit: tamẽ inter eas præcipui fuêre pulli Melici & Chalcidici, quibus tantũ fabulosa uetustas religionis ascripsit, ut nisi his monẽtibus, comitia non haberent, nullos ad honores prouehe rent, non senatũ consulerent, nõ bella uel pacẽ inirent, nihil denique domi forisq; agerent, quod ab his*

ab his non prædictum, uelut deorum monitu magna cura pensitarent. Vide Alexand. ab Alex. lib. 5. cap. 13. & lib. 1. cap. 29.

Nescio qua uoce.] Tribus prodigijs monitum legimus Mancinum: ille enim cum iturus in Hispaniam rem diuinã faceret, pulli è cauea missi in proximam syluam fugierũt nec amplius inuenti sunt. Deinde cum ab Herculis portu nauem conscenderet, horrenda uox, incerto autore, audita est: Mancine mane, mane Mancine, clamitans: qua terrefactus uoce, cum pedes Geneuã petijsset, ibidemq; nauem ingressus esset, miræ magnitudinis serpens uisus est, qui deinde tenues euanuit in auras. De quibus prodigijs lege Ciceronem libro 3. Officior. Oros. lib. 5. cap. 4. Eutrop. lib. 4. cap. 7. Flor. lib. 55. Abbreuiat. Liuij, Iulium Obsequentem cap. 22. Prodigior. Francis. Petrarc. lib. 4. tract. 5. cap. 15. Rer. memor. Volater. lib. 18. cap. 3. in fine Vrban. com. Valer. Max. lib. 1. cap. 6. § 7. Sabell. lib. 9. Enead. 5. Rhapsod. Anton. Florent. Tomo 1. tit. 4. cap. 5. § 17.

Pompeij.] qui prius fines Numantinorum ingressus, accepta maxima clade discessit, non solum exercitu omni profligato, uerumetiam plurimis nobilium, qui eius militiæ aderant, interemptis: teste Orosio & Eutropio.

Exercitum prius corrigere.] Quæ fuerit militaris

militaris Romanorum *disciplina, copiosè leges apud* Alexand. *ab* Alexand. *lib.1. cap.20.* Blond. *lib.6.* Rom. *triump.* Exemplis *demonstratum apud* Valer. Maximum, *&* Fulgosum *lib.2. cap.2.* Frontinum *lib.4. cap.1. Stratagematum.*

Solenni nuptu.] Qua *solennitate, quibusq; cæremonijs nuptiæ tam apud* Romanos *quàm apud exteros celebratæ sint, scribit* Plutarchus *in præceptis* Connubialibus, Alexand. *ab* Alexand. *lib.1. cap.24. & lib.2. cap.5.* Cælius Rhodiginus *lib.28. cap.18. &* Budæus *in annotat. in Pandectas.*

Viginta *millia* Rom.] A' *quatuor millibus* Numantinorum, *quum ipse triginta armatorũ millia haberet, sæpius uictum, & ad postremum castris exutum legimus apud* Sabell. Ennead. *5. lib.9.*

T. Graccho *quæstore.*] *scilicet prouinciali. plura enim fuerunt quæstorum genera, de quibus* Fenestella *cap.3. &* Pomp. Læt. *cap.17. de magistratibus* Rom. Pomp. *tit.2. primo ff.* Vlpianus *tit.13.1. digest.* Budæus *in* Annot. *in pandect.* Flauius Blond. *lib.3.* Romæ *triumphantis.*

In leges hostium fœdus percußit.] Adeò *infœliciter (ut apud* Oros. *&* Eutrop. *legimus) prælia cuncta geßit, ut in desperationem ductus, turpißimum fœdus cum* Numantinis *facere cogeretur: quamuis &* Pompeius *aliud æquè infame fœdus cum eisdem paulò ante pepigiſſet.*

Fœdus percußit.] Percutiendi *fœderis rationem, tempus, & cærcmonias, lege apud* Alexan. *ab* Alex. *lib.* 5. *cap.* 3.

Per senatũ improbato.] *Fœciales enim sancire, aut pacta concipere haud aliter poterãt, quàm si consulis aut prætoris authoritate intercedẽte, senatusconsulto, iussuq; populi permissum foret.* Cu*ius rei testis est idem* Alexander *eodem in loco*.

Numantinis deditus.] *Senatus dissolui fœdus, &* Mancinum *dedi* Numãtinis *præcepit, qui nudato corpore, manibusq; ad tergũ reuinctis, ante portas* Numantinorũ *expositus, ibiq; usq; ad noctem permanẽs, à suis desertus: ab hostibus autem non susceptus, lachrymabile utrisq; spectaculum præbuit.* Notandum *illud quoque obiter,* Roma*nos duces, qui temeritate uel inscitia exercitum amisissent, aut fugæ & pauoris insimulati essent, aliàs pecunia tantum uel exilio multatos esse. qua de re* Alexander *ab* Alexan. *lib.* 4. *cap.* 6. *in fine.* Verùm *quàm iniustè* Romani Mancinum Nu*mantinis dederint, ostendit* Orosius *lib.* 5. *cap.* 5. *à principio.*

DE L. MVMMIO ACHAICO.

Caput LX.

LVcius Mũmius deleta Achaia Achaicus, aduersus Corinthios missus,

missus, uictoriam alieno labore quæsitam intercepit. Nam cum illos Metellus Macedonicus apud Heracleam fudisset, & duce Critolao priuasset, cum lictoribus & paucis equitibus in Metelli castra properauit: Corinthios apud Leucopetram uicit, duce Dioneo, qui domum refugit, eamq; incendit, coniugem interfecit, & se in ignem præcipitauit: excepto ipso, nemo interijt. Mummius Corinthum signis tabulisq; spoliauit: quibus, cum totam replesset Italiam, in domum suam nihil contulit.

IN CAPVT LX.

Deleta Achaia.] *Græciæ regione undiq; mari circumsepta, præter quàm à septẽtrione, cuius caput est Corinthus. de qua Strabo lib. 8. Plinius lib. 4. cap. 4. De bello autẽ Achaico à Critolao concitato, qui libertate à Romanis data, aduersus ipsos usus est: & legatos Romanos uel manu, uel oratione uiolauit, lege Florum lib. 5. Abbre. Liuij, & lib. 2. cap. 16. Iustin. lib. 34. Orosium lib. 5. cap. 3. Eutrop. lib. 4. cap. 6. Valer. Max. lib. 7. cap. 5. §4.*

Victoriam alieno labore quæsitam.] *Mummij*

huius segnitiē & socordiā notat Scipio Aemilianus in cēsura collega, cum dixit, Vtinā mihi collegam aut dedissetis, aut non dedissetis: cuius rei meminit Plinius suprà cap. 58. Huc aūt pertinēt prouerbia apud Erasmū, Alieno ferox præsidio, &, Alieno auxilio potens: item apologus Aesopicus, de cornicula quæ alienis se ornabat plumis.

Cum Metellus fudisset.] Metellus prætor, Achæos Bœotiosq; coniunctos duobus bellis uicit, primò quidem apud Thermopylas, & iterum in Phocide, in quorum prima clade occisa esse uiginti millia, secunda uerò septem millia cæsa esse, Claudius historicus refert: Valerius autem Antias in Achaia pugnatū, & uiginti millia Achæorum cum duce suo Dieuco cecidisse, confirmat. At uerò Polybius Achiuus semel tantum in Achaia pugnatum Critolao duce, asserit: cui astipulari & Plinius noster uidetur.

Apud Heracleam.] Flor. lib. 2. cap. 16. scribit Metellum consulem, per patentis Elidis campos, toto cecidisse Alpheo, & uno prælio peractum esse bellum: uerū cum Metellus dimicaret, ad uictoriā Mummium uenisse, qui alterius ducis magnanimitate exercitum sub ipsis Isthmi faucibus fudit, geminosq; portus sanguine infecit.

Duce Critolao.] Achæi nominis principe, cuius instinctu & impulsu Romanorum legati contra ius

ius gentium uiolati erant: qua de re uide Sabell. lib.6.Ennead.5. Rapsod. Volater.lib.17.cap.1. & lib.38.cap.8.Vrban.com.

Cum lictoribus.] *Duodecim scilicet, qui consulem sequebantur. Consulibus enim in urbe duodecim lictores cum fascibus tantum, demptis securibus: foris uerò, aut in decreta sibi prouincia, aut cum castris & legionibus præessent, fasces cum securibus, unaq; lictores, apparitoresq; præcedebant.* Lege Alexand. ab Alexand. *lib. 1. cap. 27.* Fenestellā *cap.7.de* Magist. Romanorum.

Leucopetream.] Leucopetram *uocat* Strabo *lib.6. &* Plin.*lib.3.cap.5.Est autem promontorium, quod è* Rhegio *ad orientē nauiganti occurrit, quod à colore ita, quasi album saxū uocarūt.*

Dioneo duce.] Hunc Orosius Dieuum, Eutropius *uerò* Dieucum *uocat, quem* Valerius Antias *cum uiginti suorum millibus cecidisse ait.*

Eamq; *incendit.*] Ne *quicquam suarum rerum in hostium manus ueniret. eo enim ipso die capta urbe, permissa est omnibus captiuos prædandi licentia: sicq; omnia cædibus ignibusq; consumpta sunt, ut propter multitudinem & uarietatem statuarum & simulachrorum, ita auro, argento & ære omnia fluxisse constet, quòd in hodiernū usque diem, siue ex ipso, siue ex imitatione eius æs* Corinthium, & Corinthia *uasa dicantur.* Vide

Orosium & Eutrop.ut suprà, et Plinium lib. 34. cap. 2. Cælium lib. 21. cap. 25.

Excepto ipso nemo interijt.] Sic omnia exemplaria habent. Mendum autem hic esse arbitror, licet nolim temere quicquam uel addere uel demere, sine autoritate grauißimorum autorum. Apud Eutropium & Orosium & alios tamen, legimus apertißimè, omnia incendio & ferro hoc in bello consumpta esse: unde multi desperantes, ne in hostium uenirent manus, partim ferro, partim ueneno (ut in excidio Numantiæ) mortem sibi ipsis consciuerunt. Et hinc ducem quoq; belli ueneno interijsse apud Sabellicum legimus: quorum autoritate ductus sic, potius legendum existimarem (saluo semper & incolumi aliorum iudicio) Coniugem interfecit, & in ignem præcipitauit, accepto ipse ueneno interijt, &c.

Corinthum.] Achaiæ caput et Græciæ decus. de cuius potentia & rerum ubertate copiosè Strabo lib. 8. Plinius lib. 4. cap. 4. lib. 31. cap. 2. Mela lib. 2. cap. 3. Volater. lib. 9. cap. 1. Cælius loco citato. Corinthum autem oppidum postmodum restituit Augustus, mißis eò colonis libertini generis, & Octauiæ ibidem in medio foro templũ constituit, teste Pausania & Strabone. Captum autem & excisum legimus apud Appianum, Olympiade 160. Plinium uerò anno tertio Olympia-

dis

dis 156. qui fuit urbis Romæ *sexcentesimus o-ctauus: quanquam ne* Plinio *quidem, quod ad urbis annos attinet, tempora omnino constare ui deantur, si uera sunt quæ* Liuius *&* Eutropius *tradunt, ex quibus colligimus anno 606.* Corin*thum deletum.*

Signis.] *signorum enim & tabularum per quam studiosos fuisse* Romanos *alibi suprà diximus. Sed de signis ex* Corinthi *incendio* Romam *translatis, lege* Plin. *lib.34.cap.7.qui ait* Mum*mium urbem* Romanam *signis repleuisse, & lib.35.cap.4.*Cæl.Rodig.*lib.29.cap.24.*

Tabulisq́;.] *ex his tabulis fuit una* Aristidis *manu fabrefacta, quæ* Liberum *patrem continebat, quam in uendenda præda hostili rex* Attalus *sex millibus sestertiûm à* Mummio *emit, cuius precium miratus uenditor, suspicatus in ea aliquid uirtutis esse, quod ipse nesciret, reuocauit tabulam,* Attalo *diu multumq́; quærente, &* Cereris *templum posuit: quam primam picturam exteram putant* Romæ *publicatam.* Huius *rei testis sunt* Plinius *libro 7. capite 38. & libro 35. capite 4. libro 35. cap. 10.* Cælius Rho*diginus li.29. cap.4.*

In domum suam nihil contulit.] Magnum Ro*manæ continentiæ & abstinentiæ exemplum:* A*deo enim nihil ex tanta hostium præda in usum*

ſuum conuertit, ut filiam eius inopem Senatus ex publico dotauerit, teſte Plinio lib. 35. cap. 4. Cælio Rhod. lib. 29, cap. 24. Frontino lib. 4. cap. 4. § ultimo. Cicer. lib. 2. Officiorum, ubi docet, magiſtratus continentes, & ob omni auaritia alienos eſſe debere.

DE Q. CAECILIO METELLO MACEDONICO. *Cap. LXI.*

QVintus Cæcilius Metellus, à domita Macedonia Macedonicus, prætor Pſeudophilippum, qui idem Andriſcus dictus eſt, uicit. Achæos bis prælio fudit, triumphandos Mummio tradidit. Inuiſus plebi ob nimiam ſeueritatem, & ideo tertiò poſt duas repulſas, conſul ægrè factus, Arbachos in Hiſpania domuit. Apud† Contrebiam oppidum cohortes loco pulſas redire, & locum recipere iuſsit. Cum omnia proprio & ſubito conſilio ageret, amico cuidam quid acturus eſſet roganti: Tunicā, inquit, meam exurerem, ſi eam conſilium meum ſcire exiſtimarem. Hic quatuor filiorum pater,

† *al. Canta*

pater, supremo tempore humeris eorum ad sepulchrum latus est. Ex quibus treis consuleis, unum etiam triumphantem uidit.

IN CAPVT LXI.

Cæcilius.] *Cæcilij adpellati sunt à Cæculo Prænestæ urbis cõditore, testante* Alex. *ab* Alex. *lib.* 1. *cap.* 9. *Genialium dierum.*

A' domita Macedonia Macedon.] *à deuicta et subacta Macedonia, cognomen sortitum esse, testantur quoq; Plinius lib.* 7. *cap.* 44. *& lib.* 34. *cap.* 8. *Sabell. lib.* 8. Ennead. 5. Rapsod. *& libro* 7. *cap.* 8 § 7. *Ethnicorum exemplor. & alij. Huius autem Metelli uitam omnem breuiter descriptam leges apud* Lorbardum *de Syricho, cap.* 13. *Supplementi in* Petrarch. *&* Volaterran. *lib.* 17. *cap.* 1. *Vrban. com.*

Pseudophilippum.] *qui Macedonia ingenti incolarum fauore occupata, regem unà & populi* Rom. *hostem se profitebatur. Qua de re* Flor. *lib.* 2. *cap.* 14. *& li.* 50. *Abbreuiat. Liuij,* Eutrop. *lib.* 4. *cap.* 4. *& qui præterea de bello Macedonico tertio scripsere.*

Andriscus *dictus.*] *Abiectæ fortunæ homo fuit, qui aliquando fulloniã exercuit artem: uerùm cũ ex pellice Philippi, uel ut ait Liuius, Persei filius esset, atq; omnib. corporis lineamentis Philippo*

persimilis, Philippi quoq; nomen usurpauit, Demetrio *Syriæ rege subornante.* Nam *Persæ Macedoniæ regis filium se finxit, atque ex urbe Roma profugisse se dicebat, quem tanto omniũ consensu ac fauore Macedones exceperunt, ut mox Macedonici regni possessorem fecerint. lege Liuium libro 49. & 50. Flor. libro 2. capite 14. Fulgos.* Genuens. *libro 9. cap. 16. § 1.* Cœlium Rhodig. *libro 9. capite 18. similia autem exempla apud Valer. Max. lib. 9. cap. 16.*

Vicit.] *Occisis uiginti Macedonum millib. uel ut alij, septem & uiginti millibus.*

Achæos.] *Ponti accolas. Dicti sunt autem Achæi ab Achæo, qui cædem patrans in oram Lacedæmoniã, profugus se recepit, & eius loci accolas Achæos uocari uoluit. Vide Strab. lib. 8. & quos citauimus suprà cap. 53.*

Bis prælio fudit.] *Achæos bis prælio fusos esse, Liuius testis est, qui ait, primò uictos esse ad Thermopylas, Metelli ductu: mox in Isthmo à L. Mummio consule, qui illi successit, atque secundũ eam pugnam, omne Achaicum nomen in deditionem acceptum. Iustinus autem libro 34. unius tantum pugnæ author est. Metellum autem bis Achæos uicisse ostendimus suprà cap. 60. ferè à principio, ubi occisorum quoque numerum recitauimus: quorum Cenchreas & Lechas, quibus duo*

bus duo diuersa maria allatrant , sanguis infecit. Vide Oros.lib.5.cap.3.Eutrop.li.4.cap.6.Flor. lib.2.cap.16.& lib.50.& 51. Abbreu.Liuij. Sabellicus lib.8.Ennead. 5.

Triũphandos dedit Mummio.] unde suprà cap. 60.dixit.Mummium aduersus Corinthos mißum uictoriã suã alieno labore quæsiuisse. Docemur aũt præsenti Metelli exẽplo inanem gloriã ubiq; uitandã esse,quã adeo contempsit,ut uictoriæ suis manib.partæ,nõ solũ nõ particeps esse uoluerit, sed omnem rerũ gestarũ famã Mummio ignauißimo homini tradiderit.

Ideo post duas repulsas.] Ita enim legendum est,cum aliàs ita legatur: ideo tertiò post duas repulsas &c. Nam ternarium etiam numerũ apud Volaterranum lib.17. (ubi hæc Plinij uerba recitantur) omissum esse uidemus, ne tertium consulatum geßisse Metellum Macedonicum affirmare uideatur,cum semel tantum cum Lucio Metello Caluo consul fuerit, Anno(iuxta Glareani nostri supputationem)tertio Olympiadis 159. Vrbis autem conditæ. 611.

Duas repulsas.]Harum repulsarum meminere Plut.in uita Coriolani propè finẽ.& Val. Max. li.7.cap.5.§ 5.De repulsis aũt plura diximus suprà in Aemilio Paulo,cap.56.

Consul ægrè factus.] Non quidem ideo

quòd

quòd tantis honoribus indignus, sed quòd nimiū seuerus esset, & de pœna legibus constituta nihil remitteret. Nam *suffragium populus & uulgus præcipuè ferebant, non senatores. uerùm quando aliqua de re ferendum erat suffragium, senatoribus orationes ad populum habere licebat.* Vide *de suffragijs* Alexand.*ab* Alex. *lib.* 4. *cap.*3. & *cap.*11.Blond *lib.*3.Rom.*triumph.*

In *Hispania domuit.*] Metelli *res gestas in* Hispania, *lege apud* Flor.*lib.* 2.*cap.*17.*et lib.*53. Ab *breuiat.*Liuij, Valer. Max. *lib.* 7. *cap.*5. §4. & *lib.*2.*cap.*2.§ 10. Hi *autē Hispaniæ populi* Turduli *appellabantur, de quibus* Strabo *lib.*3. Plin. 4. *cap.*21.Mela *lib.*3.*cap.*1.*nos hodie illam partem* Hispaniæ, *quam uicit* Metellus, Bethicam *seu* Granatam *adpellamus.*

Cantabriæ oppidum.] Cantabri Hispaniæ *populus, in* Galeria *prouincia ad* Pireneū *habitant, uel in extremis* Lusitanis. *finitimi sunt ijs qui tractum trans* Duriam *seruant.* Hi *hodie sunt* Gascones, *quos alij uocant* Vascones, *populi olim efferi, & ad arma nati.* De *quibus* Strabo *libro* 3. Plinius *lib.*3.*cap.*3.*lib.*4.*cap.*20. Mela *libro* 3. *cap.*1.Volaterranus *lib.*2.*cap.*5.Vrban.*com.*Horatius *lib.*2.Carminū, *Cantabrum indoctum, etc.* Syl.Ital.*lib.* 3. *Cantaber ante omnes, &c. & lib.* 5.*Tum quoq; non alius, &c.*

Cohortes loco pulsas.] In Hispania quinque cohortes, quæ hostib. cesserant, testamentū facere iussas, ad locum recuperandum remisit, minatus non nisi post uictoriam receptū iri. Vide Front. lib. 4. cap. 1. § 25. Stratagematum.

Amico cuidam.] Hoc est, cuidam ex iuniorib. tribunis militum. Extat autem hoc apophthegma apud Plutarch. in Romanorum apoph. § 11. Cæl. Rhod. lib. 13. cap. 5. Eras. Rot. li. 5. Apoph. suarum. Front. lib. 1. cap. 1. § 12.

Tunicam meam exuerem.] Taciturnitatis insigne exemplū est, quo monemur, consilij nostri rationes, & præsertim in rebus arduis, nō cuiuis aperiendas esse. Sermo quippe ab uno primoq; recedēs, uerè arcanus est, ac dicitur: at si alteri communicetur, iam famæ ordinē subit. uerba enim ἔπεα πτερόεντα, hoc est alata & uolātia, poeta dixit. Simile aūt ferè Antigoni respōsum apud Plu. in Regū & imperatorū Apoph. legimus, qui Philippo filio multis præsentib. percōtanti, quando castra moturus esset? Ecquid times, inquit, ne solus tubā nō audias? Notans adolescētis imperitiā, qui hoc percōtaretur cæteris audientibus, quū in bello celanda sint cōsilia principiū: sed quoties castra mouēda sunt, tum omnib. tuba dat signum.

Hic quatuor filiorū.] Plinius lib. 7. cap. 13. Q. Metellū Macedonicū sex filios reliquisse ait, undecim ne-

decim nepotes: nurus uerò generosq́; et qui se patris adpellatione salutarent 27. Quatuor autem filios, Plutarchus de fortuna Romanorũ, quorum hoc loco Plin. meminit, nominat. Q. Balearicum, Lucium Diadematum. M. Metellum & C. Metellum. De quibus leges quoque Cœlium Rhod. lib. 17. cap. 22. & Volat. lib. 17. cap. 1. Anthrop.

Humeris eorum ad sepulchrum.] *Val. Max. lib. 4. cap. 1. § 12. hunc Metellum filios suos admonuisse ait, ut funebri eius lecto humeros subijcerent. non enim fore, ut postea id officium, ab illis maiori uiro præstari poßent.*

Ex quibus tres consulares.] *Dissentiunt paulisper à Plinio nostro alij. Valer. quidẽ Max. li. 7. ca. 1. § 1. ubi de mira Metelli fœlicitate loquitur, ait eodem tempore, tres filios consulares: unũ etiam Censorium, duos triumphales & quartum prætorũ uidiße. Plin. etiam lib. 7. cap. 44. à quatuor filijs rogo illatũ ait, et uno quidem prætore, tribus consularibus, duobus triumphalibus, uno Censorio quæ singula paucis cõtingere Ro. quib. astipulatur quoq; Sabell. lib. 7. cap. 8. § 7. exem.*

DE Q. CAECILIO METELLO NVMIDICO. Cap. XLVII.

QVintus Cæcilius Metellus Numidicus, qui de Iugurtha rege triũphauit, censor Quintiũ, qui se Tiberij

berij Gracchi filiũ mentiebat̃,in cen-
ſum nõ recepit. Idem in legem Apu-
leiã per uim latã iurare noluit: quare
in exilium actus, Smyrnæ exulauit.
Claudia deinde rogatione reuoca-
tus, cum ludis forte literas in theatro
accepiſſet, non prius eas legere di-
gnatus eſt, q̃ ſpectaculum finiretur.
Metellũ ſororis ſuæ uirũ laudare no
luit, quod is olim ſuum iudicium &
leges detrectarat.

IN CAPVT LXII.

Metellus Numidicus.] *Quod in Numidia forti ter aduerſus hoſtes pugnaßet*, Numidius *dictus eſt,teſte* Plut. *in uita* C. Marij.

Iugurtha rege.] *Numidiæ,ut aſtuto,ita quoq; bellicoſo,quem tamen urbib.exutũ,ac finiũ ſuorũ regniq; fugitiuũ,per* Mauros *atq;* Getuliã *ſequutus eſt, & captum,in triumphũ duxit. Verùm de* Romanorũ *aduerſus* Iugurthã *bello, copioſè* Saluſt. Flor. *lib.3.cap.1.et lib.62.et quinq; ſequenti bus* Abbreu. Liuij, Plut. *in uitis* Marij *&* Syllæ. Oroſ. *lib.5.cap.15.*Eutr. *lib. 4. cap. 8. meminit* Val. Max. *li.2.cap.2.§ 3.et li.6.cap.11.§ 5.*Frõt. *lib.1.cap.8.§ 7.lib.2.cap.1.§ 13.et cap. 4. § 10.*

Plin.

Plin. infrà cap. 72. & 67. Gestũ est aũt hoc bellũ Iugurtinum anno Vrbis cõditæ. 635. P. Scipione Nasica & L. Calphurnio Bestia consulibus.

Qui se Gracchi filium mentiebatur.] *Multi inuenti sunt apud ueteres, qui aut propter effigiem similem, aut alia fraude adiuti, alienis se familijs inserere, aut aliorum nomina inuadere ausi sunt: quorum catalogum uide apud Val. Max. & eius simiam Fulgosum Genuensem lib. 9. cap. 16.*

In censum non recepit.] *Census primùm à Seruio Tullio institutus est, res saluberrima tanto futuro imperio, ex quo belli pacisq; munera, nõ uiritim ut antè, sed pro habitu pecuniarũ fiebant. Ad hanc aũt pecuniam exigendam, censores etiã aliqua ex parte creati sunt, censum ab ijs exigentes, qui centum millia nummûm in possessione haberent. Vide Blond. lib. 3. Romæ triumph. Alex. ab Alex. lib. 6. cap. 15. & Budæum.*

In legem Apuleiam.] *Lucius Apuleius Saturninus tribunus pleb. legem agrariam, à Gracchis antea latam renouabat: cui Metellus restitit, nec ui tribunitia cogi, nec amicorum hortatu adduci potuit, ut in eam iuraret. Qua de re copiosè Appian. lib. 1. bellorum ciuil. Flo. lib. 3. cap. 16. et li. 69. Abbre. Plut. in Mario. Aymarus Riuallius li. 2. historiar. iuris ciuilis. Plin. infrà cap. 73. & alij qui eo loco citantur.*

Per

Per uim.] *Rogandis enim Gracchorum legibus tam uehementer incubuit, ut senatũ quoq; cogeret in uerba iurare: quum abnuentibus, aqua et igni interdicturũ se minaretur. Vt has praeterea leges firmaret, omnem nobilitatem repugnantem sibi percußit: eoq; uesaniae progressus est, ut consularia quoq; comitia, noua caede turbaret. qua de re copiose* Appianus.

Iurare noluit.] *Metellum non tantum iusiurandum renuisse, sed constantißimo animo caeteros quoq; aduersus legem seditiosam, & reipublicae inimicã incitasse, caeteri scribunt. Vnde uirum, patriae salutem in primis quaerentem,* Glaucia & *Apuleius omnibus impunè interficiendum tradiderunt.*

In exilium actus.] *Non defuerunt uiri, patriae studiosißimi, qui Metellum armis aduersus Apuleianorum uim defendissent: tamen cum animaduerteret, quò tribunorum plebis funesti conatus tenderẽt, quantoq; malo Reipub. erupturi essent, in exiliũ ire, quàm sanguine patriam replere maluit.* De eius autem exilio uide paulo antè citatos: item Florum lib. 3. cap. 17. Valer. Max. lib. 3. cap. 8. § 5. Plutar. in C. Mario, Sabell. lib. 2. Ennead. 6. Plin. infrà cap. 63. Volater. lib. 13. cap. 4. in Apuleio, & lib. 17. cap. 1. in Metello.

Smyrnae exulauit.] *Liuius lib. 69.* Epitomes, & Vo-

& Volat.lib.13. non Smyrnæ, sed in Rhodo exulasse scribit. Est autem Asiæ minoris ciuitas Smyrna, quam fluuius Meles circunfluit, olim à Theseo Thessalo cōdita, qui in Smyrnæ uxoris suæ memoriam, ita urbem nominari uoluit. Habet autē hæc ciuitas bibliothecam insignem, cum Homeri templo & statua: nam & hæc maximè hunc poetam sibi uendicat, teste Gellio lib.3. cap.12. De Smyrnæ situ lege Strabonem lib. 14. & Minnermi carmen apud eundem, Herodot.lib.3. & in uita quoque Homeri, Plin.lib.5.cap.29. Melam lib.1.cap. 12. Volater.lib.10.cap.3. Geograph. Pium Pontificem, & Theophrastum lib.9.cap.3.

Exulauit.] Silentio prætereundum non est, exilio damnatos, in certum quendam locum à iudicibus destinatum missos esse, ut eius loci ciues fierent, & Romanam ciuitatem amitterent. Vide Vlpianum lib. digestorum 48. de interdictis & relegatis: quo in loco tria exilij genera Marcellus Iurisconsultus tradit.

Claudia rogatione.] id est, Claudij lege: lex enim quando promulgabatur, rogabatur prius populus, ut ciuitas eam acceptaret: & hinc rogationem uocabant. Quæ autem leges ratæ apud Romanos fuerint, lege Alexand. ab Alex.lib. 6. cap. 23. & lib.6.cap.14.

Reuocatus.] Occiso Saturnino cum Glaucia prætore,

prætore, à Lucio Opimio consule Metellus ab exilio reuocatus est, plurimum resistente Publio Furio tribuno plebis. Huius autem ab exilio reuocationis, gloriose satis meminere Appian. lib. 1. bell. ciuil. & Cicero in oratione post reditum.

Non prius eas legere dignatus est.] *Magnum animi moderationis exemplum Metellus est, qui acceptis literis, quibus in patriam ab exilio reuocabatur, non lætitiam suam ulla ex parte declarauit, sed summum gaudium intra se continuit: quem constat pari uultu & exulem fuisse, & restitutum: adeò animi sui in secundis simul & aduersis rebus moderationem exhibuit. Vide Valerium Maximum lib. 4. cap. 1. § 13.*

Sororis suæ filium laudare noluit.] *Laudationem funebrem intelligit: munus enim funebres dicendi orationes, propinqui, aut amici, aut collegæ assumebant: ut scribit Alexander ab Alexandro libro 3. cap. 7. Sic Marcellus quoque filius, M. Marcellum patrem & consulem interfectum laudauit, teste Liuio libro uigesimo septimo. Ita Caius Cæsar annos natus duodecim, auiam: & postea Tiberius annos agens nouem, patrem defunctum, pro rostris laudauit, teste Suetonio, & Blondo libro secundo Romæ triumphantis.*

Quod is olim suum iudicium & leges.] *Volat.*

lib.17. cap.1. hunc in modum legit: Laudare noluit, quòd is solum iudicium contra leges detrectaret. Est autem inueterati odij manifestißimum exemplum.

DE Q. METELLO PIO.

Cap. LXIII.

QVintus Metellus Pius, Numidici filius: Pius, quia patrem lachrymis & precibus aßiduè ab exilio reuocauit. Prætor bello sociali, Q. Pompedium Marsorum ducem interfecit. Consul in Hispania Herculeios fratres oppreßit. Sertorium Hispania expulit. Adolescens in petitione præturę & pontificatus, consularibus uiris prælatus est.

IN CAPVT LXIII.

Patrem.] Cæcilium Metellũ Numidicum, qui agrariam legem renouantium sæuitia & crudelitate damnatus, & Smyrnam in exilium missus erat: ut præcedenti capite dictum est.

Lachrymis reuocauit.] Ante Publij Furij tribuni plebis pedes prouolutus, multis precibus & lachrymis pro patre exulãte orauit. Vnde ob tam singularem in parentem pietatem, Pius in posterum cognominatus est. De eius precibus et lachry mis

mis lege Appian. lib. 1. bell. ciuil. Valer. Max. lib. 5. cap. 2. §3. & Sabell. lib. 2. Ennead. 6. Rhapſ. & Ciceronem in oratione quoq; Poſt reditum.

Bello ſociali.] A conſociatis ita dictum eſt hoc bellum, in quo Picentes, Veſtini, Marſi, Peligni, Samnites, Lucani, Maurucini arma conſociantes, defecerunt à Romanis: & æquam ſibi libertatem aſſerentes, legatos Romam miſerunt, qui libertatem peterēt. Quibus cum acerbè reſponſum eſſet, bellum Romanis intulerunt, Sexto nimirum Iulio Cæſare & L. Martio Philippo conſulibus, anno uidelicet tertio Olymp. 172. ab Vrbe uerò condita 663. ſecundum Liuium: ſecundum Plutarchum autem in Sylla & Solinum cap. 2. anno conditæ urbis 662. Oroſium, 659. Eutropiū uerò, 649. De quo bello copioſe Appian. lib. 1. bell. ciuil. Florus lib. 3. cap. 18. & à cap. 71. uſq; ad cap. 76. Epitomes in Liuium, Strabo lib. 5. Oroſ. lib. 5. cap. 18. Eutrop. lib. 5. cap. 2. Auguſtin. lib. 3. cap. 17. et cap. 26. Ciuit. Plin. lib. 33. cap. 26.

Q. Pompedium.] Alij Quintum Pompeium legunt, ſed malè. Florus lib. 76. Pompedium Silonem uocat, qui fuit alter ex Marſorum ducibus, & primus huius belli author, qui unà cum Obſidio, altero Italicorum militum imperatore, apud flumen Theanum horribili prælio à Sulpitio interfectus eſt, Oroſio & Eutropio teſtibus.

Marsorum.] *Marsia Italiæ regiuncula, ultra Picenum, uersus Samnites, in Apennini iugis, quæ habuit originem à Marso, Vlyßis & Circes filio, teste Plin. lib. 25. cap. 2. uel (ut apud Syllium legimus) à Marsia, qui uictus ab Apolline, huc cōceßit & regnauit: Sed populis nomen, &c. Et hinc Sociale bellum uocarunt quoq; Marsicum, quoniam à Marsis rebellandi suscitatum fuerat initium, & præsertim à Pompedio. qua de re lege Strabonem lib. 5. & Volater. lib. 6. cap. 4. Geograph.*

Herculeios fratres.] *id est, fratres Herculei Sertorij ducis, qui Domitium cum exercitu prostrauit, & aduersus quem Manlius proconsul Galliæ, in Hispaniam cum tribus legionibus & mille quingentis equitibus transgressus, pugnam conseruit. Qua de re leges Orosiū lib. 5. cap. 23. & Eutrop. lib. 6. cap. 1. à principio: quorū hic Sertorij ducem Hirtuleium, ille uerò Hirculeium uocat. In antiquißimis autem, & omnibus ferè nostri authoris codicibus, Herculeios fratres legimus. omnes enim qui uario & solerti ingenio fortißimum aliquod facinus gessere: uel periculis subleuandis, hominibus profuere: aut alicuius artis ingenuæ author uel princeps foret, à maioribus, Herculis nomina tulisse, Alexand. ab Alex. lib. 2. cap. 14. tradidit.*

Sertorium.] *Quintum Sertorium è Nursia oriundum, per quem Hispani disciplinam rei militaris*

litaris Romanam didicisse ferunt: ut est apud Volater. lib. 19. cap. 3. Vrban. comment.

Hispania expulit.] Gestum est hoc bellum, iuxta Orosij & Eutropij supputationem, anno ab Vrbe condita 673. Marco Aemilio Lepido, & Q. Catulo consulibus, sonantibus undiq; bellorum fragoribus: quorum unum in Hispania erat, aliud in Pamphylia & Cilicia, tertium in Macedonia, quartum in Dalmatia, Front. lib. 2. cap. 13. § 3.

Pontificatus.] Metellum Pium adolescentem adhuc in præturæ, senem autem in pōtificatus petitione cæteris prælatū esse cōstat: apud Valer. enim Max. lib. 8. cap. 14. § 3. legimus, quarto anno post consularia imperia senē admodū, in Pontificem Max. esse creatum, qui tutelam cæremoniarum per duos & uiginti annos sanctißimè geßit. Centesimum autem agens uitæ annum, è uiuis exceßit, teste Plin. lib. 7. cap. 48. De pontificatu autem max. Rom. lege Liuium lib. 1. Dionys. lib. 2. Plutar. in Numa Pompilio, Fenestell. cap. 8. Pompon. Læt. cap. 10. de Sacerd. Rom. Blond. lib. 2. à princip. Rom. triumph. Alexand. ab Alex. lib. 2. cap. 8. & lib. 5. cap. 10. Metelli autem nostri pontificatus meminit Valer. Max. quoq; lib. 1. cap. 4. § 8. lib. 1. cap. 1. § 3. & Sabellicus lib. 5. cap. 1. § 2. Ethnic. exemplor.

DE TIBERIO GRACCHO, *Cap. LXIIII.*

Tiberius Gracchus, Africani ex filia nepos, quæstor Mancino in Hispania, fœdus eius flagitiosum probauit. Periculum deditionis, eloquentiæ gratia effugit. Tribunus plebis legem tulit, ne quis plus mille agri iugera haberet. Octauio collega intercedente, nouo exemplo † magistratu abrogauit. Deinde tulit, ut ea familia quę de Attali hæreditate erat, ageretur, & populo diuideretur. Deinde cum prorogare sibi potestatem uellet, aduersis auspicijs in publicum processit, statimq; Capitoliũ petijt, manum ad caput referens, qua salutẽ suam populo† commendabat: hoc nobilitas ita accepit, quasi diadema posceret. Segniterq; cessante Mutio consule, Scipio Nasica sequi se iussit, qui saluã Remp. uellent: Gracchum in Capitolium persecutus, oppressit. Cuius corpus Lucretij ædilis

al. magistratum

al. cõmendauit

manu in Tyberim missum, unde ille Vespillo dictus. Nasica, ut inuidiæ subtraheretur, per speciem legationis in Asiam ablegatus est.

IN CAPVT LXIIII.

Ex filia.] *Cornelia, quam pater Sempronius adeò dilexit ut uxoris uitam suæ præferret: qua de re suprà cap. 57. dictum est. Corneliam autē hanc Scipionis Africani fuisse filiam, testantur Plinius libro 34. cap. 6. Valer. Max. lib. 4. cap. 2. § 4. Plutarch. in uita Gracchor. Sabell. libro 9. Ennead. 5. Rhapsf. Alexand. ab Alex. lib. 1. cap. 18.*

Mancino.] *Aulo Hostilio Mancino, qui prætor uetantibus auibus aduersus Numantinos infœlicißimè bella geßit: uide Plinium suprà cap. 59.*

Fœdus flagitiosum probauit.] *Mancinus contra Numātinos profectus, cum iam fugatus ab hostibus esset, desperatis rebus caduceatorem ad petendam pacem hostibus misit. At illi nemini se credere, præterq̄ Tiberio Graccho, asseruerunt. missus igitur à Mancino Tiberius, partim suadendo, partim recipiendo fœdus firmauit. ac hoc pacto uiginti Romanorum ciuium millia absq; auxiliarijs, & alijs qui extra ordinem sequuti erant, seruauit: quod tamen fœdus ut turpißimum iudicatū est. De quo fœdere Plutarch. in uita Gracchorum, Flor. lib. 2. cap. 18. Oros. lib. 5. cap. 4. in fine, &*

lib.4.cap.7.& Plin.*suprà cap.59.*

Periculum deditionis.] *In hoc periculum solus* Mancinus *incidit, qui catenis ligatus à* Romanis, *ad portas* Numantinorum *proiectus est, cum potius* Gracchus *fœderis author, eius pœnæ dignus fuisset.* Verùm *quàm iniustè* Numantinus *traditus sit* Mancinus, *lege* Oros.*lib.5.cap.5.*

Eloquentiæ gratia effugit.] *Tanta enim fuit eius eloquentia, ut malam etiam (teste* Plutarcho*) causam sustinere potuerit: quo factum est, ut inter optimos quosq; sui temporis oratores cõnumeratus sit. De cuius eloquentia* Cicero *libro 3. de* Oratore, *&* in Bruto, Plutarchus *in uita* Gracchorum, *& de cohibenda iracundia libello*, Volater. *lib.16.cap.2. De eloquentia autem* C. Gracchi *fratris,* Titus Castritius *apud* Gel.*lib.11.cap.13.et lib.10.cap.3.* Valer.Max.*libro 8. cap.10. § 2.* Cælius Rhodig.*lib.9.cap.7. & libro 25.cap. 7. meminit* Quintilian.*lib.1.*Orator. *instit.cap.1.ubi de* Cornelia Gracchorum *matre eloquentißima.*

Eloquentiæ gratia effugit.] *Præsenti exemplo docemur, quantum ad mouendas hominũ mentes momenti habeat eloquentia, & concinna hominis pronunciatio, quod & poetæ fictis de* Orpheo *&* Amphione *fabulis subindicare uoluere, cũ syluas atq; saxa eos canentes secuta esse, fabulati sunt.*

Legem tulit.] *Ad hanc legem ferendam motus* est

est hac ex causa. Romani quantū uicini agri hostibus adimebāt, partim uendere, partim in publicū redigere, ac egenis ciuibus pro modica pēsione utendū tradere consueuerūt. Sed quū cœpissent diuites eas pensiones augere, pauperesq; excludere, hanc legem ad subleuandam pauperū inopiā promulgauit, ut æqua omnibus agrorū portio esset.

Ne quis plus mille agri iugera haberet.] Sic ubiq; legimus. Plutarchus ait hac lege cautum esse, ne quis ultra quingenta agri millia. Florus autem lib. 58. Abbreu. ne quis ultra decem millia poßideret. De hac re leges Appian. lib. 1. bell. ciuil. Flor. lib. 58. abbreu. & lib. 3. cap. 14. Plut. in uita Gracchor. Cicero in Bruto, Plin. lib. 33. cap. 1. Augustinum lib. 3. cap. 24. ciuit. Oros. lib. 5. cap. 8. & 9. Eutrop. lib. 4. cap. 7. Anton. tom. 1. tit. 4. cap. 5. § 19. Sabell. lib. 9. Ennead. 5. Rhapſ. Volat. lib. 16. cap. 2. Riual. lib. 2. Histor. iur. ciuil. Agraria autē lex quādo, & à quo primum lata, docet Liu. lib. 2. Dec. 1. quā demū M. T. Cicero penitus sustulit: qui quæ mala hanc legē secuta sint, docet lib. 2. Offic.

Tribunus plebis.] Est autem Tribunorū plebis maxima in prohibendo potestas: uno enim prohibente, nihil alij etiāsi plures sint, efficere possunt. de quorum potestate, officio, et dignitate. Alexan. ab Alex. lib. 5. cap. 2. De eorum aūt prima origine Liuius libro 2. Dec. 1. Dionyſ. libro 6. circa finem

August.

Auguſtin.libro 2.cap. 18.Ciuit. Feneſtell.*cap.10.* Pomp.Læt.*cap. 18.de* Rom.*magiſt.* Blond.*lib. 3.* Rom.*triumph.*

Octauio intercedente.] *Scribit* Plutarchus M. *Octauium, quem alij Cneum nominant, ab initio ob amicitiam* Tiberij *recuſaſſe aduerſus eam legẽ intercedere: tamen poſtea multitudine rogantiũ motum, interceßiſſe*

Magiſtratu abrogauit.] Gracchus (*ut apud* Appianum *legimus*) *poſt acerbißimam cum collega* Octauio *contentionem, deos teſtatus eſt, inuito ſe collegam à Tribunatu eijci: tamẽ cum nihil proficeret amica ſua admonitione, demum tribuũ ſortem protulit: quo facto, quàm primum à tribunatu eiectus* Octauius *clanculũ aufugit, &* Q. Mummius *tribunus in eius locum ſubrogatus eſt.*

Nouo exemplo.] *Hoc eſt, contra fas (ut* Flor. *ait.) collegij & ius poteſtatis.* Nam *ne* Tribunus *aliam collegam cooptaret præcipua lege cautum fuit, de qua lege* Alexand.*ab* Alexan. *cap.2. lib.5. à principio.*

Deinde tulit.] De *Tiberij & Caij* Gracchorum *alijs pernicioſißimis legibus, uide* Liuium *lib. 58. & 60. abbreu.* Appian.*lib.1.bell.ciuil.* Plutar. *in uita* Gracchor.Sabell.*lib.1.* Ennead.*6.* Rhapſ. Aymarum Riuallium *lib.2. hiſtoriarum iuris ciuilis.* Nos *ordine enumerauimus in libello, de* Priſcis

Roma-

Romanorum legibus, & plebiscitis.

Vt ea familia.] *Hoc est, ut ea bona, uel eæ res. familia enim hoc loco significat res omnes, tã mobiles quàm immobiles, quæ testamento Attali, populo Rom. obueniebant. sic enim sumitur in lege duodecim tabularum, Agnatus primus familiam habeto, &c.*

De Attali hæreditate.] *Attalus Philopater uel Philometor Asiæ rex ditißimus cum annos quinque regnasset, nec liberos bonorum suorum hæredes haberet, testamento populum Rom. hæredem fecit, qui rege defuncto eam regionem prouinciam fecerunt, & Asiam minorem uocarunt. De hac hæreditate Liuius lib. 58. Epit. Appian. lib. 5. bell. ciuil. Oros. & Eutrop. ut suprà. Iustin. lib. 36. Plutarch. in uita Gracchor. Valer. Max. lib. 5. cap. 2. § 13. Volater. lib. 13. cap. 4. Vrb. com. Sabel. lib. 9. Ennead. 5. Rhaps. De Attalo autem rege uaria scribunt, Plin. lib. 28. cap. 2. lib. 18. cap. 3. lib. 7. ca. 38. lib. 35. cap. 14. lib. 34. cap. 8. lib. 33. cap. 11. Plutarch. in Demetrio, Fulgos. lib 6. cap. 6. § 3. lib. 8. cap. 8 § 4. lib. 5. cap. 5. § 2. Sabell. lib. 5. Ennead. 5. Rhap. & lib. 2. ca. 9. § 8. exempl. & Cælius Rhod. libro 11. cap. 1. ac alij.*

Populo diuideretur.] *Tiberius ut magis plebem irritaret, ueste mutata, natos in concionẽ adduxit, & quasi sibiipsi diffideret, eorum & matris*

salutem

ſalutẽ plebi cõmendauit. Attali igitur teſtamento, Romã à Pergamenis tranſmiſſo, ad populũ ſtatim tulit, ut regia pecunia ciuibus Rom. quibus agri dabantur, pro cultura aſsignaretur. De oppidis aũt quæ Attali fuiſſent, nihil ad Senatũ, ſed ad populũ Rom. pertinere prædicauit, in quo maximè ſenatum Rom. offendit. Qua de re copioſè Plutarch.

Cum prorogare ſibi poteſtatẽ uellet.] Inſignẽ Gracchi, et omnibus neruis abſolutã ad populũ orationẽ, qua ſibi conciliare uoluit ciuiũ animos, ut ſubſequenti quoq; anno contra cõmunem urbis cõſuetudinem Tribunitiã poteſtatem permitterent, leges apud Plutarch. Magiſtratũ autem ultrà præſcriptum gerere, lege Annaria uetabatur: de qua Alexan. ab Alex. lib. 4. cap. 6. Cic. lib. 3. de Legib. Pomp. Læt. § 5. de Legib. Aymarus lib. 2.

Aduerſus auſpicia.] Triſtiſsima auſpicia uiſa ſunt. Aues augurandi cauſa delatæ ſunt, quibus oblata eſca, nulla ipſarum præter unam prodijt, cauea uehementer agitata, etiã iſta quæ prodierat edere noluit. Domo egrediens, pede limen adeò offendit, ut maioris digiti articulus excideret: de quo prodigio peculiariter Alexan. ab Alex. lib. 2. cap. 26. inſuper coruos ad ſiniſtram in ſtillicidio pugnantes conſpexit, lapisq; ab altero coruorum dimotus, iuxta pedes eius prolapſus eſt. De quibus augurijs Valer. Max. lib. 1. cap. 4. § 5. Sabell. lib. 9.

Ennead.

Ennead.5.Rhapſ.Eutrop.cap.7.lib.4.

Capitolium petijt.] *Magna hominum & co mitũ multitudine circumſeptus. Gracchus enim, cum domo egrederetur, nunquam minus terna, aut quaterna millia hominum ſequebatur: ut teſtis eſt Sempronius Aſellio lib.5.rerum Geſtarum, & Gell.lib.2.cap.13.*

Salutẽ ſuam populo cõmendauit.] Hoc eſt ora uit populum, ut ſe uxorem liberoſq; acriter defen derent. Vide Plutarch. Appian.& Sabell.locis cita tis. Sempronius aũt ait filiũ ſuũ multis lachrymis populo cõmendaſſe, quẽ ſucceſſorẽ fore ſperabat.

Quaſi diadema poſceret.] id eſt regnũ affecta ret. Pompeius enim uicinus Tyberij (ut apud Plut. legimus) ſibi exploratiſsimũ eſſe dicebat, diadema et purpurã ex regia gaza per Eudemũ Pergame nũ Gracho delatã ut Romæ regnaturo. dicitur aũt diadema βασιλικὸν ἔνδυμα, id eſt regiũ geſtamẽ: et exponitur apud Rhod.lib.24.ca.6.Lect.antiq. pro faſcia cãdida, quæ regiũ capitib.obligabatur. quod inſigne regiũ, primũ (autore Plin.lib. 17.ca. 56.) Bachus inuenit. Vnde et hodie regia et impe ratoria ornamẽta diademata uocamus, qualia fue rũt ea, quæ Rubeaquenſes olim (lubet enim hæc in patriæ meæ dulciſsimæ laudẽ, licet οὐδὲν πρὸς Διόνυσον addere) Cæſari Hẽrico, eius nominis 4. circi ter annũ à natiuitate Chriſti 1063. interceperũt,

cum

cum scrinijs, in quibus corona, signa, omnisq; Cæsareus cultus seruabatur. quã prædã hosti seditioso non ante restituerunt, quàm impunitatẽ & pacem sibi impetrasse uiderentur. Historiam recitat Beatus Rhenanus lib. 3. rerum Germanicarum, et Sebastianus Munsterus lib. 3. Cosmographiæ.

Segniter cessante Mutio.] Qui tribus uocauit, sed tamen per tumultum, qui ab extremis oriebatur, nil efficere potuit: adeò mixtis atq; incertis omnibus, pellentium atque retinentium factiones fluctuabantur.

Scipio sequi se iußit, qui saluam Remp. uellẽt.] Cum Gracchus interempto senatu, omnia per plebem agi debere dictitasset, in Fidei templo conuocati senatores, armis Remp. à Mutio Sceuola consule defendendam censuerunt. qui cum renuisset, Scipio Nasica (qui, ut suprà cap. 44. legimus, à senatu uir optimus iudicatus est) Quoniam, inquit, Consul dum iuris ordinem sequitur, id agit ut Romanum imperium cum legibus corruat, ego ipse licet homo priuatus, mea sponte ducem aduersus patriæ inimicum offero, & quibus patriæ nostræ salus curæ est, me strenuè sequãtur oro. uide Valer. Max. lib. 3. cap. 2. § 15.

Qui saluam Remp. uellent.] Plutarchus Scipionem alta uoce proclamasse ad populum ait: Quoniam cõsul ciuitatem prodit, qui leges saluas esse

esse cupiunt, me sequantur.

Gracchum in Capitoliũ persecutus, oppreßit.] Volat. lib. 16. sic legit: Gracchum in Capitolio senatus oppreßit. Constat enim Tiberium non Scipionis manu, sed aliorum ictibus interfectum esse. Oros. lib. 5. cap. 9. ait, Gracchũ per gradus quibus itur super Calphurniũ fornicem, fugisse, & fragmento subsellij ictũ, corruisse. Plutarchus autẽ eorũ qui uim Graccho intulerũt, nomina exprimit, quum ait, Publiũ Saturninũ, unũ ex principibus, Graccho subsellij pede caput percußiße, deinde L. Rufum plagã inflixisse, aliosq; Gracchi sectatores circiter 30. fustibus & lapidibus interfectos esse.

In Tiberim missum.] Orosius ait, eorum corpora, qui cum Tiberio interfecti sunt, in Tiberim proiecta esse: Gracchi autem ipsius corpus uel cadauer extabuisse. cui & Eutropius (ut in cæteris plerunq;) astipulatur. Alios autem Tiberij sectatores partim exilio mulctatos, partim miseris modis tractatos esse, copiose apud Plutarchum legimus: ut omnes simul condignas motæ per uim seditionis pœnas luerent.

Lucretij manu.] Fuit ille Lucretius Vespilio, insignis ea tempestate orator, in priuatis causis acutus, & iurisperitus in concionibus aptior, quàm iudicijs, teste Cicerone apud Volaterranum lib. 16. cap. 4. Vrban. comment.

Veſpilio.] hoc eſt, uiliſsimus cadauerum fune rator. Ideo autem Veſpiliones dicti ſunt, quòd ueſpertino tempore mortuos efferre ſolerent, qui funebri pompa, propter inopiam aliàs efferri non poterant. Veſpiliones igitur, cadauerum nudatores Antidamus Heracliopolites in Alexandri Macedonis hiſtoria uocauit, teſte Fulgẽtio in uocum antiquarum interpretationibus.

Vt inuidiæ ſubtraheretur.] Cũ grauis plebi foret Tiberij mors, & iã uindicta accuſatoresq; contra Naſicam pararẽtur, ſolicitus de ſalute Naſicæ ſenatus, liberam ſibi legationem in Aſia decreuit.

In Aſiam ablegatus.] Naſica quanquam maximo ſacerdotio illigatus, tamen ut uitæ euitaret periculum, iubente ſenatu in Aſiam profectus eſt, in qua haud multo pòſt circa Pergamum perijt.

DE CAIO GRACCHO.

Caput LXV.

CAius Gracchus peſtilentem Sardiniã quęſtor ſortitus, non ueniẽte ſucceſſore, ſua ſponte diſceſſit. Aſculanę & Fregellanę defectionis inuidiã ſuſtinuit. Tribunus plebis agrarias & frumentarias leges tulit. Colonos etiam Capuam & Tarentum mittendos cenſuit. Triumuiros

uiros agris diuidendis se, & Fuluium Flaccum, & C. Crassum constituit. Minutio Rufo trib.pleb.legibus suis abrogante, in Capitolium uenit. Vbi cum Attilius, pręco Opimij consulis, in turba fuisset occisus, in forum descendit, & imprudens concionem à tribuno plebis auocauit. Quare accersitus, cum in senatum non uenisset, armata familia Auentinum occupauit. Vbi ab Opimio uictus, dum à templo † Dianæ desilijt, talum intorsit, & † Pomponio amico apud portam trigeminam, P. Lectorio in ponte Sublicio persequentibus resistente, in lucum Furinæ peruenit. Ibi uel sua uel serui Euphori manu interfectus, caput à Septumuleio amico Gracchi ad Opimium relatum, auro expenso fertur, propter auaritiam infuso plumbo grauius effectum.

al. Lunæ

al. Põtino

IN CAPVT LXV.

Caius Gracchus.] Tiberij Gracchi frater germanus: cuius uitã leges copiose descriptã apud Plut.

ſuccinctius uerò apud Volaterranū lib.16.cap.2.

Sardiniam.] *Tyrrheni ſeu Liguſtici maris inſulam: de qua Strabo lib.5. Plin.lib.3.cap.7. Solin. cap.19. Iuſtin.lib.4. Volat.lib.6.cap.10. Vrban. com. de cuius magnitudine diximus ſuprà cap.57.*

Peſtilentem.] *Non autem in Sardinia tantum, uerum etiam in tota Africa, propter locuſtarum multitudinem, ac militum interfectorum nec humatorum cadàuera & fœtorem, peſtem graſſatam eſſe, apud Liuium lib.50. legimus. Siquidem in Numidia octingēta millia hominū, circa oram uerò maritimā plus quàm ducenta millia periſſe traditū eſt. Apud ipſam uerò Vticam ciuitatē, triginta militum millia, quæ ad præſidium totius Africæ ordinata fuerant, abraſa, atq; penitus extincta ſunt: & adeò quidem, ut ex ea ipſa urbe per unam portam, ex iunioribus 1500. mortuos elatos fuiſſe, apud Eutropium lib.4.cap.7. & Oroſium lib.5.cap.11. eo tempore legamus.*

Quæſtor.] *Prouincias ſortiri ſolitos quæſtores, & committendæ rei militari primùm creatós eſſe, legimus apud Vlpianum Iuriſconſultùm: de quorum officio, dignitate, & poteſtate, Feneſtell. cap.3. & Pompon. Læt.cap.17. de Rom.magiſt. Alexand.ab Alex.lib.2.cap.2.*

Non ueniente ſucceſſore, ſponte diſceſſit.] *Eo quòd ex præſcripto legis, exactum ſuæ quæſturæ*

tempus

tempus esset. Erat quippe quæstura, annuus magistratus: licet quosdam prorogato imperio, continuo triennio ærarij curam, & quæsturæ munus gessisse legamus: donec lapsis temporibus, desito quæstoris officio, cura ærarij à quæstoribus urbanis, ad prætorios, prætoresq́; ac præfectos ærarij lege promulgata ab Augusto, translata fuit.

Discessit.] Alij scribũt, in somno C. Gracchum fratris sui interfecti uidisse effigiem, dicentis sibi, nulla ratione eum uitare posse, quin eo fato non periret, quo ipse occidisset: eoq́; somnio territum, ex Sardinia discessisse. Hoc somniũ leges ex Cœlio de Roman. historijs apud Val. Max. lib. 1. cap. 7. § 4. Sabell. lib. 1. Enn. 6. Rhap. et lib. 9. cap. 5. § 3. Ethnic. exem. et Anthon. tom. 1. tit. 4. cap. 5. § 19. Frãcis. Petrar. lib. 4. trac. 3. cap. 5. rerũ memoran.

Asculanæ.] Asculum Piceni colonia, quæ populo Romano inuisa fuit, eo quòd initio belli Italici, Q. Seruilius proconsul, cum omnibus Romanis ciuibus qui in ea urbe erant, occisus est. qua re Liuius lib. 72. De hac colonia Plin. lib. 3. cap. 13. & Volater. lib. 6. cap. 3. Geographiæ.

Fregellanæ defectionis.] L. Opimius prætor Fregellanos, qui bello Sociali defecerãt, in deditionem accepit, & Fregellas diruit, teste Liuio lib. 60. quare C. Gracchus domesticũ bellũ excitauit. Erant aũt Fregellæ eo tẽpore urbs florentissima,

non longè à Velitris *&* Aquino *: quæ cum à* Ro*manis defeciſſet, diruta, & ad uicum iam uſque à* Strabonis *tempore redacta eſt*. Ea nunc, *ſiue ex eius ruinis*, Ponſcoruus *oppidum exiſtimatur, teſte* Volater.*lib.6.cap.1.*Geograph.

Agrarias leges.] *quas* Tiberius *frater eius germanus tulit ante annos 12.unde & interfectus eſt.* De *qua leges* Liuium *lib.2.ab* Vrbe *condita*, Blondum *lib.4.& quos ſuprà cap.64.citauimus.*

Et *frumentarias.*]*ut uidelicet ſemiſſe & triente frumentum plebi daretur. ut eſt apud* Liuium *lib.50. &* Plutar. *in eius uita, &* Aymarum Riuallium *lib.2.hiſtoriarum iuris ciuilis.*

Tribunus *pleb.*]Tribunum *plebis per tumultum creatum eſſe in reipub. perniciem,* Oroſ. *lib.5.cap.11.&* Eutrop.*cap.7.lib.4.ſcribunt : à quo demum tribunatu,*Minutio *ſucceſſore deceſſit.*

Colonos Cap.*&* Tarent.] Agrarijs *legibus latis,ut apud* Liuiũ *legimus,plures totã per* Italiam *colonias, unam autem in ſolo dirutæ* Carthaginis *deduxit.* Fuere *autem coloni,ciues* Romani,*ad urbem aliquam habitandã miſsi, qui non proprijs, ſed populi* Romani *legibus uiuebant.* Vnde *conſtitutum quoq; eſt, ut ſingulæ coloniæ annuam penſionem populo* Romano *penderent : tametſi* Liuius Druſus *trib.pleb.12. colonias ſine onere penſionis deduxiſſe legatur.* Vide Alexand. *ab* Alex. *lib.4.*

lib.4.cap.10. ubi de uarijs quoq; coloniarum generibus tractat. Gell.lib.16.cap.13. Cælius lib.21. cap.21. & Budæus in posterioribus annotationibus in Pandecta.

Capuam.] fertilissimam Italiæ urbem, quam Cicero parens eloquentiæ, legionum horreum, et annonæ solatium subinde adpellat: de qua suprà cap.29. & 42. dictum est.

Tarentum.] inclytam Calabriæ urbem, & in ultimis Italiæ finibus, circa Salentinorum confinia, à Thara Neptuni filio (ut quidam arbitrantur) conditam: de qua Strabo lib.6. Plin.lib.3.cap. 10. Boccatius lib.10.cap.13. Mela lib.2.cap.4. Volater.lib.6.cap.8. Geograph.

Triumuiros agris diuidendis.] Triumuirorum officium erat, ut agros nouis colonis diuiderent, urbes designarent, ædificare uolentibus areas partirentur, commodis regionibus ciuitatem distinguerent, legibus magistratus sisterent, &c. De quorum electione & officio lege Liuiũ lib.3. Dec. 1. in fine, Fenestel.cap.18. de Rom.magist. Blond. lib.3. Rom.triũph. Alexãd.ab Alex.lib.3. cap.16.

Fuluium Flaccum.] Fuit hic Fuluius C.Gracchi familiaris, uir seditiosus, et senatui inuisus: nec plebi charus propter suspicionẽ, quòd fama erat, socios ad defectionem sollicitasse. Qua de re copiose Plutarch. in uita Gracchorum.

C. Crassum.] *Cneum Carbonem, non C. Crassum tunc ex triumuiris cum* Graccho *fuisse, nonnulli memoriæ prodiderunt.*

Minutio legibus suis abrogante.] Scribit Oros. *Minutium tribunũ pleb. non tantum leges abrogasse, sed maxima ex parte decessoris sui* Gracchi *statuta omnia cõuulsisse, & eam ob causam* Gracchum *cum* Fuluio Flacco, *ingenti stipatum agmine, tam celeriter in* Capitolium, *ubi concio agitabatur, properasse.* Cui *astipulatur quoq;* Eutrop.

Attilius.] Plutarchus *non* Attilium, *sed* Antycillium *uocat: quem magnis stylis ea de causa comparatis (dum intestina in sacrificijs* Opimij *asportasset, & bonis uiris e uia discedendũ esse pronunciasset) interfectum esse ait.*

Opimij consulis præco.] *Præter enim lictores, consulem comitabantur accensus & præco, qui dicto cõsulis, uel alterius magistratus, ad imperium nutumq; præsto essent: accensus quidem ut ad concionẽ, præco uero ut ad comitia* Quirites *aduocaret. de quibus lege* Alexan. *ab* Alex. *lib.* 1. *cap.* 27. *& lib.* 4. *cap.* 11. *&* Blond. *lib.* 4. Romæ *triumph.*

In forum.] Scilicet Romanum, *quod inter* Capitolium *&* Palatium *fuisse constat, quod etiam* Latium *uocatur: de cuius magnitudine* Marlianus *lib.* 3. *cap.* 15. *de* Antiquit. Rom. *urbis.*

A tribuno plebis.] *Minutio scilicet* Rufo.

Auoca-

Auocauit.] *id est propter tumultum ne concio ulla fieret impedimento fuit.*

Armata familia.] Apud Orosium & Eutropium *legimus Gracchum togatum breuiq; gladio clam sub tunica armatum cum* Flacco *eiusq; filijs armatis Auentinum occupasse.*

Ab Opimio uictus.] *qui tum consul erat, in eo autem tumultu ducenti quinquaginta ex factione Gracchi interfecti referuntur, quem graphicè apud Oros. &* Eutrop. *depictum leges.*

Templo Dianæ.] Fuit Dianæ *templum in uertice montis Auentini*, Tyberim *uersus (ubi nunc* D. *Sabinæ templum est) à Seruio* Tullio *consecratum: licet alij ab Anco ædem hanc ædificatam existiment. de qua Marlianus lib. 5. cap. 2. &* Blond. *de* Roma *instaurata.*

Talum intorsit.] *Hoc alij ad Semproniũ Gracchum referunt, ex quibus est quoq;* Val. Max. *lib. 1. cap. 4. § 5.* Eutrop. *lib. 4. cap. 7.* Sabell. *libro 9.* Ennead. 5. Rhaps. *Offensiones autem pedum infausti semper ominis fuisse ac portenti, uulgò proditum est: cuius rei multa exempla leges apud Alexand. ab* Alex. *lib. 2. cap. 26.*

Dianæ.] *Alij* Lunæ *legunt, uel ideo quòd fabulosa uetustas* Dianam *germanam solis, quẽ* Apollinem *uocant, finxerit: uel quòd in* Auentini *dorso* Lunam *sacram quoq; ædem habuisse dica-*

tur, ut testis est Ouidius apud Marlianum lib. 5. cap. 2. Topographiæ.

Portam trigeminam.] *Quæ olim Hostiensis dicta est. Hanc autem portã à trigeminis fratribus Horatijs, qui Curiatios ante Albam cæciderunt (de quibus suprà cap. 4. dictum est) quidam appellatam putarunt, quorum sententia doctis quibusdã uiris non sanè probatur. Quandoquidem qua porta exierint, Liuius nequaquam mentionem faciat, qui eos fortè in castris fuisse dicit. et tertiũ qui fuit superstes, porta Campena redijsse, idem quoq; Liuius est autor. Trigeminam item portam fuisse eam, quæ hodie sancti Pauli dicitur, Iulius Frontinus, dum aquæ Appiæ finem describit, ostendit. Trigemina autem porta cur dicta sit nõdum se legisse meminit Blond. lib. 1. de Roma instaurata. De omnibus autem urbis portis Marlian. lib. 1. cap. 7.*

Pomponio.] *Alij legunt Pontino, Volaterranus autẽ lib. 16. cap. 2. ubi ex præsenti capite eandem historiam recitat, Pontinio legit.*

Ponte Sublicio.] *Sub Auentino monte pontem Sublicium fuisse legimus, ex magnis arboribus ab Anco Martio cõstrctum, qui cum postea ab Aemylio prætore factus esset lapideus, Aemylius appellatus est. De quo Plin. lib. 34. ca. 5. Marlian. lib. 7. cap. 7. Blond lib. 1. Romæ instauratæ 23. Valla in Bartholomæum Facium.*

Lucum

Lucum Furinæ.] Furinam deam ad dirimendas lites propitiam putabant ueteres, cuius annua quoq; sacra summa celebritate obseruabant: uide Marcum Varronem de lingua Latina.

Vel sua, uel serui manu interfectus.] Plutarchus scribit Gracchum se in Dianæ retulisse templum, in quo cum sibijpsi manus inferre uellet, à Licinio & Pomponio fidißimis familiaribus prohibitum esse. Constat tamen paulo pòst serui manu interijsse, qui primo dominum, deinde seipsum quoque peremit: quanquam nonnulli ambos in inimicorum manus uiuos adhuc, peruenisse arbitrentur. Tu interim uide Plutarch. Oros. Eutrop. Apian. ut suprà, & Valer. quoq; Max. lib. 6. cap. 8. § 4. Alexand. ab Alex. lib. 1. cap. 18.

Ephori.] Plutarchus hunc seruum Philocratem, Valerius autem Maximus Philocratem quoque uel Euporum appellat.

Septumuleio.] Alij Septimio Attello, alij Sestilio Attilio legunt. sed hic locus ex Plutarcho et Plinio lib. 33. cap. 3. emendandus est.

Caput Gracchi relatum.] Nam promissum erat (Plutarcho scribente) in pugnæ principio, ut qui Caij et Fuluij capita referret, æquum auripondus ex publico acciperet.

Infuso plumbo grauius effectū.] Septumuleius fraude simul et auaritiæ plenus, detracto cerebro, plumbo

plumbo Gracchi caput repleuit: quapropter statera cum impositum esset, librarum decem & septem, ac dimidiæ pondus traxit. Sic regem quoq; Mithridatem Aquillo duci, capto aurum in os infundit, teste Plin. loco paulo antè citato. Gracchorum autem exemplo discendum est, seditiosorum hominum plerunq; tristem esse exitum.

DE MARCO LIVIO DRVSO.
Caput LXVI.

MArcus Liuius Drusus genere, & eloquẽtia magnus, sed ambitiosus, & superbus, ædilis munus magnificentissimũ dedit, & ibi Rubrio collegæ quædam de utilitate Reip. suggereret, quid tibi inquit, cũ Rep. nostra: Quæstor in Asia nullis insignibus uti uoluit, ne quid ipso esset insignius. Tribunus pl. Latinis ciuitatem, plebi agros, equitibus curiã, senatui iudicia permisit. Nimiæ liberalitatis fuit. Ipse etiã professus nemini se ad largiendum præter cœlum, & cœnum reliquisse. Ideoq; cũ pecunia egeret, multa contra dignitatem fecit. Magulsam Mauritaniæ prin-

principem ob regis simultatẽ profu
gum, accepta pecunia Bocho prodi
dit, quẽ ille elephãto obiecit. Adher
balem filium regis Numidarũ obsi
dẽ domi suæ sumpsit, redẽptionem
eius occulte à patre sperans, Cœpio
nem inimicũ actionib. suis resisten-
tem ait se de saxo Tarpeio pręcipita
turum. Cõsuli legibus agrarijs resi
stenti, ita collũ in comitio obtorsit,
ut multus sanguis efflueret è nari-
bus, quæ ille luxuria† comprobans, *al. exprobans*
morti iam detrudi se dicebat. Dein-
de ex gratia in inuidiã uenit. Nam
plebs acceptis agris gaudebat, ex-
pulsi dolebant, equites lecti lętaban
tur. Senatus permissis iudicijs exul-
tabat, sed societatẽ cũ equitib. ægrè
ferebat. Vnde Liuius anxius, ut La-
tinorũ postulata differret, qui pro-
missam ciuitatẽ flagitabant, repentè
in publico concidit, siue morbo co-
mitiali, seu hausto caprino sanguine
semianimis domũ relatus. Vota pro
illo per Italiã publicè suscepta sunt,

& cum

& cum Latini consulem in Albano monte interfecturi essent, Philippũ admonuit, ut caueret. Vnde in senatu accusatus, cum domum se reciperet, immisso inter turbam percussore, corruit. Inuidia cædis apud Philippum, & Cœpionem fuit.

IN CAPVT LXVI.

Drusus.] *Drusos ab eo Liuio cognominatos esse constat, qui cum proprætor è prouincia Gallia Senonibus in obsidione Capitolij datũ aurũ retulisset, Drusum hostiũ ducẽ trucidauit, à quo non tantum ipse, uerùmetiam eius posteri nomen interfecti sibi ascripserunt, teste Volater. lib. 16. cap. 4. Vrban. com. & Alex. ab Alex. lib. 1. cap. 9.*

Genere magnus.] *Eius enim Drusi filius fuit, qui Collega C. Gracchi in tribunatu, ob eximiam aduersus Gracchos operã resistendo agrariæ legi, patronus senatus dictus est, testante Suetonio in Tiberio, Plutarcho in uita Gracchorum & Volat. lib. 16. Fuit præterea noster Drusus Catonis Vticensis auunculus, in cuius domo idem Cato educatus est, teste Valerio Max. lib. 3. cap. 1. § 3.*

Eloquentia magnus.] *Demetrius Phalereus eloquentiam in Repub. tantum posse quantum in bello gladium dicere solitus erat. Vnde et Plato de Repub.*

Repub. maximum ornamentum Reipublicæ Philosophorum eloquentiam esse arbitratus est.

Ambitiosus & superbus.] Genus enim præclarum, multarumq; scientiarum cognitionem plerumq; ambitio, inanis gloriæ cupiditas, & odiosa coram deo & hominibus superbia sequitur.

Aedilis munus magnificentißimũ dedit.] Id enim haud leue ædilitatis fuit munus, ut sua quisq; ædilis factus impensa, ludos proportione patrimonij, aut dignitatis suæ celebrandos procuraret, qui quo magnificentius ederentur, eo magis ad amplissimos honores, magistratusq; gradus sibi ædiles faciebant. qua de re copiosè leges Fenestellã cap. 13. de Rom. magist. Cic. lib. 2. de Legib. et Offic. ubi de sua & Pompeij Magni ædilitate loquitur, Asconium Pedianum, Blond. lib. 3. Rom. triumph. Alexã. ab Alex. lib. 4. cap. 4. circa finem.

Magnificentißimum.] Et hanc nimirum ob causam ambitionem eius paulo antè Plinius notauit: quo uicio qui laborat, non quos uincit, sed (ut Seneca ad Lucilium ait) à quibus uincatur aspicit, & illis non tam iucundum est multos uidere post se, quàm graue aliquem ante se.

Quid tibi, inquit.] Superbiæ exemplũ, quã plerumq; ambitioni coniunctã esse uidemus. Omniũ aũt affectuum principium philautiam, finem autẽ superbiam esse, uerißimè Maximus dixit.

Quæstor

Quæstor nullis insignibus.] *Quæstores prouinciales, hoc est, qui ex decreto senatus prouincias sortiebantur, magistratus quoq; insignia in prouincia ferre potuisse legimus, cum quæstores urbani nec sella curuli, ut pleriq; magistratus, neq; lictoribus aut uiatoribus insignes fuerint, teste* Alex and. *ab* Alex. *lib.* 2. *cap.* 2.

Insignibus uti noluit, ne quid ipso insignius esset.] *Huc pertinet illud* Diogenis Cynici *apud* Laertium, *qui cum inuitatus esset ad cœnã à* Platone, *puluinaria præsentibus aliquot* Dionysij *amicis, pedibus calcauit*, Platonis *calco ambitionem & fastum dicẽs. Cui* Plato *respondisse fertur, calcas quidem, sed alio, & multo maiori fastu & superbia. Sic hoc loco* Liuius Drusus, *cũ quæstoris insignia, quibus magistratus ornatur, contemnit, nihil ipso insignius esse uoluit, cum tamen omniũ turpißima sit ambitio quæ ex fuco uirtutis emergit.*

Latinis *ciuitatẽ, &c.* Fecit *hæc* Sexto Iulio Cæsare & L. Martio Philippo *cõsulibus, anno ab urbe cõdita iuxta* Eutrop. *lib.* 5. *cap.* 2. (*nisi exẽplar sit mendosum*) 649. Oros. *autẽ lib.* 5. *cap.* 18. *anno* 659. *qui scribunt* Drusum *tribunũ pleb.* Latinos *omnes spe libertatis illectos, cũ placita explere nõ posset, in arma excitasse: de quorum aduersus* Romanos *bello* Flor. *lib.* 7. & 71. Abbre. & *lib.* 3. *cap.* 17. *de gestis* Rom. Appian. *lib.* 1. *de bell. ciuil.*

Nimiæ

Nimiæ liberalitatis fuit.] *hoc est, prodigus. Duobus enim tantum modis à mediocritate disceditur, & extrema ipsa sibi aduersa sunt. Altero quidem modo peccatur, parum omnino dando, nimiumq; contrahendo. quo uitio qui affectus est, auarus dicitur: Altero uerò nimium dando, & parum capiendo, quod prodigi proprium est. Quo fit, ut cum liberalitas in mediocritate uersetur, modum mensuramq; in utroq; cõtineat: contrà uerò auarus, quiq; ab eo lõgè alius est, prodigus, in neutro sibi temperet.*

Præter cœlum & cœnum.] *Florus lib.3.cap.17. ait, Drusum dicere solitũ: Nihil se ad largitionem ulli reliquisse, nisi quis aut cœnum diuidere, aut cœlũ uellet. Alij aũt legunt terrã, pro cœnum.*

Cum pecunia egeret, multa cõtra dignitatem fecit.] Largitionis & prodigalitatis effectus est *paupertas: quæ cum eos premit, qui diuitijs alijsq; bonis non tantum abundarunt, sed in alios quoq;, ut nominis immortalitatem consequerentur, effuderunt: fit, ut multa contra dignitatem & æquitatem agant. Cuius rei memorabile exemplum est* Drusus *noster: qui ad paupertatem adactus, non tantum ea quæ sequuntur facinora, ut turpißima peregit, sed octauam quoq; æris partem argento miscuit, testante* Plinio *lib.33.cap.3.*

Mauritaniæ.] *Mauritania Africæ regio extre*

ma est, uersus Gaditanum fretum, & occidentalem Oceanum. de qua copiosissime Strabo lib.17. Plin.lib.5. cap.1. & 2. Pomp. Mela lib.2. cap.6. Volater.lib.12.cap.8.Geograph.Solin.cap.28.

Boccho.] *Maurorum & Getuliæ regi, qui Iugurtham regem Numidarum, generum suum, Romanis tandem tradidit. de quo Strabo loco citato, Salustius in bello Iugurthino, Sabel.lib.1.Ennead. 1.Rhapsod.Florus lib.3.cap.1. Cui successit in imperio Iuba: nam Cæsar Augustus ad paternum regnum aditum illi concessit, &c.*

Elephanto obiecit.] *De Bocchi regis crudelitate, qui triginta elephantis, totidem in quos sæuire instituerat, stipitibus alligatos obiecit, lege Plinium lib.8.cap.5.circa finem.*

Regis Numidarum.] *Micipsæ scilicet, Masinissæ regis filij. cui cum in regno successisset; Manastabale & Gulussa fratribus morbo consumptis, Adherbalem (cuius hoc loco Plinius meminit) & Hiempsalem ex sese genuit. Vide Salustium à principio belli Iugurthini, ubi de Adherbale multa leges. & Sabellicum libro 1. Ennead. 6.Rhapsod.*

Cœpionem inimicum.] *Has inimicitias ex annulo in auctione uenali, inter Cœpionem & hunc Drusum cœpisse, legimus apud Plin.lib.33.cap.1. Vnde & Socialis belli prima origo exarsit.*

De

De saxo Tarpeio præcipitaturum.] Hæc Romanis uulgata pœna fuit, ut leuiter delinquentes, nudatos uirgis cæderent, aut in latomias darent: uel, si grauioribus criminibus obnoxij, tergo & capite luerent, uel de saxo & robore deijcerent. Erat enim rupes uasta in Tarpeio foro superstās. Vide Alexand. ab Alex. lib. 3. cap. 5. Marlian. lib. 2. cap. 8. Cælium Rhod. lib. 10. cap. 5. Horat. lib. 1. Sermonum, Deijcere è saxo, &c.

Cōsuli.] Dominicus Machaneus, Taurini orator: et Philippus præterea præpositus Pōcherius, qui commentarijs quoq; Plinium nostrū illustrarunt, Cæcilium Metellum Numidicū intelligunt, de quo dictum est suprà cap. 62. Nos autem ex uetustißimorum authoritate scriptorum pendētes, Lucium, uel (ut alij uocant) Martium Philippum intelligēdum esse arbitramur. Primò quidem, cum hoc anno Philippum cum Sexto Iulio Cæsare consulem fuisse, ex Orosio & Eutropio certò (ut paulo antè annotatum est) constet: secundo, quandoquidem apud Florum eius nomen quoq; in eadem historia exprimatur, cuius in fine ferè cap. 17. lib. 3. hæc uerba leguntur: Ausus tamen abrogare de legibus consul Philippus, sed apprehensum faucibus uiator non antè dimisit, quàm sanguis & in ora & oculos redūdaret, &c. Cui astipulatur aliqua ex parte Valer. quoq; Max. lib. 9. cap. 5. § 2.

qui hunc in modum loquitur: Parũ *habuit* L. Dru*sus,* Lucium *Philippum consulem, quia se interpellare concionantem ausus fuerat, obtorta gula, & quidem non per uiatorem, sed per clientem suum, adeò uiolenter in carcerem præcipitem egisse, ut multus è naribus eius cruor profunderetur, &c.* Ex *quorum authoritate omnium manifestißimum est,* Philippum *consulem miserè tractatum esse, siue per uiatorem, siue per clientem, autore tamen* Druso.

Morti iam detrudi dicebat.] *Animus enim morte appropinquante, multo interdum est diuinior quàm antea.* Vnde *quoq;* Cicero *lib. 1. de* Diuinat. *& lib. 1.* Tusculanarũ *quæst. morientes aliqua ex parte diuinare ait.* Ita Posidonius Rhodium *quendam morientẽ, sex æquales nominasse & dixisse, quis primus eorum, quis secundus, quis deinceps moriturus esset, memoriæ prodidit.*

Ex *gratia in inuidiam uenit.*] Q*uomodo equités senatoresq; (etsi aliàs inter se discordes fuerint) in* Drusum *pariter odia finxerint, lege copiose* Appian. *lib. 1. bell. ciuil.*

Plebs *lætabatur.*] *propter coloniarum scilicet deductionem, agrorumq; diuisionem.*

Exultabat.] *eo quòd senatum & equites communi lege* Drusus *coniunxisset.*

Liuius *anxius.*] Tyrrheni *nanq;,* Vmbri, *atq;*

Itali iam Romam uenerant: re quidem, ut Drusum interficerent: uerbo autem, ut in legem conclamarent: teste Appiano.

Siue morbo comitiali.] Drusum, quum morbum comitialē pateretur, Anticyram nauigasse, & in ea insula sumpto helleboro, à morbo liberatum esse, testatur Plinius lib. 25. cap. 5. & Gellius lib. 17. cap. 15.

Hausto caprino sanguine.] Quòd caprinum uel taurinum præcipuè cruorem in consciscenda sibi morte optarunt quidā, hac ratione ductos existimo, quoniam (ut author Plinius est) horum animalium sanguis celerrimè coeat atq; obdurescat: ideo esse pestiferum potu maximè, à quo denseant in stomacho thrombi, ut inquit Paulus. Sunt uerò thrombi, concreti sanguinis partes. Verùm de ijs qui taurinum & caprinū sanguinem hauserunt, lege Cælium quoq; lib. 14. cap. 12. Adde ea quoq;, quæ sunt apud Plinium lib. 28. cap. 9. circa finem: ubi de Drusi morte doctißimè, & caprini sanguinis natura differit.

Semianimis domum relatus.] De Drusi morte eleganter Appian. qui scribit Drusum rarißimè in publicum prodijsse, & in deambulatorio suo, loco tenebroso, ius dixisse: ex quo cum multitudinem emitteret, subitò se percussum esse conclamasse, & deinde sutoris gladium fœmori eius

infixum inuentum esse.

Vota pro illo suscepta.] *Vota apud Romanos quomodo, quas ob causas, quibus ceremonijs, & quo tempore suscepta sint, copiose leges apud Alexandrum ab Alexandro libro 3. cap. 22. Genial. dierum.*

In Albano monte.] *Albanus mons est inter Albam & urbem Romam, tractu ferè pari disiunctus: ubi templum à Tarquinio Superbo Ioui Latiali constructum ferunt, & alia multa sacra solennia instituta. Vide eundem Alex. lib. 5. cap. 7.*

Immisso inter turbam percussore.] *Orosius & Eutropius scribũt, domi anxium Drusum incerto autore interfectum esse: de cuius morte leges Liuium lib. 71. Epitomes.*

Inuidiæ cædis apud Philippum & Cœpionem fuit.] *hoc est, Lucius Philippus consul, & Q. Cœpio, in falsam eius cædis suspicionem inciderunt. Fuit autẽ ille Cœpio, qui mox à Vestinis & Marsis in insidias deductus, unà cum exercitu trucidatus est, teste Orosio ut suprà.*

DE C. MARIO PATRE.
Cap. LXVII.

CAius Marius septies cõsul, Arpinas, humili loco natus, primis honoribus per ordinẽ functus, legatus

legatus Metello in Numidia, criminando consulatum adeptus: Iugurtham captum ante currum egit. In proximum annum consul ultro factus, Cymbros in Gallia apud aquas Sextias, Theutonas in Italia in campo Caudio uicit, deq; his triumphauit. Vsq; ad sextum consulatum per ordinem factus, Apuleium Saturninũ trib. pleb. & Glauciam prętorem, seditiosos ex senatusconsulto interemit. Et cum Sulpicia rogatione prouinciam Syllæ eriperet, armis ab eo uictus, Minturnis in palude latuit. Inuentus, & in carcerem coniectus, immissum percussorem Gallũ uultus auctoritate deterruit, acceptaq; nauicula in Africam traiecit, ibi diu exulauit. Mox Cinnana dominatione reuocatus, ruptis ergastulis exercitum fecit: cæsisq; inimicis iniuriam ultus, septimo consulatu (ut quidam ferunt) uoluntaria morte decessit.

IN CAPVT LXVII.

Septies consul.] Constat Caium Mariũ Nepotem (ita enim cognominatum ferunt, licet Plutarchus in eius uita, tertium se nomen nescire fateatur) septies consulem fuisse. testatur Florus lib.3. cap.3. Plin. lib.11. cap.45.

Arpinas.] ex Voscorum ciuitate, quæ est in Latio, inter Foram & Aquinum: unde & Marcus Tullius, et Plautus comicus nati fuere. De qua Plin. lib.3. cap.5. Iuuenal. Satyr.8. *Arpinas alius Volscorum in monte solebat, &c.*

Humili loco.] Et hinc Cicero lib.2. Tusculan. quæst. hominẽ rusticum: Florus autem lib.3. cap. 16. nobilitatis inimicum fuisse scribunt. Verùm de Marij obscuritate generis & loci, Valerius Maximus lib.2. cap.i. § 14. Florus lib.3. cap.1. Plutarchus in eius uita.

Honoribus per ordinem functus.] Primum enim sub Scipione militauit in Hispania: ubi cum fortiter pugnasset, ad alias subinde dignitates prouectus est. Post cænam quippe, cum de imperatoribus sermo factus esset, & quem post Scipionem ducem Romani habituri essent, disceptatum foret, Scipio leuiter percusso Marij humero: Hunc, inquit, imperatorem post me habebitis. Et ex eo initio euentus deinde secutus est: sicq; ad summas sibi dignitates aditum fecit. Valerius Maxi-

Maximus libro 8.cap.16.§ 7.

Legatus Metello.] *Quintum Cæcilium Metellum Numidicum intellige. de quo dictum est suprà cap.62.*

Legatus.] *Consules legatos sibi nominasse, cum prouincias sortiti essent, uelut comites consiliorum, copiosè leges apud Alexandrum ab Alex. lib.6.cap.3.Genial.dier.*

In Numidia.] *Africæ regione, quæ est inter Carthaginem & Mauritaniam: de qua copiosè Strabo lib.17.Plin.lib.5.cap.3.& 4.lib.6.cap.34. Solin.cap.39. Mela lib.1.cap.7.Syll.Ital.lib. 3. Nulla domus, &c. Volater.lib.12.cap.9.Vrban.com.*

Criminando.] *Publicè enim dixisse Plutarchus ait, bellum nullum omnino aduersus Romanos finem habiturũ, nisi ipse consul aduersus barbaros crearetur. quibus auditis, statim cõsulem fecerunt.*

Iugurtham.] *Numidiæ regẽ perfidißimum: qui tandem captus, & Romæ in carcere necatus est. de quo multa Salustius, Florus libro 64.et 65. abbreu. Plutarch. in uita Syllæ & Marij, Oros. lib.5.cap.14. Eutrop.lib. 4.cap.8. Front.libro 1. cap.8.§ 7.lib.2.cap.1.§ 13.& cap.4.§ 10.Valer. Max.lib.2.cap.2.§ 3.*

Captum.] *Iugurtha quomodo & à quo captus sit, lege Flor.lib.66.abbreu.& lib.3.cap.1.Valer.Max.lib.6.cap.11.§ 5. & paulo antè citatos.*

Ii 5 Ante

Ante currum egit.] Fuit enim moris apud Romanos, ut in triumpho uictus, uictoris currum praecederet, teste Alexandro ab Alexandro libro 6. cap. 6. Genial. dier.

Vltro consul factus.] Hoc est, non ambiens, neque petens consulatum, nihilominus Consul factus est. Consulatum enim petere, consuetudine apud Romanos receptum erat: cuius rei omnes ferè Romanorum historiae testes sunt.

Cymbros.] Septentrionales pop. & interioris Germaniae, qui eo tempore Rhenum transeuntes per Gallias Romam grandi militum numero contenderunt. De his lege Strab. lib. 7. Plin. lib. 4. cap. 4. lib. 8. cap. 4. lib. 36. cap. 1. & alios. Cymbrorum autem fines hodie Zelandos tenere, Raymundus Marlianus existimat.

Cymbros uicit.] In eo bello profligatus Marius, in somnis praemonitus est, uictoriam se consequuturum, si prius dijs uictimam filiam Calphurniam nomine faceret. patriae igitur charitati natura postposita, sacrificata dijs filia, uictoriam comparauit. Cuius rei Dorotheus libro 4. rerum Italicarum, & Plutarch. cap. 41. Paral. meminit. De Marij autem aduersus Cymbros bello, lege Liuium libro 68. Abbreu. Flor. lib. 3. cap. 3. Plutarch. in Mario & Sylla, Appian. in Celtico, Valer. Maxim. libro 5. cap. 8. § 4. Plin. libro 7. cap. 22. lib.

16.

16.cap.33.lib.17.cap.1.lib.36.cap.1.Eutr . lib. 5.cap.1.Oros.lib.5.cap.16.Solin. cap.8. Volater. lib.38.cap.8.Vrban.comment.

Sextias aquas.] Galliæ oppidum. Aquas autem Sextias fuisse in Narbonensi prouincia, in qua Phocenses quondam fugati Maßiliam urbem condiderunt, ex Solini cap.8. colligimus, Volaterranus libro 3. cap. 3. Geographiæ, nunc Aquensem ciuitatem esse scribit, quam Sextius dux (ut ait Liuius) redactis in potestatem Sallybus ædificauit, ubi erant aquæ calidæ. Vide Strabonem libro 4. ferè à principio, & Plinium libro tertio cap. quarto.

Theutonas.] Qui duce Theutoloco Romanorum fines inuaserunt, anno ab Vrbe condita, 640. Fuerunt autē Theutones populi ultra Rhenum fluuium, qui Franconiam Bauariamq; Germaniæ regiones, eisq; finitimas terras inhabitarunt. Vulgus uerò omnes circa & trans Danubium populos Theutones appellat, qui fortè eorum finibus quondam pulsi à Sueuis, sese Cymbris sociarunt, qui tum à Mario Romanorum duce uicti sunt. De his lege Plinium libro 4. cap. 14. Melam libro 3. cap. 3. in fine, Marlianum Rhaymundum in explicatione locorum Commentariorum Cæsaris, Aegidium Tschudū Claronensem cap. 38. de Rhetia Alpina.

Campo

Campo Claudio.] *Alij Caudio, alij Samidio legunt. sed ex* Flori *lib.3.cap.3. Claudio legendum est, cuius hæc sunt uerba:* In patentißimo, quem Claudium uocant, campo procurrêre, millia deinde ad 40.ceciderunt. *Verùm* Plutarchus *in* Mario, *apud Vercellas Ligurum ciuitatem, haud procul à radicibus* Alpium, *tunc dimicatum fuisse: alij, apud fluuium Thisonem, memoriæ prodiderunt.* Vide Lucanum *quoque libro 1.* Nos primi Senonum, &c. *&* *postea* Claudianū, Hic Cymbros fortesq; Getas, &c.

Vicit.] *Et hinc est tertius urbis conditor nuncupatus.* Vide Sabell. *lib.6.cap.3.§ 10.*

De his triumphauit.] *Ille ipse triumphus fuit, post quem Marius senior cantharo semper bibere uoluit, eo quòd* Liber pater *Indicum ex Asia ducens triumphum, hoc poculi genere usus ferebatur: ut inter ipsum uini haustum eam uictoriam, non sibi tantum, sed alijs omnibus, in memoriam reuocaret.* Vide Plin. *lib.33.cap.11. &* Valerium Max. *lib.3.cap.2.§ 16.*

Ad sextum consulatum per ordinem.] *Caium Marium septies consulem fuisse, testantur* Plinius *libro 11.cap.45. &* Florus *libro 3.cap.3.* Primum *igitur consulatum gessit cum* L. Caßio Longino, *anno ab* Vrbe *condita 647. quem tamen* Plinius *libro 10. cap. 13. Lucium Crassum, sed errore nimirum*

nimirum typographi, nominat. Secundum, cum Flauio Fimbria, anno 650. Tertium, cum Aurelio Oreste, anno 651. Quartum, cum Q. Luctatio Catulo, Anno 652. cuius consulatus mentionem faciunt, Cicero pro Archia, Florus, Caßiodorus, & Plinius libro 17. cap 1. Quintum geßit cum M. Aquilio, anno 653. Sextum cum Lucio Valerio Flacco, anno 654. quorum meminit Plinius libro 2. cap. 34. Septimum demum, cum Lucio Cornelio Cinna secundò consule, anno urbis conditæ 668.

Apuleium Saturninum.] *Cuius uitam describit idem Plinius infrà cap. 73.*

Seditiosos.] De Glauciæ & Saturnini *hominum audacißimorum seditione, qui multitudinis inopis atq; seditiosæ beneuolentiã conflarũt, leges copiosè apud Plutarch. in uita Marij.*

Ex senatusconsulto.] *Ob seditionum suspiciones, Caio Mario & L. Valerio consulibus mandauerat, ut Lucium Saturninum interimerent. unde & eo ipso die miserè trucidatus est, testante Cicerone inuectiua in Catilinã prima. Quid aũt sit senatusconsultũ, & quibus senatusconsultũ faciendi ius fuerit, docet Alexan. ab Alex. lib. 4. cap. 11.*

Interemit.] *Apud Eutropium loco superius citato legimus, Apuleium Saturninũ excitati tumultus autorẽ: Aulum deinde Mummiũ competitorẽ,*

&

& Glauciã, C. Marij fraude à militibus Romanis interfectos esse. Vide Lucan. lib. 2. Nobilitas cum plebe perit, &c. & Appian. lib. 1. bel. ciuil.

Sulpitia rogatione.] Sulpitius tribunus pl. declarauerat temerario ausu Marium proconsulem contra Mithridatem: cum tamen populus in duas partes diuisus, quidam Marium, quidam uerò Syllam, ad principatũ ineundum denominarent. qua de re copiosè Plutarchus in Mario, Riuallius lib. 2. historiarum iuris ciuilis, nos in libello de Legib.

Prouinciam.] Asiam intellige. Initium autem fuit hoc & causa belli crudelißimi, inexplebilis honorum Marij fames, dum decretam Syllæ prouinciam Sulpitia lege sollicitat: de quo bello Plutarch. in Mario, Flor. lib. 3. cap. 21. Valer. Max. lib. 2. ca. 3. § 6. & lib. 9. cap. 7. § 1. Plin. libro 7. cap. 43. & lib. 22. cap. 6. Lucan. lib. 2. Pharf. Sylla quoq; immensis, &c. Cic. lib. 2. Officiorum.

Minturnis.] Minturnæ Campaniæ oppidum intra Formiam & Sinuessam, teste Strabone libro 5. ubi multæ olim paludes fuerunt: nunc autẽ Traiectum castellum esse, Volaterranus lib. 6. cap. 1. Geographiæ, & Oliuarius in Melæ librum 2. cap. 4. testantur.

In palude latuit.] Huius rei testes sunt quoq; Lucanus lib. 2. Pharsaliæ, Exul limosa Marius caput, &c. Iuuenalis Satyr. 10. Exilium & carcer

Mintur-

Minturnarumq; paludes, &c. & Valer. Max. lib. 8. cap. 3. § 3. Liuius lib. 77. Epitomes.

In carcerem coniectus.] Valerius Maximus lib. 1. cap. 5. § 4. testatur, in domum cuiusdam Fanniæ deductum, ibidemq; custoditum esse.

Percussorem Gallum.] Cymbrum Valerius, Appianus uerò Galatam ait fuisse.

Vultus autoritate deterruit.) Carnificem publicum cum gladio misere, ut interficeret profugũ Marium. Verùm cum per tenebras quæq; scrutando graderetur, Marij oculis ignis in morem splendore micantibus trepidare cœpisse scribunt. Mox cum Marius è lecto surrexisset, & horrenda uoce intonaret, Tu ne Caium Marium occidere audes? Percussorem è foribus prosiluisse, & fugam adornasse referunt. Et ea ex causa superstitionis cuiusdam timor primores urbis inuasit, cũ scirent quoque à puero olim uaticinatum esse, Marium septies consulem futurum: qua de re copiosè Appian. lib. 1. bello ciuil. meminit Valer. quoq; Max. lib. 2. cap. 5. § 7. & Lucan. lib. 2. Pharsaliæ, Viderat immensam, &c.

Accepta nauicula.] Cuiusdam Iulij, uel ut alij, Belæi. Sed quomodo ad mare deductus sit, & in nauiculam conscendens uictricia Syllæ arma fugerit, Africã petens, leges apud Ciceronem in oratione pro Plancio, Valer. quoq; Max. lib. 1. cap. 5. § 4.

In

In Africam traiecit.] Constat Marium primò omnium in Aenariam insulam appulisse, & hinc cum aliquot amicis in Libyã traiecisse, & ita tandem peruenisse in Siciliam.

Cinnana dominatione reuocatus.] Cornelio enim Cinna & Cneo Octauio consulibus, quum de reuocandis, quos senatus hostes iudicauerat, ad populum referretur, cuncta seditione gliscebant. Igitur uincentibus ijs quibus pax & quies potior erat, profugus patria sua Cinna, ad partes confugit. cui cum se consociasset Marius, ui & armis patriam, unde ui expulsus erat Marius, recuperauit. Historiam latè describunt, Florus libro 3. cap. 21. & libro 77. Abbreuiationum, & sequentibus, Augustin. libro 3. cap. 27. & 28. Ciuitatis, Oros. lib. 5. cap. 19. Eutrop. lib. 5. cap. 3. Valer. Max. lib. 2. cap. 3. § 6. &c.

Cæsis inimicis.] Marius in principum cædem aliquanto sæuius, quàm aut in Punica aut in Cymbrica urbe sæuijt. Octauij enim cõsulis caput pro rostris exposuit, Antonij cõsularis in amicorũ mẽsis: Cæsarem & Fimbriã in penatibus domorum suorũ trucidauit: Crassum patrẽ & filium, ut mutuò alter in alterius cõspectu trucidaretur, uoluit. Alios uarijs generibus mortis crudeliter exanimari præcepit. de cuius crudelitate leges præterea Florum lib. 3. cap. 21. Lucan. libro 2. Quis fuit ille dies,

dies, &c. Valerius Max. lib. 9. cap. 2. § 3. Oros. & Eutrop. ut suprà.

Vt quidam ferunt.] *Plinium nimirum auunculum suum intelligit, qui libro 11. cap. 45. memoriæ hoc prodidit: cui astipulatur quoque Florus libro 3. cap. 3. Oros. in fine cap. 19. lib. 5. & Eutrop. ut suprà.*

Voluntaria morte discessit.] *iliaco morbo cum laborasset, & per septem dies deficeret, de fortunæ instabilitate disserens, inter deambulandum cum amicis obijt: cuius de morte scribit C. Piso, Possidonius, Plut. Volater. lib. 17. cap. 1. & Sab. lib. 3. Ennead. 6. Rapsod.*

DE C. MARIO FILIO.
Cap. LXVIII. 68

CAius Marius filius, uiginti annorũ consulatum inuasit, quem honorem tam immaturum mater fleuit. Hic patri sæuitia similis, curiam armatus obsedit. Inimicos trucidauit, quorũ corpora in Tyberim præcipitauit. In apparatu belli, q̃d contra Syllam parabatur apud Sacriportum, uigilijs & labore defessus, sub dio requieuit; & absens uictus, fu-

 gæ, non

gæ, non pugnæ interfuit. Præneſtæ
al. cõfugit † refugit, ubi per Lucretiũ Aſellã ob
ſeſſus, tentata per cuniculum fuga,
cum omnia ſepta intelligeret, iugu-
landũ ſe Pontio Teleſino præbuit.

IN CAPVT LXVIII.

Viginti annorum.] *Alij uiginti quinq;, alij uigintiſeptem annorum legunt. Verùm ex Liuij lib. 86. uiginti annorum natum Marium per uim conſulem creatum eſſe liquet, cui aſtipulatur quoque Volat. lib. 17. cap. 1. Vrban. com.*

Conſulatum inuaſit.] *Quem cum Gn. Papyrio Carbone tertio conſule geßit, anno uidelicet 40. Olympiadis 174. ab Vrbe uerò cõdita, 672. quorum conſulum meminit Plinius libro 7. cap. 48. & 49. Marij autem meminit ſeparatim libro 34. capite 6.*

Honorem immaturum.] *Nulli enim apud priſcos Romanos, niſi exacto anno ætatis 43. conſulatum capere licuit primò: pluribus tamen deinde citra eam ætatem, ſi quod dignum operæprecium Reipublicæ præſtitiſſent, cõſulatum gerere permiſſum fuit. Nam & Valerium Coruinum in tertio & uigeſimo ætatis anno ad Conſulatum promotum legimus: & Scipioni Africano, Pompeio Magno, Octauio Auguſto, ac alijs ducibus ob ſin-*

gularem

gularem rei militaris disciplinam, & ingenij candorem ante tempus cõsulatus aliosq; honores delatos, legimus apud Alexand. ab Alex. li. 3. cap. 3. & hinc quoq; Vlp. lib. 1. digest. ante annum uigesimũ fieri consulẽ posse ait, titulo de Offi. cõsulis.

Mater.] Cornelia scilicet.

Patri sæuitia similis.] Non enim, ut prouerb. iactatur, aquila columbam generat: Mali autem corui malũ ouum. Ideoq; Marius filius patri suo crudelitate similis, tantopere primores atq; optimates occidẽdo sæuiebat, ut intra paucos dies reuiuiscentem patris tyrannidem sentirent Romani. uide Plutarchum in Mario, circa finem.

Curiã armatus obsedit, et inimicos trucid.] Damasippus Prætor, iussu Marij consulis, Q. Scæuolam, C. Carbonem, L. Domitiũ, P. Antistiũ, in curiã quasi ad consulendũ uocatos, crudelissimè occidit, & corpora deinde interfectorũ per carnifices unco tracta in Tyberim proiecit. Cuius rei testes sunt Appian. li. 1. bellor. ciuil. Flor. li. 3. cap. 21. Eutrop. lib. 5. cap. 3. Oros. lib. 5. cap. 20.

In apparatu belli contra Syllam.] In eo prælio contra Syllam, de exercitu Marij uiginti quinque militum millia, ut Claudius scribit, cæsa sunt: ex parte autem Syllæ quadringenti tantum, teste Eutropio, perierunt.

Sacriportum.] Est autem locus non procul

à Præneste urbe, si Omnibono Vicētino, qui suis cōmentarijs Lucani libros illustrauit, credimus. Verùm alij ex Varronis sententia locum intra urbem iuxta Pallatium esse arbitrantur: cuius quoque Publius Victor in regione quarta, de Romanæ urbis antiquitatibus, meminit. Huius autē cladis (ad Sacriportum & Collinam portam, ubi septuaginta & amplius hominum millia interfecta sunt) descriptionem, pete ex Flori lib. 3. cap. 21. Eutrop. lib. 5. cap. ultimo. Lucan. lib. 2. Pharsaliæ Iam'que quot ad Sacri cecidere cadauera portum, &c. Liu. lib. 87.

Fugæ, non pugnæ interfuit.] Plutarchus apertißimè scribit, Marium clausis iam portis, ex urbe fune per muros dimissum esse, ut fugam maturè adornaret, ignauißimus Imperator.

Præneste refugit.] Quo tredecim millia pondo auri antea ex delubris plurimarum ædium sacrarū in incendio urbis Capitolinæ, anno ab Vrbe condita. 671. contulerat. Est autem Præneste Italiæ uel Latij urbs in monte orientem uersus sita: quæ (si Vergilio lib. Aeneidos 7. credimus) authorem habet Cæculum Vulcani filium: Strabo lib. 5. Polystephanum. Plinius aūt lib. 3. cap. 5. Stephanum adpellat. Hanc aūt urbem à Bonifacio Octauo primùm, deinde quoque ab Eugenio quarto dirutam, & ad nihilum redactam esse, Volaterranus

laterranus lib.6.cap.1. (ubi & huius cladis meminit) testatur.

A Lucretio Asella.] Ita enim ex Liuio et alijs, et non Oscella, ut cætera habent exemplaria, legendum est. Fuit autem Syllanarum partium homo, qui deinde ad turbandum Reipublicæ statum, à Lucio Ballieno Centurione, iussu Syllæ in foro medio occisus est. teste Liuio in reb. Macedoniæ, & Volat.lib.16.cap.4.Vrbis conditæ.

Obsessus.] Eo quòd præter eius uoluntatem consulatum petere ausus est, ut iamiam citati authores testantur.

Cum omnia septa intelligeret.] Sylla enim Mario intra Præneste occluso, urbem fossa circumdederat, muris longo interuallo additis.

Iugulandũ se Pontio præbuit.] Varias de Marij iunioris morte opiniones, lege apud Liu.libro 88. Valer.Max.lib.6.cap.8.§ 3. Plutar. in Mario. Blondum lib.7. de Ro. triumph. Sabellicum lib.3.Ennead.6.Rapsod.Oros.lib.5.cap.21. Interempto autẽ à seruo, Mario, Lucretius ceruicem abscidit, caputq; ad Syllam misit. id fori in medio ante Rostra, cum appendißet Sylla, irridens Romana iuuentus dixit, Remigem prius esse oportere, quàm ad gubernacula admouere manus. Cuius rei testis Appianus lib.1.

DE LVCIO CORNELIO CINNA.

Cap. LXIX.

LVcius Cornelius Cinna flagitiosissimus, Remp. summa crudelitate uastauit. Primo consulatu legẽ de exulib, reuocandis ferens, ab Octauio collega prohibitus, & honore priuatus, urbe profugit: uocatisq; ad pileum seruis, aduersarios uicit, Octauiũ interfecit, Ianiculũ occupauit. Iterum & tertiò cõsulem seipse fecit. Quartò consulatu cum bellũ contra Syllam pararet, Ancone ob nimiam crudelitatem ab exercitu lapidibus occisus est.

IN CAP. LXIX.

Primo consulatu.] *Posteaquam L. Cornelius Sylla ad bellum Mithridaticũ profectus est, cum Gn. Octauio cõsul primò designatus est, anno tertio Olympiad. 173. ab Vrbe autem condita, 667. quorũ consulum meminit Liu. lib. 79. Abbreu.*

Summa crudelitate.] *De crudelitate Cinnæ copiosè leges apud App. lib. 1. bell. ciuil. Liu. lib. 80. Flor. lib. 3. cap. 21. Plut. in uita Craßi. Oros. lib. 5. cap. 19. Eutr. li. 5. cap. 3. Val. Max. li. 9. ca. 2. § 2. et 3. Lucan. li. 2. Nobilitas cum plebe perit, etc.*

Legem

Legem de exulibus reuocandis.] Cincta gladijs concione, quibus rebelles frenarentur, ui legem de reuocandis ijs quos senatus certis de caussis iam diu hostes patriæ iudicauerat, tulit: qua cùm alij tum C. Marius eius pater per fas nefasq; reuocati sunt, cuius rei meminit Plinius quoque suprà cap 67. Vide Appian. & Flor. & Volat. lib. 14. cap. 2. Vrb. com.

Ab Octauio prohibitus.] Dißensionem & contentionem inter Cinnam & Octauium consules, graphicè depingit Appian. loco citato.

Honore priuatus.] A magistratu & consulatu deiectus est à Cinna Octauius, cum Lucium Merulam, flaminem Dialem in eius locum cooptasset, ut apud Appian. legimus.

Vrbe profugit.] Capuam Roma relicta fugit, ubi alius Romanorum residebat militum exercitus.

Vocatis ad pileum seruis.] Cinna circum urbem profectus, cum per præconem annunciari mandaßet, daturum se seruis qui ad eum confugissent, libertatem properè infinitam multitudinem transfugarum collegit, & aduersus Octauium misit. Alludit autem Plin. ad ueterum consuetudinem, apud quos serui cum statum mutarent, ac manumitterentur, capite raso, pileum accipiebant. Vt est illud in Amphitryone Plautina,

sub persona Sosiæ serui libertatẽ optantis, Quod illę faciat Iupiter, Vt ego hodie raso capite caluus accipiam pileum. Seruius in lib. 8. Aeneidos, refert Feroniam seruorum Deam haberi, in cuius templo capite raso soliti sint pileum accipere. De hac autem manumittendi consuetudine, lege Gellium lib. 7. cap. 4. Cœlium Sabinum iurisconsultum, Alexand. ab Alex. lib. 4. cap. 10. Blond. lib. 4. Rom. triumph. Cœl. Rhodig. lib. 7. cap. 21. & lib. 25. cap. 22. Bayfium de re uestiaria cap. 20. Eras. Rot. in Prouerb. Ad pileum uocare. item Budæum in Pandectis.

Aduersarios uicit.] *Caium Octauium consulem, M. Antonium, C. Cæsarem, Q. Catulum, L. Merulam, alios'que aduersæ partis infinitos nobiles.*

Octauium interfecit.] *Cuius caput (ut apud Florum legimus) pro rostris exposuit. Scribunt alij hunc Octauium à militibus confossum esse. Appianus autem author est, sedenti illi caput à Censorino amputatum esse; qui exitus certo omine fuerat illi haud multò ante præmonstratus, ipse'que suam cladem auguratus est, ubi caput ex statua Apollinis sine ulla euidenti causa collapsum, humiq; defixum conspexit, ut est apud Valerium Maximum lib. 1. cap. 6. § 10. Sabell. libro 3. Ennead. 6. Rhap.*

Ianicu-

Ianiculum occupauit.] Montem urbis in regione Transtiberina, qui ab Iano, qui eo in monte primum habitauit, & deinde sub eo sepultus est, dictus. De quo monte Blondus lib. 1. Rom. instauratæ. Marlian. lib. 1. cap. 1. & libro 7. cap. 9. Topographiæ. Publius Victor in regione 14. urbis. Plinius lib. 16. cap. 11. Cœl. libro 9. cap. 16. in fine.

Iterum consul.] Secundò cõsul fuit cum Caio Mario Nepote, et septimo iam cõsule, anno quarto Olympiadis 174. ab Vrbe aũt condita, 668.

Et tertio.] Cum Gn. scilicet Papyrio Carbone, anno primo Olymp. 174. urbis autem conditæ, 669. Quo pacto iterum & tertiò consul designatus sit, apud Appianum copiosè leges.

Quarto cõsulatu.] Consulatum quartum cum eodem Papyrio geßit, anno 2. Olymp. 174. ab exordio autem urbis, 670.

Ancone.] Ancona colonia à Siculis condita, in quinta Italiæ regione, quæ Cumero promontorio apposita est, cuius situm & descriptionem lege apud Plinium libro 2. cap. 72. & libro 3. cap. 13. Melam libro 2. cap. 4. Volaterranum libro 6. cap. 3. Geograph.

Ob nimiam crudelitatem.] Nam cum introducta primariorum fugitiuorum manus insatiabilis prædandi eßet, nullamq; partem autorib. prædæ

consulibus ministraret, in forum quasi stipendij causa sollicitata, militibusq; circumdata, inermis à Cinna extincta est. in qua die, iuxta Oros. & Eutropiũ, octo millia interfecta sunt, & hinc Cinna quoq; ab exercitu occisus. Verùm de morte Cinnæ diuersa scribunt Plu. in uita Pom. Sertorij, C. Cæs. et M. Bruti, item App. lib. 1. Liu li. 38. Abb.

DE CAIO FIMBRIA.

Cap. LXX. 70.

C. Fimbria sæuiss. quippe Cinnæ satelles, Valerio Flacco cõsuli legatus in Asiã profectus, per simultatem dimissus, corrupto exercitu, ducem interficiendum curauit. Ipse correptis imperij insignibus, prouinciam ingressus, Mithridatem Pergamo expulit. Ilium, ubi tardius portæ patuerunt, incendi iussit: ubi Mineruæ templum inuiolatum stetit, quod diuina maiestate seruatum nemo dubitauit. Idem Fimbria, militiæ principes securi percussit. Mox à Sylla Pergami oppressus, corrupto exercitu desertus, semet occidit.

IN

IN CAPVT LXX.

Caius.] *Alij Flauium legunt. Verùm Liuius libro 93. Epitomes, Caium, non Flauium adpellat, ultimæ audaciæ hominem. cuius uitam ex Plinio nostro ad uerbum recitat Volaterranus libro 16. cap. 1.*

Sæuißimus.] *Et hinc Orosius libro 5. cap. 20. & Eutropius libro 5. cap. 3. insanum ob crudelitatem uocant: de cuius sæuitia & inhumanitate copiosè Plutarchum in uita Marij & Syllæ leges. Item Valerium Maximum libro 9. cap. 11. § 2.*

Valerio Flacco consuli.] *Fuit tum consul Valerius cum M. Herennio, anno primo Olympiad. 172. ab Vrbe uerò condita, 661. quorum meminit Plin. lib. 19. cap. 3. Volater. lib. 20. cap. 2. & Valerius Max. lib. 3. cap. 2. § 18. Appianus libro 1. bellor. ciuil.*

Legatus.] *Scilicet bellicus, qui absente consule summam imperij tenebat: de quorum legatorum officio & authoritate, Alexand. ab Alex. libro 6. cap. 3.*

In Asiam profectus.] *ut Syllæ aduersus Mithridatem belligeranti succederet.*

Ducem interficiendum curauit.] *Lucium scilicet Valerium Flaccum, quem ex Chalcide reuersum, subita ui exercitu nudauit Fimbria, nudatumq́;*

nudatumq; Nicomediā usq; persecutus est, ibiq; in suam potestatem redactū hostiliter interficit, insepultumq; abiecit.

Imperij *insignibus.*] Cōsulatus *insignia erant duodecim fasces, lictores totidem, purpura, prætexta, & sella curulis. lege* Alexand. *ab* Alexand. *lib. 3. cap. 3. lib. 1. cap. 27. & lib. 2. cap. 27.* Fenestellam *cap. 7. de* Romanorum *magistratibus, &* Blondum.

Prouinciam] *Asiam intellige, quam* Flaccus *obtinuit.*

Mithridatem.] *Ponti regem, & militaris disciplinæ peritißimū imperatorem, cuius facta describit infrà cap. penultimo.*

Pergamo.] *Asiæ, siue* Troadis *urbe munitißima, ac sub* Attalicis *regibus diu fortunatißima, quæ* Romanorum *tandem prouincia facta est.* De *qua* Strabo *libro 13.* Plinius *libro 4. cap 12. libro 5. cap. 30. & lib 10. cap. 21.* Volaterranus *lib. 10. cap. 1.* Geograph.

Expulit.] Plutarchus *in* Lucullo *scribit,* Mithridatē *regem deserto* Pergamo *intra* Pitamen *se recepisse, ibiq; à* Fimbria *terra obsessum, atque conclusum ad mare (quod unica salutis spes erat) conuersum esse, ac ibidē cum* Fimbria *manus conserere non ausum eße.*

Ilium.] *Id est,* Troiam *Asiæ minoris urbem,*

quam primùm Acten, pòst Teucriam, deinde ab illo rege Ilium uocatam ferunt: quæ etiãsi à Græcis incensa sit, instauratam tamen longè pòst ab Alexandro & alijs, legimus apud Strabonem libro 13. quem, ut diligenter hoc loco studiosi legant, admoneo.

Vbi tardius portæ patuerunt.] *Huius tardidatis rationem adfert Strabo loco iam citato, qui ait, Fimbriæ crudelitatem obstitiße, quem Ilienses utpote latronem suscipere noluerunt. Admoto enim ad urbem exercitu, undecimo eam die cæpit. Cui glorianti, quòd, eam urbem quam Agamemnon decimo anno uix cæpit, cum mille nauium classem & uniuersam Græciam secum haberet, ipse undecimo die cœpisset, respondit ex Iliensibus quidam, non Hectorem adfuisse, qui pro ciuitate pugnasset. Hæc apud Strabonem legimus.*

Incendi iußit.] *Plutarchus in uita Sertorij à principio testis est, Ilium ter incendio consumptum esse, semper'que oppugnationis ansam equos præbuisse. Troiam quippe ob Laomedontis equos primùm ab Hercule, deinde per ligneum equum ab Agamemnone, tertiò propter equum qui in porta consistens, Iliensibus claudere uolentibus impedimento fuit, à Charidemo duce captam fuiße, omnes ferè (de ea re scriptæ)*

historiæ

historiæ testes sunt. Vnde fortaßis non est mirandum, per infinitum tempus, alibi abundantem & facilem habere fortunam ad similitudines edendas materiam.

Mineruæ templum inuiolatū stetit.] *Fimbria capto iam Ilio, non tantum homines miserè omnes trucidauit, sed etiam sacra omnia rapina & incendio uiolauit: Mineruæ templum, cum ij squi eò uelut in asylum confugerant, concremari quoque iußit. Aedificia publica solo æquauit, & ita quidem, ut solum Palladiū, quod ad id tempus fuit in Ilio seruatum, illæsum inde inter murorum ruinas repertum sit: sed alij Diomedem extulisse meminerunt. Vide Sabell. lib. 3. Ennead. 3.*

Militiæ principes securi percußit.] *Alij Fimbriam principes & primates urbis ad Syllam misisse scribunt, ut condignas pœnas ab his sumeret.*

Semet occidit.] *Plutarchus scribit in uita Syllæ, Fimbriam desperabundum intra uallum sibijpsi mortem consciuisse: à quo dissentiunt alij. Florus quippe libro 3. cap. 21. in penatibus domorum suorum trucidatum: Liuius autem, & ex recentioribus Fulgosus Genuensis lib. 6. cap. 8. § 6. rerum memorabilium, à seruo suo heri precibus moto, interfectum esse prodiderunt: sed utrum horum sit, constat Fimbriam iustas & condignas suæ crudelitatis & impietatis in Deos*

pœnas

pœnas dediſſe. Lento enim gradu, ut Valerius ait, ad uindictam diuina procedit ira, ſed tarditatem ſupplicij demum grauitate probè compenſat. quod Grachorum, Liuij Druſi, Cai Marij, Cornelij Cinnæ, & Fimbriæ exemplò ſatis hactenus à Plinio demonſtratum eſt.

DE VIRIATO LVSITANO.
Cap. LXXI.

Viriatus genere Luſitanus, ob paupertatem primò mercenarius, deinde alacritate uector, audacia latro, ad poſtremum dux: Bellum aduerſum Romanos ſumpſit, eorumq́ imperatorem Claudium Vnimanum, deinde C. Nigidium oppreſſit. Pacem à Popilio maluit integer petere, quàm uictus. Et cum alia dediſſet, & arma retinerentur, bellum renouauit. Cœpio cum uincere aliter non poſſet, duos ſatellites pecunia corrupit, qui Viriatum humi depoſitum perimerent. Quæ uictoria, quia empta erat, à ſenatu non probata.

IN

IN CAPVT LXXI.

Lusitanus.] *Lusitania regio & pars ulterioris Hispaniæ est, cuius regionis latus australe Tagus, ut apud Strabonem libro 3. legimus, cingit. ab occasu uerò & septentrione oceanus, ab aurora Carpetani, Vetiones, Vaccæi & Callaici famæ maioris attingunt. Cui cõsentit & Mela lib. 2. cap. 6. Sed Plin. lib. 4. cap. 21. Lusitaniam à Septentrione Durio amne finit, reliqua citeriori attribuens: in qua sententia & Ptolemæus est. tu uide præterea Volaterranum libro 3. capite 9. Geographiæ.*

Ob paupertatem.] *Huc pertinet illud Iuuenalis Satyra 3. Haud facile emergunt, quorum uirtutibus obstat Res angusta domi, &c. Et hinc egestatem indigentibus latrocinium suadere, partim experientia docet, partim apud Egesippum lib. 1. cap. 44. quoq; legimus.*

Primò mercenarius, deinde uector & latro.] *Apud Liu. lib. 52. legimus, Viriatum primùm in Hispania fuiße pastorem, deinde factum ex pastore uenatorem, ex uenatore latronem, & mox iusti quoque exercitus ducem. Cui consentit quoque Florus libro 2. cap. 17. Hispaniæ Romulum eundem uocitans.*

Vector.] *alij Victor legunt.*

Audacia latro.] *Audacia iuxta Speusippum, est secu-*

est securitas, qua quis malum neq; futurum expectat, neque præsens horrescit. Quo morbo qui laborat, in quanta incurrat pericula, copiose apud Pontanum *lib.1. cap.16. de* Heroica *fortitudine leges.*

Dux.] *Celtiberorum uidelicet, teste* Floro.

Bellum aduersus Rom.] *Quatuordecim annis bellum aduersus* Romanos *gessisse cruentissimum, testes sunt* Liuius, *Florus ut suprà, item* Oros.*lib. 5.cap.4.* Eutrop.*lib.4.cap.6.* Fulgos.*lib.3. cap. 4.§ 10.* Sabell.*lib. 9.* Ennead.*5. qui huius capitis historias omnes latissimè describunt.*

Claudium Vnimanum.] qui cum maximo exercitu aduersus Viriatum *missus erat, quasi pro abolenda superiore macula. Cui cum renunciasset fortuna, penè ad internecionem exercitus, manus cum hoste conseruit.*

C.Nigidium.] *Ita omnia quotquot uidi exemplaria legunt, sed malè, ut arbitror: saluo tamen aliorum semper iudicio. Marcũ autem, uel Caium* Vetilium, *aut* Vetidium, *leges ex* Liuio *&c alijs.* Liuius *autem ita ait: Marcum Vetilium prætorem, fuso eius exercitu, cepit, &c.* Orosius *autẽ &* Eutrop. *hunc in modum: Caius* Vetilius *prætor occurrit: qui continuò cæso penè omni exercitu, uix ipse prætor cum paucis fuga elapsus est, &c.*

Pacem à Popilio.] Fabium Popilium Roma-

norum ducem intellige, qui procõsul, rebus in Hispania prosperè gestis, labem imposuit, pace cum Viriato æquis conditionibus facta. de qua re consule Liuium lib. 54. Epitomes.

Arma retinerẽtur.] Peracto nanq; bello, arma deponebantur. & quemadmodũ toga, ocij & pacis: ita arma, tumultus & belli signa fuere. Vnde armis dimißis, salutationẽ more militari facere, magno sæpe præsidio militibus extitisse, apud Alexand. ab Alex. lib. 4. cap. 7. (ubi multa diuersarum gentium pacis signa recitat) legimus.

Cœpio.] Seruilius Cœpio, qui fuit Q. Fabij successor. Corruptè igitur apud Eutropium, Scipio pro Cœpione legitur.

Pecúnia corrupit.] Pecunia nanq;, rerum omnium domina cum sit, quos semel in seruitutẽ traxerit, perpetuò retinebit: quo fit, ut iuxta prouerbium, pecuniæ omnia obediant. Ideoq; Philippus Macedonum rex, nullam ciuitatem tam probè munitam & clausam esse dicere solebat, quin asinus auro onustus facile intrare poßit. Vide prouerbium apud Erasmum: Pecuniarum cupiditas Spartam capiet, & præterea nihil. &, Pecuniæ uir, &c.

Peremerunt.] Apud Liuium legimus, Viriatũ à duobus proditorib. à Seruilio Cœpione subornatis, miserè interemptum, ab exercitu eius mul-

tum

tum ploratum, nouißimeq; sepultum esse.

Quæ uictoria quia empta erat.] Huc refer Pythij Apollinis oraculum: qui Philippo regi, consulenti quo pacto posset uictoria potiri, hunc in modum respõdit, Ἀργυρέαις λόγχαισι μάχου, καὶ πάντα νικήσεις. id est, Argenteis pugna telis, atq; omnia uinces. Videlicet innuens, ut quosdam largitionibus ad proditionem sollicitaret, atq; ita consecuturum quæ uellet.

A senatu nõ probata.] Percussores enim eius, indignos præmio senatus iudicauit, teste Orosio & Eutropio. Vide quoq; Valer. Max. lib. 9. cap. 6. § 5. Verùm notandum est hoc loco Romanorum integritas, qui pluris iustitiam quàm uictoriam fecerunt: scientes eam esse ueram uictoriam, quæ salua fide, & integra urbis dignitate pararetur, & præsertim aduersus tantum ducem, qui in tantis rebus gestis, non armorum, non uestis cultum, non deniq; uictum mutauerit: sed in eo habitu, quo primum cœperat, perseuerauerit: & ita quidẽ, ut quiuis gregarius miles ipso imperatore opulentior uideretur. Vide Volaterranum lib. 2. cap. 6. Geographiæ.

DE M. AEMILIO SCAVRO.

Caput LXXII. 72

MArcus Aemilius Scaurus, nobilis pauper: nam pater eius

quamuis patricius, ob paupertatē, carbonarium negocium exercuit. Idem primò dubitauit, honores peteret, an argentariam faceret: sed eloquentiæ consultus, ex ea gloriam peperit. Primò in Hispania Corniculū meruit. Sub Horeste in Sardinia stipendia fecit. Aedilis iuri reddendo magis, quàm muneri edendo studuit. Prætor aduersus Iugurtham, tamen eius pecunia uictus. Consul legem de sumptibus, & Libertinorum suffragijs tulit. P. Decium prætorē transeunte ipso, sedentem iussit assurgere, eiq; uestem scidit, sellam concidit: ne quis ad eum in ius iret, edixit. Consul Ligures et Gantiscos domuit, atq; de his triumphauit. Cēsor uiam Aemyliam strauit. Pontem Miluium fecit. Tantumq; áuctoritate potuit, ut Opimium contra Gracchum, † Marium contra Glauciam & Saturninū priuato consilio armaret. Idem filium suum, quia præsidium deseruerat, in

al. Variū

in conſpectum ſuum uetuit accedere. Ille ob hoc dedecus, mortem ſibi conſciuit. Scaurus ſenex, cum à Vario trib. pleb. argueretur, quaſi ſocios & Latium ad arma coegiſſet, †ad populum ait: † Surius Sucronenſis Aemylium Scaurum ait ſocios ad arma coegiſſe, Scaurus negat: utri potius credendum putatis?

al. apud

al. Varius Veronenſis

IN CAPVT LXXII.

Scaurus.] Scauri dicũtur, qui talos pedũ tumentes & porrectos habent: uel qui pedibus inflexo talo tardigradi ſunt. de quibus Plin. in fine lib. 11. cap. 45. Alexand. ab Alex. lib. 1. cap. 9. quorum apud Romanos familiã in Scauro Mamerco, qui maieſtatis reus, cauſam dixit, extinctam eſſe uolunt. Aemilij autem Scauri facta ſparſim leges apud Valer. Max. lib. 8. cap. 1. § 10. & cap. 5. § 2. Plin. lib. 7. cap. 39. lib. 36. cap. 2. &c. Saluſt. de bello Iugurthino, Blond. lib. 6. Rom. triumph. Volater. lib. 13. cap. 1. & lib. 19. cap. 3. & alios, qui ſuis locis in proceſſu dictantur.

Nobilis pauper.] Nobilis parum, legit Volat.

Pater eius patricius.] Ita patricius fuit, ut tribus ſupra eum ætatibus domus eius fortuna iacuerit: neque pater enim, nec auus, neque proauus,

tenues propter opes, nullamq; uitæ industriam, honores in urbe adepti sunt. Cuius rei testis locupletißimus est Asconius Pædianus in Scaurum: Patritij autem apud Romanos erant, qui patres senatores habebant. de quorum artibus, ordine, & distinctione leges Alexand. ab Alex. lib. 5. cap. 18. & lib. 4. cap. 11.

Argentariam faceret.] Argentariam facere dicuntur hi, qui uulgò campsores, siue mensarij sunt, & nummularij trapezitæ. Vnde Plautus in Curculione, trapezitam & argentarium pro eodem accipit. Sed Iurisconsultus de edendo, ostendit argẽtarios maiores mensarios, qui multorum pecunias acceptas custodiunt, quum opus fuerit reddituri, & quorum ministerium publicam habet causam. Et hinc Seneca quoque argentarios publicis actionibus præesse dicit.

Eloquentiæ consultus.] Vnde à Cicerone inter grauißimos, & omnium eloquentißimos sui temporis oratores ponitur. In cuius oratione non tantum summam grauitatẽ, sed naturalem quandam authoritatem fuisse autumat. De cuius orationibus & libris Demosthenica eloquentia conscriptis, lege Volater. lib. 19. cap. 3.

Ex ea gloriam peperit.] Maximum enim rei publicæ ornamentum, philosophorum eloquentiam esse, Plato de Republica doctißimè disserit. Vnde

Vnde & Scaurum nostrum ob admirabilem eloquentiam, principem senatus factum esse, apud Plutarchum de Romanorum *fortuna, &* Ciceronem *libro de* Oratore *tertio legimus.*

Corniculum meruit.] *Volaterranus curriculum legit, errore fortaßis typographi. Fuit autem corniculum ornamenti genus, quo donabantur ab imperatoribus milites pro re bene gesta. Sic enim* Papyrium *consulem equites omnes ob insignem in bellis operam donasse corniculis & armillis argenteis, legimus apud* Liuium *lib.*10. *Cælium quoque* Rhodiginum *lib.*17.*cap.*10.

Sub Oreste.] *militum duce.*

Aedilis iuri reddendo.] *De ædilium officio, potestate, & dignitate,* Dionys. *lib.*6. *Liuius lib.*7. *à principio,* Gellius *lib.*17. *cap.*21. *Blondus lib.*3. Rom.triumph. Pompon.*tit.*20.*lib.*1.*ff.* Alexand. *ab* Alex.*lib.*4.*cap.*4.

Muneri edendo studuit.] *Munera enim magnificentißima, & ludos apparatißimos, ad conciliandum populi fauorem, per ædiles plebis, aut curules, nunc* Romanos, *nunc plebeios, publica uel priuata impensa, aut ex multatitia pecunia curari & instaurari, ex citatis iam authorib. liquet.* Scaurum *autem ædilē, tabulas omnes ex publico, propter æs alienū ciuitatis addictas,* Romā *trāstulisse, et tria signorū millia, magno rei miraculo in*

scenam produxisse, apud Plinium lib.38. cap.11. & lib.34.cap.7.legimus: qui eius præterea ædilitatis meminit, lib.36.cap.15. lib.8.cap.17.& 26. Naturalis *historiæ.*

Aduersus Iugurtham.] *Numidarũ regem bellicosum, callidum, & perfidißimum: de quo Salust. copiose, & qui citãtur suprà 30.& 62.capitibus.*

Tandem.] *Alij legunt tamen: sed tandem ex Volaterrano legendum esse arbitramur.*

Consul.] *cum M.Cæcilio Metello, anno tertio Olympiad.166.ab Vrbe uerò condita 639. cuius consulatus meminit Plin. lib.2. cap.56. & lib.8. cap.57.*Naturalis *historiæ.*

Legem de sumptibus.] *In cœnis conchylia, aut ex alia natione conuectas aues, promulgata lege interdixit Aemilius Scaurus, ut luxuriam & uoluptates ex urbe profligaret, testante Plinio loco iam citato. De alijs autem legibus sumptuarijs ad luxum Romani populi diminuendum, lege Gellium lib.2.cap.24. Macrob.lib.3.cap.17.Saturnal. Aymarum Riuallium lib.2. historiæ iuris ciuilis. Nos breuiter omnes leges sumptuarias enumerauimus suo ordine, in libello de legibus Romanorum.*

Libertinorũ suffragijs.] Memoriæ proditũ est, temporib. Syllæ Libertinos ex factione Carbonis, & bello sociali Latinos populos in 35. tribus diui

sos,

sos, ius suffragij habuisse. Lapsis inde temporibus, cũ Cn. Mãlius trib. pl. perniciosißimas leges ferre uellet, ut libertinis in omnibus tribubus ascribi & suffragari liceret, à Cneo Domitio Prætore tam truci oratione confractus fuit, ut sublata rogatione, turpißimè destiterit. Demum Clodius tribunus plebis, dum infensis armis patricios insectatur, ut libertini, qui in tribus solum tribubus suffragia ferebant, in urbanis quoq; (quæ ingenuorum sunt) suffragari possent, legem tulit. Vide Alexand. ab Alex. lib. 1. cap. 17. & lib. 4. cap. 11. ubi suffragia colligẽdi uarias rationes enumerat, tum apud Romanos tum exteros. Blond. lib. 3. Rom. triumph.

Iußit assurgere.] *Honoris gratia. tantus enim honos Consulibus exhibebatur, ut lictores consulibus obuiam uenientem de equo descendere iuberent. lege Alexand. ab Alex. lib. 1. cap. 27. Genial. dier.*

Vestem scidit.] *Motus irreuerentia hominis uestem lacerauit, quod indignationis, & maximè iracundiæ signum apud ueteres fuisse constat. Sic in sacrosancto quoq; Euangelio (si sacra prophanis inserere licet) legimus summum sacerdotem uestimenta sua lacerasse indignitate motum aduersus Christum, Marci 14. in Actis præterea Apostolorũ, cap. 14. Paulus & Barnabas cum Lycaoniæ pro dijs uenerarentur, uestimenta sua ex indigna-*

tione diuiserunt.

Sellã.] Curulẽ, qua insidentes magistratus, non tam in senatũ, quàm in diuersas urbis partes, ubi ius dicendum erat, uehebantur: erant autem proprie Aedilium, Prætorum & Consulum, ut ex Fenestella & Alexand. ab Alex. suprà alibi diximus.

Ne quis ad eum in ius iret.] Prætores enim non tantum armis imperitando, sed ius etiam dicendo imperium exercuere: qui tametsi in imperio essent, iura tamen sine decreto senatus, aut populi iussu mutare non poterant. qua de re Alexand. ab Alex. lib. 2. cap. 15. Genial. dier.

Ligures.] Qui hodie Genouenses dicuntur. Dicti sunt autem Ligures, à Liguro Phaetontis filio: de quibus copiosè leges Strabonem lib. 4. Plin. lib. 3. cap. 5. & 16. Pomp. Mel. lib. 2. cap. 4. Volaterr. lib. 4. cap. 2. Geographiæ.

Domuit.] cæsis hostium quindecim millibus, captis duobus millibus & quingentis.

Cantiscos.] Volaterranus hunc in modum legit: Cõsul Ligures domuit, atq; de his triũphauit, &c. nullam Cantiscorum mentionem faciens.

Viam Aemiliam.] Aemiliæ uiæ duæ fuerunt. una quidẽ, quæ Flaminiã excipiebat: altera uerò, quæ per Pisas & Lunam in Sabinos ducebat: quarum postremam Scaurus noster strauit. cuius rei testes sunt Strabo lib. 5. propè principium, Marli anus

anus lib.7.cap.13.Topographiæ urbis.

Pontem Miluium.] *Sub Auentino monte fuit Pons Miluius, secundum quosdam: sed Marlianus in uia Flaminia situm esse, scriptum reliquit, quē ultra primum ab urbe lapidem esse ait. hic à Scauro Syllanis temporibus lapidibus quadratis extructus, pons postea Aemilius dictus est.* Vide Pomp. Læt.cap.88.Marlian. *lib.7.cap.3.* de Rom. *antiquitatibus, qui hunc sæpius demolitum, iterumq; restauratum scribit: &* Ammianum Marcellinum *libro 26.rerum gestarum.*

Opimium.] *Consulem, de quo diximus suprà capite sexagesimo quinto.*

Gracchum.] Non Tiberiū, *sed Caium Gracchum intellige: de quo etiam suprà cap.65.*

Mariū.] *intellige C.Mariū patrem, de quo suprà cap. 67. Alij autem legunt Varium pro Mario, sed malè. uide Valer Max.lib.3.cap.2.§16.*

Glauciam.] De quo *capite proximo dicetur.*

Saturninum.] *Lucium Apuleium Saturninū tribunum plebis seditiosum intelligit. de quo capite dicetur proximo.*

Præsidium deseruerat.] *quod in saltu Tridētino hostibus cesserat. Apud Romanos enim, milites, qui ex acie primi fugißēt, alijsq; timēdi autores fuißēt, in decurias diuidebātur, ex earūq; singulis unus sorte eligebatur, qui in totius exercitus*

aspectu

aſpectu afficeretur ultimo ſupplicio. Cuius rei teſtis eſt Plutarch. *in* Marco *Craſſo*, Alexand. *ab* Alexan. *lib.* 4. *cap.* 7. Gen. *dier.*

In conſpectum uetuit accedere.] M. *Scaurus cum apud* Atheſim *fluuium* Cymbrorum *impetu* Romani *in fugam pulſi eſſent, pauidiq́; urbem repetiſſent, cõſternationis eorum participi filio ſuo miſit, qui nunciarent, ſe libentius interfecti in ea acie oſſa filij uiſurum, quàm tam deformis fugæ reum.* Vide Valerium Maximum *libro* 5. *cap.* 8. § 4. Frontinum *lib.* 4. *cap.* 1. § 13. *Stratagematum*, Volater. *lib.* 19. *cap.* 3. Eſt *autem paternæ ſeueritatis memorabile exemplum.*

Ob hoc dedecus mortem ſibi conſciuit.] *Præſenti docemur exẽplo, uerecũdia ignominiæ quid poßit, quã* Homerus *lib.* Iliados ω. *nunc plurimũ prodeſſe, eandemq́; plurimũ nunc officere, his uerbis dixit*, οὐδέ οἱ αἰδὼς γίγνεται, ἥτ᾽ ἄνδρας μέγα σίνεται, ἠδ᾽ ὀνίνησιν.

Argueretur.] *id eſt accuſaretur: in qua ſignificatione ab autoribus grauißimis ſæpe, tum à* Plinio *quoq́; ſuprà cap.* 33. *uſurpatur.*

Socios.] *populo* Romano *confœderatos.*

Vtrum *potius credendum.*] Q*uaſi diceret, mihi nimirum ſeni, & optimè ſemper de noſtra* Re*publica merito.*

Sucronenſis.] Ex *Sucrone* Hiſpaniæ *oppido, à*

quo

quo fluuius & promontorium nomen acceperũt: de quo Plin. lib. 3. cap. 3. Strab. lib. 3. Pomp. Mel. libro 2. cap. 6. Florus libro 3. cap. 22. Volater. libro 2. cap. 5. Geographiæ.

DE LVCIO APVLEIO SATVRNINO.
Caput LXXIII.

LVcius Apuleius Saturninus, trib. pl. ſeditioſus, ut gratiã Marianorum militum pararet, legem tulit, ut ueteranis centena agri iugera in Africa diuiderentur. Intercedentem Bebium collegam, facta per populum lapidatione, ſubmouit. Glauciæ prætori quòd is eo die, quo ipſe concionem habebat, ius dicẽdo partem populi auocaſſet, ſellam concidit, ut magis popularis uideretur. Quendam Libertini ordinis ſubornauit, qui ſe Tiberij Gracchi filium fingeret. Ad hoc teſtimonium Sempronia ſoror Gracchorum producta, nec precibus, nec minis adduci potuit, ut dedecus familiæ agnoſceret. Saturninus Aulo Memmio cõpetitore interfecto, tribunus plebis refectus,

refectus, Siciliam, Achaiam, Mace-
doniam nouis colonis destinauit, et
aurum dolo, † an scelere Cœpionis
partum, ad emptionem agrorum cō-
uertit. Aqua & igni interdixit ei,
qui in leges suas non iurasset. Huic
legi multis nobilibus abrogātibus,
cum tonuisset, Iam, inquit, nisi quie-
scitis, grandinabit. Metellus Numi-
dicus exulare, quàm iurare maluit.
Saturninus tertiò tribunus pl. refe-
ctus, ut satellitem suum Glauciā prę-
torem faceret, Mummium competi-
torem eius in campo Martio necan-
dum curauit. Marius senatusconsul-
to armatus, quo censetur, ne quid
Resp. detrimenti caperet, darent o-
peram consules: Saturninū, & Glau-
ciam in Capitolium persecutus ob-
sedit, maximoq; † astu incisis fistulis
in deditionem accepit, nec deditis fi-
des seruata est. Glauciæ fracta cer-
uix. Apuleius cum in Curiā fugisset,
lapidibus & tegulis desuper interfe-
ctus. Caput eius Rabirius quidā Se-

nator per conuiuia in ludibrium cir cumtulit.

IN CAPVT LXXIII.

Lucius.] *Liuius lib. 69. Epitomes quatuordecim decadum (ubi huius capitis ferè omnes historias describit) non Lucium, sed Cneum Saturninum uocat. cuius uitam leges quoq; apud Volater. lib. 13. cap. 4. Vrban. com.*

Marianorum.] Volaterranus tribunorũ legit.

Tribunus pleb. seditiosus.] Q. Cecilius Metellus, cũ Censurã gereret, Glauciã uirum senatoriũ et Apuleiũ Saturninũ, qui Tribunatũ cœperant, ob uitæ turpitudinẽ dignitate submouere conatus, aduersante collega repulsus est. Nõ multò igitur pòst Apuleius, ut Metelli ulcisceretur iniuriã, Tribunatũ petẽs, Glauciã prætorẽ obseruare cœpit, Tribunorũ electioni præsidentẽ. Cæterũ Nonius uir illustris in Apuleiũ inuectus, et Glauciã accusans, Tribunatũ adeptus est. Veriti igitur Apuleius et Glaucia, ne Tribunus effectus in eos insurgeret, turbã quãdam satellitum à concione abeunti, cum tumultu immisere, ut in diuersorium fugientem interficerent. Hæc copiosè leges apud Appianum libro 1. bellorum ciuilium.

Veteranis.) id est emeritis iam militibus, qui fortiter per omnem ætatem belligerantes, iam eb exhaustas uires à militia absoluti erant.

Cẽtena agri iugera.] Gracchanas leges asserere

non

non destitit, tantum animorum uiro Marius dedit: uide Plutarch. in Sylla & Mario, Flor. libro 3. cap. 16.

Diuiderentur in Africa.] Appianus lib. 1. bellorum ciuilium ait hunc Apuleium legem promulgasse, ut omnes agri quicunq; Romanorum ditioni subiecti essent, diuiderentur in ea prouincia, quæ Galatia appellabatur. Cimbri enim Celtarum genus eam occuparant: quam Marius recēs adeptam, quasi non ulterius ad Galatas spectaret, Romanis attribuerat.

Bebium.] De quo Florus lib. 2. cap. 3. & libro 3. cap. 21. & Lucanus lib. 1. Vix te sparsum, &c.

Facta per populum lapidatione.] Populus enim Romanus promulgatione legis acriter instabat.

Glauciæ prætori.] Tribunorū electioni præfuisse Glauciam, apud Appianum legimus. de quo Valerius Maximus lib. 3. cap. 2. § 16. Plin. suprà cap. 67.

Is.] Alij legunt ipse.

Ius dicendo.] Insiliendo, pro ius dicendo, legit Volaterranus cap. 4. lib. 13. Vrban. com.

Sellam.] scilicet Curulem, magistratuum, & præsertim ædilis & prætoris sedem, qua ius dicentes per urbem uehebantur: de qua Fenestella cap. 13. & 19. de Rom. magistratib. cuius meminimus

etiam

etiam suprà cap.72.

Vt popularis uideretur.] hoc est, ut populi partes defendere, plebisq; salutem promouere uideretur, aduersus potentiores.

Quendã Libertini ordinis.] Equitiũ scilicet, quem Florus hominem sine tribu, sineq; nomine fuisse ait: sed tamen ob formæ nimirum similitudinem, subito titulo in Gracchorũ familiam adoptatum. Cuius meminit Val.Max. lib.9.cap.16.§ 1.

Gracchorum.] Tiberij scilicet & Cai, de quibus suprà 64.et 65.cap. Fuit aũt hæc Sempronia Publij Scipionis Aemiliani uxor, teste Plutar.in uita Gracchorum, & Appian.lib.1.bell.ciuil.

Nec precibus nec minis adduci potuit.] De Semproniæ constantia, quæ nequaquam adduci potuit, ut hominem ignauum & infimæ sortis pro filio agnosceret, copiose leges apud Valer.Maxim. lib.3.cap.8.§ 7. qui meminit etiam lib.9.cap.16. § 1.obiter huius historiæ.

Dedecus familiæ.] Gracchorum enim familiam apud Romanos longe clarißimam fuiße, apud Plutarchum in uita Gracchorum, & Volaterranum lib.16.cap.2.Vrban.comment.legimus.

Aulo Memmio.] Alij legunt Numio. Animaduertendum autem, quantum ad nomen competitoris attinet, plurimum differre scriptores. Liuius enim ut suprà, et Eutrop.lib.5.cap.1. Aulũ quoq;

non destitit, tantum animorum uiro Marius dedit: uide Plutarch. in Sylla & Mario, Flor. libro 3. cap. 16.

Diuiderentur in Africa.] *Appianus lib. 1. bellorum ciuilium ait hunc Apuleium legem promulgasse, ut omnes agri quicunq; Romanorum ditioni subiecti essent, diuiderentur in ea prouincia, quæ Galatia appellabatur. Cimbri enim Celtarum genus eam occuparant: quam Marius recēs adeptam, quasi non ulterius ad Galatas spectaret, Romanis attribuerat.*

Bebium.] *De quo Florus lib. 2. cap. 3. & libro 3. cap. 21. & Lucanus lib. 1. Vix te sparsum, &c.*

Facta per populum lapidatione.] *Populus enim Romanus promulgatione legis acriter instabat.*

Glauciæ prætori.] *Tribunorū electioni præfuisse Glauciam, apud Appianum legimus. de quo Valerius Maximus lib. 3. cap. 2. § 16. Plin. suprà cap. 67.*

Is.] *Alij legunt ipse.*

Ius dicendo.] *Insiliendo, pro ius dicendo, legit Volaterranus cap. 4. lib. 13. Vrban. com.*

Sellam.] *scilicet Curulem, magistratuum, & præsertim ædilis & prætoris sedem, qua ius dicentes per urbem uehebantur: de qua Fenestella cap. 13. & 19. de Rom. magistratib. cuius meminimus*

etiam

etiam suprà cap.72.

Vt popularis uideretur.] *hoc est, ut populi partes defendere, plebisq́; salutem promouere uideretur, aduersus potentiores.*

Quendã Libertini ordinis.] *Equitiũ scilicet, quem Florus hominem sine tribu, sineq́; nomine fuisse ait: sed tamen ob formæ nimirum similitudinem, subito titulo in Gracchorũ familiam adoptatum. Cuius meminit Val. Max. lib.9.cap.16.§1.*

Gracchorum.] *Tiberij scilicet & Cai, de quibus suprà 64. et 65. cap. Fuit aũt hæc Sempronia Publij Scipionis Aemiliani uxor, teste Plutar. in uita Gracchorum, & Appian. lib.1. bell. ciuil.*

Nec precibus nec minis adduci potuit.] *De Semproniæ constantia, quæ nequaquam adduci potuit, ut hominem ignauum & infimæ sortis pro filio agnosceret, copiose leges apud Valer. Maxim. lib.3. cap.8. § 7. qui meminit etiam lib.9. cap.16. § 1. obiter huius historiæ.*

Dedecus familiæ.] *Gracchorum enim familiam apud Romanos longè clarißimam fuiße, apud Plutarchum in uita Gracchorum, & Volaterranum lib.16. cap.2. Vrban. comment. legimus.*

Aulo Memmio.] *Alij legunt Numio. Animaduertendum autem, quantum ad nomen competitoris attinet, plurimum differre scriptores. Liuius enim ut suprà, et Eutrop. lib.5. cap.1. Aulũ quoq;*

Numium uocant, Orof.lib.5. cap.17. Anumium, Florus lib.3.cap.16. Memmiũ, Appianus Alexandrinus Nonium, alij Munium appellitant.

Interfecto.] *A` satellitũ è concione uenientium manu, cum in diuersorium fugeret, interemptum esse, apud Appianum legimus.*

Siciliam, Achaiam, Macedoniã.] *De his regionibus diximus suprà 46.47.60. et 51. capitibus.*

Cæpionis.] *qui Quinti Fabij in consulatu successor fuit. de quo Florus lib.3.cap.17. & Plin. suprà cap.71.*

Aqua & igni interdixit.] *Aqua & igni interdicere, seu ad bestias damnare, frequens apud Romanos pœna fuit. Illis autem interdicebatur, quibus commercium societasq; hominum, ne quis eos urbe, mensa, tecto, aut lare reciperet, uetabatur. de qua consuetudine Blond.lib.4. Rom.triumphan. Alexand.ab Alex.lib.3.cap.5. Ouid.lib.4. Fast. Iunxerunt, &c. Cornelius Tacitus lib.3. de Syllano; & lib.4. de Caßio Seuero, & Budæus in annotat.in Pand.*

Ei interdixit.] *Quintum Cæcilium Metellum Numidicum intelligit, de quo suprà 62. Liuius quoq; lib.69. Epitomes.*

Abrogantibus.] *Tunc autem lex abrogari dicitur secundũ Seruium, cum prorsus tollitur: Derogatur uerò, cum pars tantũ sustollitur. Septem*

autem

autem modis, legis abrogationem fieri constat. Primò, contraria consuetudine, quæ nota est principi. Secundò, contraria constitutione. Tertiò, cessione causæ. Quartò, locorum uarietate. Quintò, nimio rigore. Sextò, si precibus occasionem malignandi habeat. Septimò, propter malum inde sequens.

Cum tonuisset.] Ciuium multitudo (ut apud Appianum legere licet) tanta in comitijs exclamasse uoce dicitur, ut de cœlo intonasse uideretur. Cœlum autem si quando intonuisset, nihil ex lege Romanis statuere fas fuit. Cuius rei locupletissimus testis est Cicero lib. de Diuinatione 2. ubi hũc in modum loquitur: Ioue tonante, fulgurante, comitia populi habere nefas: quòd omnia quæ tũnc senatus populusq; Romanus decerneret, dijs superis displicere uideretur. Meminit huius rei quoque Alexander ab Alexand. lib. 5. cap. 13. Genial. dier. ferè à principio, & Ioannes etiam Saresbariensis de Philosophorum uestigijs lib. 1. cap. 13. prope finem.

Exulare.] in Rhodo, uel (ut alij) apud Smyrnæos. De cuius exilio Liuius lib. 69. Epitom. Florus lib. 3. cap. 17. Valer. Max. lib. 3. cap. 8. § 5. & Plinius suprà cap. 62. Oros. lib. 5. cap. 17. Eutrop. lib. 5. cap. 1. Sabell. lib. 2. Ennead. 6. Rhapsod. Appian. lib. 1. bell. ciuil.

Quàm iurare maluit.] Iustitiæ, & ueræ simul fortitudinis ac magnanimitatis memorabile exemplum.

Glauciam.] quem Cicero lib.3. de Oratore, et lib. de Aruspicum responsis, longè turpißimũ, & omnium leuißimum hominem fuisse ait.

Prætorem.] Consulem legit Florus, cuius hæc sunt uerba: Quippe satellitem furoris sui Glauciam consulem faceret, &c.

Mumium.] Memmiũ hunc, & consulatus candidatum uocat Liuius: cui quoq; astipulatur Orosius, uirum acrem & integrum nominans.

Campo Martio.] Campum Martium describit Liuius lib.2. Fuit autem ager Tarquiniorum, qui inter urbem & Tiberim fuit, Marti consecratus. Vnde liquet, quicquid inter Capitolium & Tyberim interfuit, fuisse campum Martium. nam urbs prima ad Capitolium finiebatur: quod idem Ouidius ostendit, Iuturnæ ædem describens, quam uult fuisse in ea parte, qua campus Martius uirginea ambitur aqua, his uersibus: Te quoq; lux eadem Turni soror æde recepit, &c. Verùm de Martio campo, Plin. lib.36. cap.10. Pompon. Læt. § 28. Antiquitatum, Marlian. lib.1. cap.1. & lib.6. cap.12. Topograph. Blond. lib.1. Rom. triumph. & lib.2. de Rom. instaurat. 72.

Marius senatusconsulto armatus.] In summo

reipub.

reipub. discrimine, senatus decernere solebat, ut circũspectè omnia agerent consules, ne quicquam detrimenti respub. caperet: tumq́; licebat consulibus exercitum parare, ac ciues sociosq́; omnes ad bellum cogere. cuius rei testis est Cicero in quinta Philippica.

Incisis fistulis.] hoc est, aquarũ canalibus, quæ ad templum confluebant. qua de re Appianum diligenter consule. De canalibus autem & fistulis, quibus aquæductus fiunt, lege Vitruuium lib. 8. ubi de uarijs canalium & fistularum generibus.

Nec deditis fides seruata.] Per equites enim Romanos, effractis foribus, Saturninus, Saufenus, alijq́; quàmplurimi crudeliter occisi sunt, non habita ulla datæ fidei & promißionum ratione.

Glauciæ fracta ceruix.] Glauciã è domo Claudij extractum & trucidatum esse, apud Oros. & Eutropium legimus. Liuius in bello interfectũ ait.

Lapidibus & tegulis interfectus.] Florus, Apuleium Saturninum, facta populi irruptione, fustibus saxisq́; coopertũ, in ipsa morte laceratum esse, memoriæ prodidit.

Rabirius quidã.] Aulus scilicet Rabirius, eques Romanus. de quo Volater. lib. 19. cap. 2. Vrban. commẽt. à princip. Qui deinde ob hoc factũ, à Labieno trib. pleb. accusatus, & à Cicerone, cuius et hodie oratio pro Rabirio extat, defensus est.

Per ludibrium caput circumtulit.] *Crudelitatis & immanitatis exemplum. Sunt enim & hostes iam interfecti, nullis omnino conuicijs aspergendi, nec insectandi: ne cum laruis, iuxta prouerbium, pugnare uideamur.* Vnde Chilon ille Lacedæmonius, *uetabat de mortuis etiam malè loqui: quòd nihil ingenuo uiro indignius crederet, quàm eos incessere lingua, qui respondere non possent, ac turpe esset cum umbris luctari.* Huc præterea *& illud* Aristotelis *referendum est, qui in* Rhetoricis *citat* Platonem *ex* Politia, *qui scripserit, eos qui mortuos allatrarēt, uideri similes catellis, qui lapides iactos morderent: ipsos autē qui læsissent, non attingerent.*

DE L. LVCVLLO. *Cap. LXXIIII.*

LVcius Lucullus, nobilis, disertus, & diues, munus quæstorium amplissimum dedit. Mox per Murenam in Asia classem Mithridatis, & Ptolemæum regem Alexandriæ consuli Syllæ conciliauit. Prætor Africā iustissimè rexit. Aduersus Mithridatem missus, collegam suum Cottā † Calcedoniæ obsessum liberauit. Cyzicon obsidione

al. Chalcedone

ne soluit, Mithridatis copias ferro & fame afflixit, eumq; regno suo Ponto expulit. Quem rursum cum Tigrane rege Armeniæ subueniente, magna fœlicitate superauit. Nimius in habitu. Maximè signorum & tabularum amore flagrauit. Pòst, cum alienata mēte desipere cœpit, tutela eius M. Lucullo fratri permissa est.

IN CAPVT LXXIIII.

Lucius Lucullus.] *Huius Luculli gesta copiose descripta sunt apud Plutar. in eius uita, & Volat. lib. 16. cap. 4. Vrban. comment. sparsim uerò apud Plin. lib. 26. cap. 4. lib. 34. cap. 7. lib. 2. cap. 107. lib. 18. cap. 6. lib. 15. cap. 25. lib. 14. cap. 14. Oros. lib. 5. cap. 19. Appian. in Mithridatico, Florū lib. 3. cap. 5. Val. Max. lib. 7. cap. 9. § 1. Front. lib. 1. cap. 5. § 3. Sabell. lib. 4. cap. 4. § 1. lib. 8. cap. 7. § 5. & cap. 2. § 6. Fulgos. lib. 1. cap. 5. § 4. & cap. 3. § 1. lib. 6. cap. 1. § 2. lib. 5. cap. 5. § 4. &c.*

Nobilis.] *Duxit enim originem à Lucio Licinio Lucullo, qui temporibus Scipionis Aemiliani, uel paulo ante initiū belli Punici fuit cōsul cum A. Posthumio Albino, & deinde quoq; cum Claudio Marcello, de cuius militari fortitudine copiose*

Liuius lib.49. Epitomes. Cuius filiũ uel nepotem, Lucium hunc Lucullum (cuius gestã præsenti capite describit Plinius) fuisse, apud Volater.lib.16. cap.4. Vrban.comment. legimus.

Disertus.] Antiochũ enim Ascalonitam, ueteris Academiæ hominem eloquentißimum, & philosophum insignem, præceptorem habuit: cum Hortensio summo oratore, & Sisenna historico præclarißimo, persæpe literis certauit: & de bello Marsico, cui ipse cum Sylla interfuit, doctißimum librum edidit. De cuius eruditione & eloquentia, Plutar. & Francis. Petrar. lib.2.tract.1. cap.4. Rerum memorabilium, ubi imperatorem & philosophum fuisse ait.

Diues.] Eius opes & diuitias, cùm ex ijs quæ mox sequentur, tum ex conuiuiorum apparatu colligere licet: tanta enim semper celebrauit conuiuia, ut opulentißimi regis fortunam excedere uiderentur. unde & non immeritò inter rara luxuriæ exempla numeratus est. Notum enim est illud celebre Quiritum dicterium: Loquitur ut Cato, uiuit ut Lucullus. De huius autem luxuria uide Plutarchum, Fulgosum lib.9.cap.1.§ 11. Sabel. lib.8.cap.7.§ 6. Exemp. Cælium Rhodigin.lib.7. cap.11. Lect.antiq.

Munus quæstorium.] Ludos magnificentißimos intellige, quos partim proprijs, partim publicis

cis sumptibus quæstores, prætores, ac ædiles pro consuetudine edere solebant, ut ex Fenestella & Alexand. ab Alex. suprà dictum est.

Classem Mithridatis.] *regis Ponti, contra quē septem annis bellum gessit, testāte Velleio Paterculo lib. 2. Huius autem Mithridatis uitam pete ex capite penultimo.*

Et Ptolemæum.] *Alij hunc in modum legunt, Mox per Murenam in Asia classem Mithridatis, & per Ptolemæum regem, &c. quam lectionem & Volaterranus quoq; in Anthropologia secutus est. tu uide hanc historiam copiosè descriptam in Mithridatico Appiani.*

Regem Alexandriæ.] *Chalcedoniæ legit Volaterranus lib. 16. Est autem Alexandria insignis Aegypti urbs, adeoq; uertex omnium (ut Marcellinus ait) ciuitatum in Aegypto. De cuius situ, origine, & potentia Strabo libro 17. Diodor. Sic. lib. 17. Egesippus lib. 10. Plinius lib. 5. cap. 31. lib. 36. cap. 12. lib. 37. cap. 17. Iustin. lib. 11.*

Consuli Syllæ.] *sub cuius signis primò stipendia fecit. Volaterranus autem non Syllam, sed Sullam ubique uocat, qui marmorum inscriptiones plerunq; sequitur.*

Iustißimè rexit.] *Cum enim in ea prouincia capita hominum ob alieni æris magnitudinem libertate priuarentur, ipse iustißimo decreto fœne-*

ratoriam licentiam cohibuit. qua de re Sabellicus lib.4.cap.4.§ 4.Ethnicorum exempl.& Alexã. ab Alex.libro 1.cap.7.Genial.dier.

Collegam.] in consulatu. huius autẽ consulatus meminit Plinius lib.36.cap.6.Nat.historiæ.

Aduersus Mithridatem.] qui per quadraginta annos Romanis restitit, donec tribus ingentibus bellis subactus, fœlicitate Syllæ, magnitudine Pompeij, & nostri Luculli uirtute consumeretur. De qua re Plinius capite proximo.

Cottam.] M.Cottam intelligit, qui terra mariq; profligatus à Mithridate, sexaginta naues & militum quatuor millia strage amisit.

Chalcedoniæ.] Chalcedonia, siue Chalcedon est minoris Asiæ urbs, iuxta Bosphorum Thracicum, quam Megarenses olim condidere pro colonia, quos Megabysus Persarum dux (ut apud Herodotum legimus) solebat cæcos uocare, quòd dimissa meliore tellure hanc ut peiorem elegissent. Arrianus autem scribit, Dorienses colonos Chalcedoniam incoluisse, nomine à Chalcedone fluuio propinquo sumpto. Tu lege eа quæ de Chalcedonia scribit Strabo libro 12. Plinius libro 5. cap.32. Pomp.Mela libro 1.cap.19.Volat.lib.10.cap.1.

Cyzicon.] Alij legunt Cyricon, sed malè. Est autem Cyzicus nobilis Asiæ urbs ad Propontidem uel Hellespontum sita, arce, mœnibus, portu, turribusq;

ribusq; marmoreis munita, & Adrastiæ Nemesis templo nobilitata. De qua Strabo libro 12. Plinius libro 3.cap.32. Pomp. Mel.cap.19. libri 1. Florus lib. 5.cap.5. Valerius libro 2. Argonauticôn, Nec procul ad tenuis, &c. Ouid.lib. 1. Tristium, qui ab Aemonijs extructum putat: Cyzicon Aemoniæ nobile gentis opus, &c.

Obsidione soluit.] Mithridates Cyzicum cum obsideret, captiuos eius urbis produxit, ostenditq; obsessis: arbitratus futurum, ut miseratione suorum compelleret ad deditionem oppidanos. at illi cohortati, mortem contemnentes, Romanis fidem seruare perseuerarunt, à qua demum obsidione à Lucullo nostro liberati sunt. Vide Frontinum libro 4.cap.5.§ 20.& libro 2.cap.1.§ 14. Stratagematum. Præterea quomodo Mithridates Cyzicenos fossa cinxerit, eosdemq; uarijs modis irritarit, copiose leges apud Orosium libro 6. cap.2. Eutrop.libro 6.cap.1.

Ferro afflixit.] Mithridates enim inopia laborans, partem copiarum armis instructum, domum abire præcepit, quam Lucullus excipiens uniuersam disperdidit, interfectis quindecim hominum millibus.

Fame afflixit.] Mithridates quippe cū urbem Cyzicum obsideret, longa mora in magnā penuriam, pestilentiamq; exercitū suū coartauit, nā plus

quàm

quàm trecenta hominum millia, teste Orosio, fame & morbo in ea obsidione amisisse fertur. Verùm addendum est & illud, ad Cyzicos liberandos Lucullum Mithridati omnem comeatum interclusisse: quo facto, cum rex castra mouere cogeretur, Cyziceni festum diem L. Lucullo instituerunt urbis liberatori, quæ Lucullea appellata sunt. Lege Plin. lib. 5. cap. 32.

Ponto.] ex minoris Asiæ prouincia, quæ à Ponto rege ita appellata est. De qua lege Strabonem 1. 2. 8. 9. & 11. libris.

Cum Tigrane.] Qui cum Mithridatis exercitu ducenta quinquaginta peditum & equitum quinquaginta millia habuisse dicitur. Vnde Luculli paucitatem militum deridens, eos dicebat esse nimis multos, si uenissent ut legati: si uerò ut hostes, nimis paucos.

Armeniæ.] Armenia Asiæ regio est inter Taurum & Caucasum montes, à Cappodocia ad Caspium mare protensa, quæ dicta est ab Armenio Thessalo Iasonis comite. de qua uide Ptolemæi tabulam Asiæ quartam, Strab. lib. 11. Plin. lib. 6. cap. 9. & 2. & 3. Pomp. Mel. lib. 1. cap. 3. & Volater. lib. 10. cap. 1. Geographiæ.

Magna felicitate superauit.] Tigranocertã enim ciuitatem Arzianæ nobilißimam regni Armenij cœpit. Ipsumq; regem cum septem millibus quingen-

quingentis clibanarijs, & centum millibus sagittariorum & armatorum uenientem, cum decem & octo millibus uicit: & ita quidem, ut magnam partem Armeniorum deleuerit. Inde Nisibin profectus, eam quoque ciuitatem cum regis fratre cœpit. lege Eutropium libro 6. cap. 2. Oros. libro 6. cap. 3. Gestum autem est hoc bellum, teste Eutrop. anno ab urbe condita 681.

Nimius in habitu.] Ad prætorum enim ludos maximo adparatu celebrandos, et ad scenã instruendam uestes ducentas detulit, atq; omnes purpureas: unde Lucullus Xerxes togatus dictus est, teste Plinio lib. 9. cap. 54. Sabell. lib. 6. cap. 3. § 13. et lib. 8. cap. 7. § 5. Exempl. ethnic. & Fulgos. Genuens. lib. 9. cap. 1. § 11. Rerum memorabilium.

Signorũ.] De signis ex Ponti insulis Romã à Lucullo aduectis, lege Plin. lib. 4. cap. 13. et lib. 34. cap. 7. & lib. quoq; 35. cap. 12. Natur. hist.

Tabularum.] Duobus talentis tabulam depictam emisse, idẽ Plinius testatur cap. 12. lib. 35. Apollinem ex longinqua regione in Capitolium uexisse, lib. 4. cap. 13. & lib. 34. cap. 7. Herculi statuam depictam dicasse, lib. 34. cap. 8.

Alienata mente desipere cœpit.] Lucullum ferunt sub mortem aduersa mentis ualetudine captum, paulatim contabuisse: cuius rei rationes ex Cornelio Nepote reddit Plutarch. in uita Luculli, meminit

meminit quoque Plinius lib.25.cap.3.

Tutela eius.] *Triplicem tutelam iurisconsulti faciunt, testamentariam, legittimam, & datiuā: de quibus consule Seruium capite de Tutelis.*

Marco Lucullo.] *Qui eodem tempore cōtra Macedones populi Romani atrocissimos hostes fortiter pugnauit, teste Eutrop.cap.2.lib.6.*

DE LVCIO CORNELIO SYLLA.
Capùt LXXV.

Cornelius Sylla in fortuna felix dictus, cum paruulus à nutrice ferret, mulier obuia: Salue, inquit, puer, tibi & Reipub. tuæ felix. Et statim quæsita, quæ hæc dixisset, nō potuit inueniri. Hic quæstor Marij Iugurtham à Bocho in deditionem accepit. Bello Cymbrico, & Theutonico legatus bonam operam nauauit. Prætor inter ciueis ius dixit. Pretor Ciliciā prouinciā habuit. Bello sociali Samniteis, Hirpinosq; superauit. Ne monimēta Bochi tollerentur, Mario restitit. Consul Asiam sortitus, Mithridatē apud Orchomenū et Chæroneā prelio fudit, Archelaū prælio

prælio, præfectum eius, Athenis uicit: portũ Peiræum recepit: Medos, Dardanos in itinere superauit. Mox cum rogatione Sulpitia imperiũ eius trãsferretur, ad Mariũ in Italiam regressus, corruptis aduersariorum exercitibus, Carbonem Italia expulit. Marium apud Sacriportum, Telesinum apud portã Collinã uicit. Mario Præneste interfecto, felicem se edicto appellauit. Proscriptionis tabulas primus proposuit. Nouem millia deditorum in uia publica cecîdit. Numerum sacerdotum auxit. Tribunitiam potestatẽ minuit. Republica ordinata dictaturam deposuit. Vnde spe deceptus, Puteolos concesſit: & morbo qui phtheiriasis uocatur, interijt.

IN CAPVT LXXV.

Lucius Cornelius Sylla.] *De huius Syllæ rebus gestis Plutarchus, qui totam eius uitam descripsit. Strabo lib. 7. Appian. lib. 1. bel. ciu. Flor. lib. 3. cap. 5. & 18. & 21. Oros. lib. 5. cap. 21. & 22. lib. 6. cap. 2. Eutrop. lib. 5. ca. 3. Plin. lib. 2. cap. 56. lib. 7. cap.*

cap.43. & .54. lib.37. cap.1. lib.33.cap.1. & 10. lib.36.cap. 6.lib.21.cap.6. Valerius Max. lib.5. cap.2.§ 10,lib.1.cap.6. § 4.Frontinus lib. 1.cap. 10.§ 2.cap.12.§ 20.cap. 12.§ 11.lib. 2.cap.3. § 16.cap.7.§ 2.cap.8.§ 11.cap.9.§ 3.& lib.4.ca. 1.§.29.Fulgosus libro 8.cap. 6.§ 4.lib.4.cap. 1. § 5.lib.3.cap.7.§ 9.lib. 6.cap.4. § 14. cap.4. § 5.lib. 1. cap. 5. § 1. & § 2. Franciscus Patricius Senensis de Institutione regis lib.4.cap.10.& 17. & lib.6.cap.24.lib.9.cap.19.lib.4.cap.9.Sabel. lib.3.Ennead. 6.Rhapsf.& lib.4.cap.2.§ 4.lib.9. cap.7.§ 1.lib.10.cap.3.§ 4.lib.9.cap.10.§ 4.Exempl. Volater.lib.19.cap.3. Vrban.com. Cælius Rhod.lib.17.cap.10.&c.

Sylla.] *Sunt qui Sillam dictum putent, à silo naso, qui est sursum uersus & repandus. Sed non ignorandum, à Græcis pariter & latinis Syllam per y Græcum scribi, quod ex monumentis Sudæ perspicuum est: teste Cælio Rhod. libro 24. cap. 5. licet Volaterranus ex ueterum marmorum inscriptionibus Sullam ubiq; scribendum putet, libro 19. cap.3. Vrban.com.*

Felix cognominatus.] *A felicitate quidam cognomina sibi asciuêre, sicuti testatur Eudæmonis quoq; appellatio, qua Bassum secundum fuisse ornatum, uetus testatur historia. Vnum tamen hominum ad id æui felicis sibi cognomen Syllã asciuisse constat,*

constat, eo quòd Metelli fuisset amicus, & quòd Athenas non delesset. Cuius rei autores sunt Plutarchus in Apopht.Rom.14. *Plin.lib.7. cap.34. & 43.* Cælius Rhodig. *lib.13. cap.13. & lib.24. cap.6.* Francis.Patricius Senensis *lib.13.cap.13.de* Regis instit. Appian. *lib.1.*Bell.ciuil. *ubi de Syllæ imagine equestri.*

Salue, inquit.] Hanc *historiam copiosissimè describit* Plutarchus *in uita Syllæ.*

Quæstor.]*in Libya scilicet,teste* Plutarcho.

Marij.]*tum imperatoris.*

Iugurtham.] Numidiæ *regē bellicosissimum, cuius à se capti imaginem in annulo habuisse dicitur, testante in* Politicis Plutarcho. De Iugurtha *autem rege diximus suprà 62.& 72.capitibus.*

A Boccho in deditionem accepit.] Fuit Bocchus Getuliæ *&* Mauritaniæ *rex,* Iugurthæ Numidarum *regis socer.de quo lege* Florū *lib.3.cap.3.* Salust.*in* Iugurtha, Oros.*lib.5.cap.5.* Eutrop. *lib.4.cap.4.* Volater.*lib.12.cap.8.*Geographiæ, *&* Plinium *suprà cap.66.*

Bello Cymbrico.] *de quo* Liuius *lib.68.*Flor. *lib.3.cap.3.* Plutarch.*in* Mario, *& de fortuna* Romanorum *circa finem,* Appianus *in* Celtico,Plin. *lib.17. cap.1. lib.16. cap.33. lib.7. cap.22.& lib.26.cap.4.* Oros.*lib.5. cap.16.* Eutrop.*lib.5.cap.1.*Gestum *est autem hoc bellum,secundū plerosq;,*

anno ab Vrbe condita 642. Caio Manlio & Q. Cœpione proconsule.

Prætor inter ciues ius dixit.] Vrbanũ prætorem intellige. Verùm quo tẽpore primũ prætores creari cœperint, quod ius, quæ'ue illorum fuerit potestas, lege Liuiũ in fine lib. 6. Fenestel. cap. 19. de Rom. magist. Alexand. ab Alex. lib. 2. cap. 15. & lib. 6. cap. 24. Blond. lib. 2. de Rom. triumph.

Ciliciam prouinciam.] Asiæ scilicet minori & Syriæ conterminam. Clauditur autem hæc regio ab oriente, Amano: à septentrione, Tauri iugis: ab occidente, Pamphylia. cuius descriptionem pete ex Strab. lib. 16. Pompon. Mel. lib. 1. cap. 14. Plin. lib. 5. cap. 22. & 27. Solin. cap. 51. Polyhist. Volater. lib. 10. cap. 5. Geographiæ.

Bello Sociali.] quod ab Italis, quibus à Fuluio Graccho promissa erat urbs, traxit originem, anno ab Vrbe cõdita, iuxta Oros. 659. Eutr. 649. Liuiũ uerò 663. de quo bello uide suprà cap. 63.

Samnites.] Italiæ pop. inter Picenum, Campaniam, & Apuliam: de quibus suprà sæpe dictum.

Hirpinos.] Hirpini erant Ausones, Arunci, & Sidicini, in partibus Samnitũ cõmixti. Sunt autem dicti Hirpini à lupo, qui eis in ducẽda colonia dux oblatus est. Samnites enim hirpum lupũ appellant. Vide de his Strabonem lib. 5. Plin. lib. 3. cap. 11. Volater. lib. 6. cap. 5. Geographiæ.

Monu-

Monumenta.] Alij legunt munimenta,sed male.intelligit enim imaginem,quam gestare solebat Sylla: in qua rex Bocchus Iugurthã captum, iam ad C. Marium, patrem Syllæ,tradebat perducendum.qua de re lege Plutarchum.

Mario.] qui inuidia tum temporis maxima erga Syllam incensus (quandoquidem suæ gloriæ participem uidisset) erat.

Asiam sortitus.] Sorte enim quæstores,prætores,& consules,obtinebant prouincias:eamq; sortem fieri diuinitus putabant. De uarijs autem sortis generibus,Blond.lib.1.Rom.triumph. & Cæl. Rhodig.lib.22.cap.18.Lect.antiq.

Mithridatem.] Ponti & Armeniæ regem: qui Nicomedem Bithyniæ regem, ac populi Romani amicũ,regno priuare uoluit.de quo bello Appianus in Mithridatico,Liuius lib.76. Plutarchus in Sylla,Lucullo,& Pompeio,Florus lib.3.cap.5.Eutrop.lib.5.cap.3.Plin.lib.7.cap.22.lib.16.cap.33. Frontinus lib.1.cap.5.§ 17.Stratagematum.

Orchomenum.] Thessaliæ, uel Bœotiæ ciuitatem, locupletem & potentem: quæ in plano prius sita, aquarũ inundatione in montem eiusdẽ nominis translata est. de qua Plinius lib.4.cap.6. & lib.8. cap.58. Volaterranus lib.8. cap.9. qui etiam lib.9.cap.1.Geographiæ,Orchomenum Arcadiæ ciuitatem facit. Sed eam quam Homerus

pecorosam, pascuisq; idoneã dicit. uide præterea Strabonem lib.19.& Melam lib.2.cap.3.

Chæroneam.] urbem eiusdem regionis, iuxta Orchomenum sitam: ubi & olim Amyntæ filius Philippus, magno prælio uictis Athenienſibus, Bœotijs, & Corinthijs, Græciam suo subiugauit imperio. Ea autem ex urbe, Plutarchus insignis ille philosophus & historicus natus fertur. de qua Strabo lib.9.& Volat.lib.8.cap.9.

Prælio fudit.] Adeò fudit prælio, ut præter paucos, qui fuga in naues salutem compararunt, reliqui aut ferro ceciderint, aut capti in hostium potestatem uenerint. Fuere autem duæ clades, ut ex Flori lib.3.cap.5.colligimus: una quidem apud Chæroneam, altera apud Orchomenũ. Vide quoque Frontinum lib.2.cap.8.§ 11. Stratagem.

Archelaum præfectum.] ducem Mithridatis: qui, Eutropio & Orosio authoribus, cum cẽtum uiginti millibus peditũ atq; equitum in Achaiam præmissus erat: & Athenas, cunctamq; ferè Græciam partim ui, partim deditione obtinuerat.

Prælio uicit.] Vide Frontinum loco iam citato, & libro præterea 1.cap.5.§ 17.Stratagem.

Athenis.] Atticæ urbe, quæ bellicis rebus, & bonis artibus quondam omnium fuit celeberrima. de qua illud Salustij de Carthagine potest usurpari, Satius scilicet de Athenis silere, quàm parum dicere.

cere. Tu lege Strabonem lib. 8. & 9. Herod. lib. 1. 2. & 8. Plin. lib. 4. cap. 7. lib. 35. cap. 14. Volater. lib. 38. cap. 8. Paralip. Sed quantum ad præsentem attinet historiam, Archelaus primùm urbem occupauit, grauiq; seruitio preßit. L. Sylla circumsessam magno labore expugnauit, et in antiquam libertatem restituit. Postremò tamen, cum Galli rebus exciderent Constantinopolitanis, Athenas diu obtinuerunt cum Peloponneso: quorum imperium, dum in regnum transferretur Neapolitanum, ad manus Acciaiolorum Florentinorum sub Io regina peruenit, deniq; ad Turcas: hodie uerò Barbari corrupto uocabulo Sethinæ uocant.

Pyrrhæum portum.] De Pyrrhæo portu, eiusq; capacitate & ambitu, multa Strabo lib. 8. Plinius lib. 2. cap. 87. Mela lib. 2. cap. 3. Gell. lib. 2. cap. 21. & lib. 1. cap. 15. Ouidius lib. 6. Metamorphos. Portus Cecropio, &c. Notandum autem, quosdam Piræeum pronunciare, quosdam Pyreum, à quo Pyrrhea & Pyrrhæea accusandi casu: ut Statius lib. 12. in catalogo copiarum, quæ Theseum sequutæ sunt, Munychiam & trepidis, &c. & Ouid. lib. 4. Fast. Pyrrhæa plurali, Sunion expositum, &c.

Recepit.] Quomodo receperit, pete ex Orosio & Eutropio.

Medos.] Asiæ pop. à Medo, Medeæ & Aegei

Atheniensis filio (ut Solinus refert) dictos. quos tamen Iosephus Iudæus, à Medeo filio Iaphet dictos esse putat. De quibus Strabo lib. 11. Plin. lib. 6. cap. 14. & 26. & 27. Solin. cap. 25. Pomp. Mela lib. 1. cap. 3. Volater. lib. 12. cap. 2. Leonicus lib. 2. cap. 35. de Varia historia.

Dardanos.] *Dardania, Phrygiæ regio est, ab Electræ & Iouis denominata filio: quam quidã Samothraciam hodie, Volaterranus uerò Rasciam ac Seruiam dici putat. de qua Strabo lib. 13. Plin. lib. 4. cap. 1. et 10. Volater. lib. 38. cap. 8. Paralip. et lib. 7. cap. 5. Geograph. Leonicus lib. 3. cap. 67.*

In itinere superauit.] *Vno uerbo tres cruentißimas clades complectitur: in quarum prima, iuxta Oros. & Eutrop. centum & decem millia de Archelai exercitu interfecta sunt. In secunda, quinquaginta millia, cum Dione eius filio. Tertia uerò, omnes copiæ simul extinctæ sunt.*

Carbonẽ Italia expulit.] *Sylla Cn. Carbonem, exercitu eius ad Clusium, ad Fauentiam, Fidentiamq; cæso, Italia expulit, teste Liuio lib. 88. Plutarcho in uita Marij & Syllæ.*

Marium.] *Iuniorem, uel filiũ intellige: de quo dictum est suprà cap. 68. de quo triumphauit, teste Plinio lib. 33. cap. 1. interfectis quinque (iuxta Claudium) & uiginti hominum millibus.*

Apud Sacriportum.] *De Sacriporto, & cla-*

de

de cruentißima eo loco edita, diximus satis suprà cap. 68.

Pontium Telesinum.] *Samnitũ ducem: de quo* Florus *lib. 3. cap. 18. & 21.* Oros. *lib. 3. cap. 15.* Eutrop. *lib. 2. cap. 2.* Volater. *lib. 18. cap. 1.* Anthrop.

Porta Collina.] *quæ fuit in ipso colle Quirinali, septentrionem uersus: quæ & alio nomine Agonensis & Salaria nominata est.* De porta Collina, *lege Ouid. lib. 4. Fast. Templa frequen. &c.* Blond. *lib. 1. de* Rom. *instaur. 9.* Pom. Læt. § 46. *Marlian. lib. 1. cap. 7.* Topograph. *urbis.*

Vicit.] *Syllæ apud portam Collinam exercitum atq; pugnam graphicè depingit* Appian. *lib. 1. Bell. ciuil.* Florus *lib. 3. cap. 2.* Liuius *lib. 88. Abbre. in qua Sylla octoginta millia interfecit, undecim millia in deditionem accepit: in reliquam autem multitudinem, maximam crudelitatem exercuit, teste* Orosio *lib. 5. cap. 20. in fine, &* Eutropio *lib. 5. cap. ultimo.*

Mario interfecto.] *à* Pontio *uidelicet* Telesino, *fugæ omnium fidißimo comite: ut dictum est suprà cap. 68. Hanc autem historiam leges apud* Valer. Maxim. *lib. 6. cap. 8. § 3.* Blondum *lib. 7. de* Rom. *triumph.*

Præneste.] *Latij urbe, de qua copiose scripsimus quoq; suprà cap. 68. in Mario.*

Fœlicem se edicto appellauit.] *Imaginem* Sylla

ex auro equestrem, ante rostra sibi collocari uoluit, cum hac inscriptione: Cornelio Syllæ imperatori fortunato. Sic enim illum adulatores, in hostem fœliciter pugnantem, appellitare consueuerant. Qua de re copiose Appianus, qui Syllã non tantum fœlicem, uerumetiam uenustum adpellatum esse, memoriæ prodidit.

Proscriptionis tabulas proposuit.] Proponẽs Sylla proscriptionis tabulas, pro præmio duo talenta ei constituit, qui proscriptum necasset, non patrem, non filium, non fratres excipiens. De cuius proscriptionibus & nefanda crudelitate, qua Roma nil unquã uidit indignius, copiose Plut. in uita Syllæ, Appian. lib. 1. Oros. lib. 5. cap. 21. Eutrop. lib. 5. cap. 3. sub finem, Liuius lib. 88. Abbre. Flor. lib. 3. cap. 21. Plin. lib. 7. cap. 43. Francis. Patricius Senẽsis lib. 4. cap. 20. de Regis instit. Frontin. lib. 2. cap. 9. § 3. Volater. lib. 19. cap. 3. Lucan. lib. 2. Nobilitas cum plebe perit, &c.

In uilla publica.] Fuit uilla hæc publica, domus ampla, in modum curiæ, à Camillo condita: in qua legati hostium, quibus neque in urbem patebat aditus, neque in Græcostasi hospitium concedebatur, recipiebantur: quam Liuius lib. 5. in campo Martio fuisse ait. De hac igitur uilla plura leges apud Blondum lib. 8. Rom. triumph. & Marlian. lib. 6. cap. 14. P. Victorẽ in regione urbis 9.

Verùm

Verùm notandum hoc loco, diuersam esse à Plinio nostro lectionem Liuij, qui ait, in uia (non uilla) publica octo (non nouem) millia deditorum à Sylla trucidata esse.

Numerum sacerdotum auxit.] De origine, numero, officio, & dignitate sacerdotum summorumq; Pontificum, lege Fenestellam & Pomponium Lætum de Rom. sacerdotijs, Blond. lib. 2. Rom. triumph. à principio, Alexand. ab Alexand. lib. 2. cap. 8. Genial. dier. 8. Constat aūt, post Numā Pompilium quatuor pontificum & summorum sacerdotum collegia instituta esse: quem deinde numerum Tribuni plebis promulgata rogatione adauxêre, ôcto collegia constituentes: qui numerus longo temporis interuallo inuiolatus mansit, donec Sylla noster ad decimum quintum usque collegium ampliauit.

Tribunitiā potestatē minuit.] Tribunitiā potestatē adeò perfregit, ac debilitauit Sylla, ut ferè ad nihilum redegerit, cum ex lege prohiberet, qui Tribunatū gessisset, ulterius potestatem habere: uide Appian. ut suprà, Alex. ab Alex. lib. 5. cap. 1. Genial. dier. Volater. lib. 14. cap. 2. Vrb. com.

Repub. ordinata.] Sylla quasdam leges dissoluit, & alias imposuit, neq; aliquem prius Prætorem, quàm Quæstorem esse uoluit: nec Consulem antè quàm Prætorem, & eandem potestatem eun

dem uirum attingere, priusquam decennium peregißet, ex decreto uetuit. Cuius rei idem Appian. *testis est, ex quo Syllæ leges omnes ordine in libello de* Legibus *enumerauimus.*

Dictaturam deposuit.] *Non quidem coactus, sed sua sponte, ut eo cōmodius rationem rerū à se gestarū omnibus reddere posset. Tanta enim erat Syllæ fiducia, ut* Quirites Flacco *interrege Dictatura (quæ per quadringentos intermissa fuerat annos) quàm diu gerere uellet, demandata sit: testante* Cicerone *in oratione contra* Rullum.

Spe deceptus.] *Consularibus quippe comitijs in potestate populi constitutis, nec ipse accesit: sed non aliter ac homo priuatus in foro uersatus, & ab hominibus conuicijs aspersus, multáq; contumelia affectus est.*

Puteolos conceßit.] *in Campaniæ ciuitatem, quæ olim Cumanorum fuit emporium, & à iustissima* Reip. *administratione* Dicæarchia *dicta est. unde eius colonos prolem* Dicæarcheam *dixit lib.* 8. Sylius Italicus. *Sed nomine deinde permutato, à puteorum frequentia* Puteolos *appellauere. Licet etiam sint, qui ab aquarum putore, qui per totum illum &* Baiarum *&* Cumarum *tractum existit, ubi & sulphuris, ignis & aquarum calidarum plena sunt omnia, dictam putent. De qua* Strabo *libro* 5. Plinius *libro* 9. *cap.* 8. *libro* 3. *cap.*

5. *lib.*

5.lib.31.cap.2.Pomp.Mel.lib.2.cap.4.Solin.cap. 22.Volater.lib.6.cap.6.Geograph.

Phthiriasis morbo.] *Id est morbo pediculari, ἀπὸ τῶν φθειρῶν. De condigna autem Syllæ crudelißimi morte, copiose leges Plutarch. Plin. libro 7.cap.43.& Appian.lib.1.de bell.ciuilibus.*

Interijt.] *In campo Martio sepultum ferunt deinde Syllam, ubi reges tantum sepeliebantur, cũ sibiipsi his uerbis epitaphium descripsisset: Vt nemo me amicus beneficentia, ita nemo inimicus quoque in ferenda iniuria me superat.*

DE MITHRIDATE REGE PONTI.
Caput LXXVI.

Mithridates rex Ponti oriũdus à septem Persis, magna ui animi & corporis, ut sex iuges equos regeret, duarum & uiginti gentium ore loqueretur, bello Sociali dissidentibus Romanis Nicomedem Bithinia, Ariobarzanem Cappadocia expulit. Literas per totam Asiam misit, ut quicunque Romanus esset, certa die interficeretur, & factũ est. Græciam, insulasq; omneis, excepta Rhodo, occupauit. Sylla eum prælio uicit, Classem eius proditione Archelai

Archelai intercepit. Ipsum apud Orchienum oppidum fudit, & oppressit: & potuit capere, nisi aduersum Marium festinans, qualemcunque pacem componere maluisset. Deinde eum Cabiris resistentem, Lucullus fudit. Mithridates pòst à Pompeio nocturno prælio uictus, in regnum confugit. Vbi per seditionem popularem, à Pharnace filio in turre obsessus, uenenum sumpsit. Cum id tardius biberet, quia aduersum uenena multis antea medicaminibus corpus firmauerat, immissum percussorem Gallum † Sithocum authoritate uultus territum reuocauit, & in cædem suam, manum trepidantis adiuuit.

al. Citocũ

IN CAPVT LXXVI.

Mithridates rex Ponti.] *Ponti reges quàm plurimos Mithridatis nomine salutatos legimus, ex quibus tamen hic qui contra Romanos quadraginta duobus annis fortißimè bellauit, sextum in ordine fuisse constat, de cuius gestis Plin. lib. 36. cap. 8. lib. 7. cap. 24. lib. 33. cap. 3. & 12. lib. 15. cap. 25. lib. 16. cap. 33. lib. 6. cap. 5. lib. 25. cap. 2. lib. 23. cap. 8.*

&o

&c. Plutarch. in uita Syllæ, Marij, Luculli & Cn. Pompeij, Valer. Max. lib. 5. cap. 2. § 12. lib. 9. cap. 2. § 8. cap. 11. § 9. Oros. lib. 6. cap. 2. & 3. Eutropius libro 5. cap. 3. & lib. 6. cap. 1. Flor. lib. 3. cap. 5. Appian. in Mithridatico, Iustin. lib. 37. & 38. Augustin. libro 3. cap. 22. Ciuitat. Fulgos. libro 9. cap. 8. § 2. lib. 7. cap. 3. § 14. lib. 5. cap. 8. § 6. cap. 1. § 22. lib. 6. cap. 5. § 12. lib. 9. cap. 11. § 4. & qui præterea in processu citantur.

A septem Persis.] Fuerunt autem, Orthanes, Intaphernes, Gobrias, Megabyses, Aspathines, Hydarnes, & Darius, qui demum interfectis magis ex equorum fausto hinnitu Persarum regnum adeptus est. De his autem septem Persis multa Herodotus lib. 3. Musarum, Iustinus lib. 1. in Trogum, Sabell. lib. 7. Ennead. 2. Rhapsod. & Ludouicus Viues in lib. 3. cap. 22. Augustini de Ciuitate dei.

Magna ui & animi et corporis.] Et hinc Plinius, nimirum lib. 25. cap. 2. regum omnium sua ætate maximum & bellicosißimum fuiße tradit.

Corporis.] Mithridatem statura ingenti fuisse, ex armorũ forma, quæ Delphos delata sunt, colgimus. De quibus Cælius Rhodig. lib. 29. cap. 17. & Sabell. lib. 5. Ennead. 6. Rhap. in fine.

Duarũ & uiginti gentiũ ore loqueretur.] Alij legunt, quinquaginta gentiũ, sed male. Plin. enim senior lib. 7. cap. 24. & lib. 25. cap. 2. Mithridatẽ

duarum

duarum tantum & uiginti gentiũ, quæ sub eius imperio erant, linguas cognitas habuisse, atq; his iura dixiße scriptum reliquit. cuius sententiã secuti sunt quoq; Solinus cap. 7. Gell. lib. 17. cap. 17. Valer. Max. lib. 8. cap. 7. § ult. Sabell. lib. 10. cap. 10. § 2. Petrarch. lib. 2. tract. 1. cap. 11.

Bello sociali.] *Quod gestum est, iuxta supputationem* Orosij, *anno ab urbe condita 659.* Solini *uerò cap. 2. anno* Vrbis *conditæ 661. de quo bello diximus paulo antè cap. 75.*

Nicomedem.] *Bithiniæ regem, de quo leges* Suetonium *Tranquillum in uita Cæsaris, Iustin. libro 38. à princip. Fulgos. lib. 9. cap. 10. § 14.*

Bithinia expulit.] Ex *Asiæ minoris regione, quæ in* Ponti *exordio ad orientem prospiciens, Thraciæ aduersa est, à fontibus* Sangarij *fluminis primos fines habens.* Hæc *autem prius* Bebrycia, *deinde* Mygdonia, *& demum à* Bithyno *rege* Bithynia *dicta est.* De *qua Strabo libro 12.* Plinius *libro 5. cap. 32. Solinus cap. 54.* Volater. *libro 10. cap. 1. Geographiæ.*

Expulit Nicomedem.] Nicomedes *licet* Bithynia *expulsus, mox tamen per* Syllam *ex senatuscõsulto, regno restitutus est: unde ut gratiã* Romanis *referret, moriens populum* Romanum *hæredẽ reliquit bonorum suorum.*

Ariobazanem.] Quem Iustinus *hominẽ segnẽ*

uocat.

uocat, cuius meminit Florus quoq; libro 3. cap. 5. & Volaterranus lib. 10. cap. 1. Geographiæ. Fuit autem Cappadociæ rex, qui etiam à Sylla populi Romani iussu, cum exercitu in regnum amissum, reductus est.

Cappadocia.] Pontica regione, quæ ad Euxinum uergẽs, cæteris Tauro appositis, magis & magis ad Aquilonẽ spectat. Cuius longitudo à Lycaonia atq; Phrygia usq; ad Euphratem, ad auroram & Armeniam ad tria millia stadiorum est. Vide Strabonem libro 2. & 12. Ptolemæi tabulam Asiæ primam, Plinium libro 6. cap. 8. & 34. Solinum cap. 56. Pomponium Mel. libro 1. cap. 3. Pium 2. Pontif. Max. cap. 43. & Volaterranum libro 10. cap. 1. Geographiæ.

Literas per totam Asiam misit.] Edictum Mithridatis eiusmodi erat, ut ad tricesimam diem omnes pariter Romanos, item mulieres puerosq; qui Romani sanguinis esse censerentur, interficerent. iuxta cuius crudelissimum edictum 150. millia (Plutarcho in uita Syllæ referente) hominum interfecta sunt. iuxta Valerium autem, libro 9. cap. 2. § 8. octoginta millia. Quàm miserabilis autem illa rerum facies fuerit, leges Augustinum lib. 3. cap. 22. Ciuitatis, & Appianum in Mithridatico, Flor. lib. 3. cap. 5.

Insulas omnes.] Harum insularum catalogum

pete

pete ex Floro, qui præcipuas tantum enumerat.

Excepto Rhodo.] De Rhodiorum militari fortitudine, & in Romanos fide: item de naualibus pugnis & uictorijs aduersus Mithridatem, leges Appianum graphicè & ad longum hæc omnia describentem. De Rhodi autem situ & difficili aditu, Rhodiorumq; iustitia & militari fortitudine, Strabo libro 14. Plinius libro 4. cap. 12. libro 6. cap. 34. Mela libro 3. cap. 17. Solin. cap. 21.

Sylla eum prælio uicit.] Apud Orchomenũ scilicet & Cheronæam Asiæ urbes: de quo prælio copiosè Plutarch. in uita Syllæ, Flor. lib. 3. ca. 5. Fron. libro 2. cap. 8. § 11. & Plin. suprà cap. 75.

Archelai.] quem suis militibus præfecerat Mithridates. De Archelai militari fortitudine lege Frontinum libro 1. cap. 5. § 17. cap. 11. § 20. & libro 2. cap. 3. § 16. Volaterranum libro 13. cap. 4. Vrban. com.

Orchomenum.] Alij legunt Orchienum, Dardanum alij, sed malè. Apud Orchomenum enim Thessaliæ urbem Mithridatem à Sylla uictum esse testantur, Florus ut suprà, & idẽ Plinius cap. 75. suprà, ubi de hac urbe plura diximus.

Mariũ.] patrẽ intellige, cuius uitam describit Plinius suprà cap. 67. & Plutarch. copiosissimè.

Qualemcunq; pacem maluisset.] Pacis huius fœdera eiusmodi fuerunt: ut Mithridates rex

Asiam, Paphlagoniamq́; dimitteret, Bithyniam, Nicomediam, Cappadociamq́; Ariobarzani cederet, duo talentûm millia Rom. *populo penderet, septuaginta naues æratas cũ apparatu & armamẽtis exhiberet, Sylla reliquum regnum stabiliter regi aßereret, eundẽq́; populi* Romani *sociũ decerneret*. Plutarchus *in uita Syllæ*.

Cabiris resistentem fudit.] Alij *legunt* Argis *resistentem fudit. sed nostra lectio melior est, cui astipulatur et Strabo lib. 12. qui ait, sub ipsis Paryadræ radicibus Cabira sita eße, stadijs centum et quinquaginta, quàm Megalopolis australiora, Mithridatis sedem expresse adpellitans. idem facit quoq; Volater. lib. 10. cap. 1. in Asiæ descriptione. Cabiris præterea legendũ esse, ex* Eutropio *colligimus, qui lib. 6. cap. 2. hunc in modum scribit: Secundo prælio apud Cabira ciuitatem, quò ingentes copias ex omni regno Mithridates adduxerat, cum triginta millia lectißima regis, à quinq; Romanorum millibus uastata essent, &c.*

Lucullus fudit.] Apud Granicum *scilicet & Asopum amnes, qui ex hac clade cruenti planè redditi sunt. Cuius cladis mentionẽ faciunt* Plut. *in* Lucullo, *et* Q. Flaminio *in fine,* Orosius *lib. 6. cap. 2.* Eutrop. *lib. 6. cap. 2.* Plin. *lib. 15. cap. 26.* Frontin. *lib. 1. cap. 5. § 30. lib. 1. cap. 1. § 14. lib. 2. cap. 2. § 4.* Sabell. *lib. 6. cap. 6. § ult.* Exẽplor.

Nocturno prælio uictus.] Non omnino nox te nebrosa erat, sed luna in occasum uergens adhuc tenuem corporum umbram porrigebat: quod regis milites uehementer delusit. Dum enim eos Romanus inuasisset miles, habens à tergo lunam iam subeuntem occiduum, corporum umbræ quàm longißimæ in aduersos protendebantur hostes. Vnde illi in umbras pro corporibus mißilia iactitantes, frustra uiribus utebantur. Hoc autem stratagema leges apud Plutarchum in Pompeio, Oros. lib. 6. cap. 4. Eutrop. ut suprà, Front. lib. 2. cap. 1. § 12. Stratagem. Interfecta sunt autem in hac clade de Mithridatis exercitu quadraginta millia, Romanorū autem mille uulnerati, & quadraginta tantum (iuxta Oros. & Eutrop.) occisi.

Seditionem popularem.] motam uel ob crudelitatem Castoris Mithridatis præfecti, qui Panagorio præerat: & interfectis amicis regijs arcem occuparat: uel ipsius quoq; regis tyrannidem, qui Laodicen coniugem, matrem, sororem ac filios crudeliter interfecerat. De cuius crudelitate in filios Fulgos. Genuens. lib. 5. cap. 8. § 6.

In turre obsessus.] Pharnaces audita patris sui crudelitate, fratrum, sororum, aliorumq; amicorum morte exercitum ad sese persequendum missum, sibi conciliauit, & contra patrem statim duxit, ut apud Oros. & Eutrop. scriptum est.

Ad-

Aduersum uenena medicaminibus.] De Mithridatis regis antidoto, eiusq; cõpositione, quo quotidie aduersus uenena usus est, copiosissimè Plinius lib. 23. cap. 9. Gellius lib. 17. cap. 16. Volaterranus lib. 17. cap. 1. Vrban. com.

Immissum percussorem.] Simile exemplum ferè recitatur suprà, de Mario patre, qui Gallum quoque percussorem uultus authoritate deterruit, cap. 67.

Gallum.] Orosius lib. 6. cap. 5. & Eutropius ut suprà, Gallum quoq; nominãt: Appianus uerò in fine Mithridatici belli Britium Celtarũ ducem appellat, quem cum fracto muro discurrentem uidisset, iugulum præbens, orauit ut ferro confoderet, ne in hostium potestatem ueniret. Gellius aũt loco citato ait, Mithridatem cum uenena frustra expertus esset, suo se ipsum gladio trãsegisse. Qui fuit decimus sextus à Dario ultimo Persarum rege: à primo Mithridate, qui à Macedonibus defecit, Pontumq; occupauit, octauus. uixit annos duodeseptuaginta, rex fuit annis 57.

DE CNEO POMPEIO MAGNO. Cap. LXXVII. 77

CNeus Pompeius Magnus ciuili bello Syllæ partes secutus, ita egit, ut ab eo maxime diligeretur. Si

ciliã sine bello à proscriptis recepit. Numidiam Iarbæ ereptam, Masinissæ restituit: uiginti sex annos natus, triumphauit. Lepidum acta Syllæ rescindere uolentem, priuatus Italia abrogauit. Prætor in Hispaniã† procõsuli missus, Sertorium uicit. Mox piratas intra quadragesimum diem subegit. Tigranem ad deditionem, Mithridatem ad uenenum cõpulit. Deinde mira fœlicitate rerum in septentrione Albanos, Colchos, Heniochos, Caspios, Hiberos, nunc in orientem Parthos, Arabas, atq; Iudæos cum magno sui terrore, penetrauit. Primus in Hircanũ, Rubrum, & Arabicũ mare usq; peruenit. Mox diuiso orbis imperio, cũ Crassus Syriam, Cæsar Galliam, Pompeius urbem obtineret, post cædẽ Crassi Cæsarem dimittere exercitum iussit. †Cuius infesto aduentu urbe pulsus, in Pharsalia uictus, ad Ptolemæum Alexandriæ regem fugit. Huius latus

al. pro consulibus

uiae uel septentrione

al. eius

tus sub oculis uxoris & liberorum, à Septimio Ptolemæi præfecto mucrone confossum est. Iamq; defuncti caput gladio præcisum, quod usq; ad ea tempora fuerat adoratum. Truncus Nilo iactus, à Seruio Codro rogo inustus humatusq; est: inscribēte sepulchro, Hic situs est Magnus P. caput ab Achilla Ptolemæi satellite, Aegyptio uelamine inuolutū, cum annulo Cęsari præsentatum est. Qui non continens lachrymas, illud plurimis & preciosissimis odoribus cremandum curauit.

IN CAPVT LXXVII.

De Cnei Pompeij rebus egregiè gestis, omnia plena sunt. *Liuius lib. 79. 85. 109. & sequentibus, Appian. lib. 1. bellor. ciuil. Plut. in eius uita, in Cæsare & Lucullo, Flor. lib. 3. cap. 5. & 6. Orosius lib. 6. cap. 6. Eutrop. lib. 6. cap. 2. 3. & 8. Val. Max. lib. 1. cap. 5. § 5. lib. 5. cap. 3. § 11. lib. 4. cap. 5 § 6. cap. 7. § 11. Plin. lib. 7. cap. 3. 12. 25. et 26. lib. 10. cap. 14. lib. 7. cap. 30. lib. 12. cap. 4. lib. 3. cap. 3. lib. 23. cap. 8. lib. 33. cap. 10. & 12. lib. 37. cap. 7. &c. August. lib. 3. cap. 30. & lib.*

18.cap.45.ciuitatis, Front.lib.1.cap.1.§ 7. lib. 2.cap.5.§ 33.lib.1. cap. 4.§ 7. cap.10.§ penult. lib.2.cap.1.§ 12.cap.2.§ 2. cap.3.§ 13.cap.4.§ 21.cap.5.§ 31.& lib. 4.cap. 5. § 1.Sabell.lib.3. Ennead.6. & lib.4.Ennead 6.lib.7.Ennead.6. Rapsod.lib.4.cap.2.§ 3.lib. 6. cap.3.§ 12. cap. 9.§ ultimo,lib.7.cap.3.§ 7.cap.5.§ ultimo.lib. 8.cap.1. § 6. Exemplor. ethnicor. Fulgos.lib.2. cap.5.§ 11. lib.5.cap.1.§ 2. lib.6.cap.2.§ 3.lib. 5.cap.3.§ 10 lib.4.cap.2.§ 1.& lib.8.cap. 15.§ 12.Francis.Petrar.lib.4.tract.5.cap.8. Lorbardus de Syricho cap.16.suppl.in Petrar. Volater. lib.18.cap.1. Vrban.com. Antonin.Florent.tom. 1.tit.4.cap.5.§ 31.Lucan.lib.2.Pharsal.

Magnus.] *Pompeius quando & quomodo Magni cognomen adeptus sit, discrepant authores. Sunt qui referant, post egregia facinora Romam uocatum, Syllamq; cum ingenti multitudine obuiam processisse, eumq; ad primũ congressum Magnum appellasse: in qua sententia & Plutarchus in Romanorum Apoph. quoq; esse uidetur. Alij fauore militari, cum in Asia militaret, hoc cognominis datum esse arbitrantur. Appianus autem Pharnace prius fugato quàm uiso, Cæsarem ipsum exclamasse ait, Hi sunt qui te Magnum fecere Pompei. quæ uox significare uidetur, ex nobili ea uictoria Magnum appellari contigisse.*

An-

Antoninus Florentinus propter magnitudinem sui ualoris (ut qui in oriente cum uiginti duobus regibus bella gessit, eosq; uicit) Magnum cognominatum asserit. Verum (ut in eius uita Plutarchus scriptum reliquit) constat Pompeium tum primum in epistolis Magni appellationem usurpasse, quum in Hispania aduersus Sertorium belligerauit. quod nomen duobus tantum Romanis ob præclarissimas uirtutes contigit, Valerio scilicet & Fabio Rullo. De Pompeij autem Magni nomine, uide praeterea Plinium libro 7. capite 26. Sabellicum libro 4. cap. 2. § 3. & lib. 6. cap. 3. § 12. Exemplorum.

Bello ciuili.] Bellum ciuile inter Syllam & Marium intelligit, quod gestum est iuxta Orosij & Eutropij supputationem, anno ab Vrbe condita 662. de quo bello copiosè suprà diximus.

Syllæ partes sequutus.) Quemadmodum enim Iulius Cæsar de partibus Marij, ita Pompeius de factione fuit Syllæ, cuius uitam lege suprà cap. 75. & hinc nimirum Sertorius Pompeium Magnum Syllæ discipulū appellare solitus erat, cuius rei testis est Plutarchus in Sertorio.

Ita egit ut ab eo maximè diligeretur.) Huius dilectionis causa fuit, quod Sylla non tantum Cinnam, sed etiā Carbonē, aliosq; Pōpeij hostes interfecisset, et aduenienti Pompeio nō tantū assurrexisset,

xiſſet, ſed caput quoq; aperire ſolitus eſſet: quem honorem ne clariſſimis quidem ſenatoribus præſtare ſolebat.

Siciliam.] *Quam Perpenna ui occuparat, & in Syllanam factionem inſulam hanc propugnaculum quoddam præpararat.*

Sine bello recepit.] *Quàm primum enim Pompeiũ cum exercitu aductare intellexiſſent, multo timore perculſi, ſua ſponte loco ceſſerunt.*

A proſcriptis.] *per L. Cornelium Syllam, de qua proſcriptione copioſè diximus cap. 75.*

Numidiam.] *Aphricæ partem inter Tingitanam & Carthaginenſem regionem, cuius accolæ (teſtante Saluſtio) olim Perſæ fuere, qui defuncto in Hiſpania Sale, ab exercitu eius cum Medis in Africam nauigarunt, ubi deficiente materia ad domos ædificandas, alueos nauium inuerſos pro tugurijs habuere. & quoniam huc illucq; uagabãtur, Nomadæ dicti ſunt, id eſt paſtores: deinde Numidæ à Latinis. De his plurima Strabo lib. 17. Plin. lib. 5. cap. 3. lib. 6. cap. 34. lib. 5. cap. 4. Solin. cap. 39. Pomp. Mel. lib. 1. cap. 6. Syl. Ital. lib. 3. Nulla domus, &c. Volat. lib. 12. cap. 9. Leonicus lib. 2. cap. 1. de Varia hiſtoria.*

Hiarbæ.] *Hunc Hiarbam regem, qui cum Domitio bellum inierat, cœpit Pompeius, & interemit: cuius ſceptro deinde Hempſal in Numidia*

ſuc-

succeßit, teste Plut. & Sabell. lib. 3. Ennead. 6. Rhapsod. Notandum autem, hunc à Liuio libro 89. Hieram, ab alijs autem Hierciam nominari.

Masinißæ.] Populo Romano confœderato: de cuius erga Romanos insigni gratitudine diximus suprà cap. 49. Tu consule præterea Valer Max. lib. 5. cap. 2. § 14. Fulgos. lib. 4. cap 1. § 3.

Viginti sex annos natus triũphauit.] *Qua ætate triũpharit Pompeius, discrepãt autores. Plutarchus omne bellum Africanũ intra 40. dies absoluisse memorat, dum annũ ætatis ageret 24. ubi nihil de eius triumpho scribit, sed post longam rerũ à Pompeio gestarum enumerationem ait, quosdã eße, qui quatuor & triginta annos natum triumphasse tradiderint. Sed quod uerius est (idem ait) quadragesimum tum attigiße constat. Liuius tamen Romanæ historiæ princeps, lib. 89. Epitomes, annos natum 24. & adhuc equitem, ex Africa triumphaße ait, quod nemini hactenus contigerat. cui quoq; astipulatur Lorbardus de Syricho, capite citato.*

Triumphauit.] *De Cnei Pompeij triumphis copiosè Plutar. in eius uita. Plin. lib. 6. cap. 26. Blond. lib. 10. Rom. triumphantis. Valer. Max. lib. 8. cap. 16. § 3.*

Lepidũ acta Syllæ rescindere uolentem.] *Marcus Lepidus Marianæ partis assertor, consul cum*

Q. Catulo acta Syllæ rescindere parabat, si modo sine magna Reipublicæ clade fieri potuisset, quæ res in magnum exarsit demum urbis incendium. Qua de re Liuius lib. 90. Epitomes. Oros. lib. 5 cap. 22. Eutrop. lib. 6. cap. 1. Florus libro 3. cap. 23. Appian. lib. 1. bell. ciuil. Fuit aũt Lepidus consul iuxta Liuij supputationem anno 4. Olympiadis 175. cui astipulatur quoq; Euseb. in Chronicis, qui ait tum hostem publicè iudicatũ esse: ab Vrbe uerò condita 676. cuius cõsulatus sæpe meminit Plinius, ut lib. 10. cap. 21. & lib. 36. cap. 6. ubi in numero annorũ erratum est decem annis. item lib. eodem cap. 15. lib. 35. cap. 3. & Cic. lib. 1. Offic. Oros. lib. 5. cap. 22.

Priuatus.] Pompeium priuatum equestris ordinis intellige, cui non tanta concessa erat potestas, ut Italia Lepidum abrogare posset.

Italia abrogauit.] Lepidum abrogata Italia, in exiliũ misit, qui nauigãs in Sardiniam insulam haud multo pòst diem obijt, destillationis morbo correptus, teste Appian. lib. 1.

Sertorium uicit.] Metelli auxilio Sertoriũ ciuilis belli incentorem, cum uniuersa factione sustulit: de quo bello multa Appian. Plutarch. in Sertorio, Oros. lib. 5. cap. 19. Eutrop. lib. 6. cap. 1. Valerius Max. lib. 1. cap. 3. § 4. Fulgos. lib. 7. cap. 3. § 19. li. 6. cap. 4. § 16. cap. 3. § 1. lib. 9. cap 8. § 3.

Sabell.

Sabell. libro 4. Ennead. 6. & libro 5.cap. 7. § 4.lib. 8.cap.4. § 3. Exemp. ethnic. Volat.li.19. cap.3. Vrb.com. Frontin. libro 1.cap.5. § 1.cap. 11. § 13. cap. 12. § 4. libro 2. capite 3. § 11. cap.5. § 31. cap.7. § 5. & lib.4.cap.7. § 6. Stratagem.

Piratas subegit.] Gabinia lege Pompeio: concessum enim erat, ut piratas nauium commeatus intercipiētes, insulas prouinciasq; uastantes persequeretur, ut legimus apud Cic. pro lege Manilia, Flacco, & Cornelio Balbo. Pomp. Læt. § 6. de legibus. De toto autem hoc bello Appian. ut suprà, Oros. lib. 6. cap.4. Eutrop. lib. 6. cap. 2. Plu. in Pompeio, Cic. de Laudibus Pompeij, Plin. lib. 7. cap. 25. & 26.

Intra quadragesimum diem.] Piraticum bellū 40. die completum esse, dicit quoq; Liu. Plut. & Flor. qui ait in tanta uelocitate uictoriæ, Pompeium ne unam quidem nauem amisisse. Plinius aūt lib. 7. cap. 25. & 26. dicit captas esse piratarū naues 846. qui Pompeij de his triumphū describit quoq; lib. 37. cap. 2. Notanda aūt ex hoc loco Magni Pomp. mira in reb. bellicis fœlicitas, quā primā imperatoris uirtutē eße apud Cicer. legimus.

Tigranem.] Armeniæ regem, qui tunc ingenti gloria imperabat, & Persas sæpe uicerat, Mesopotamiā, Syriam & Phœniciam ferè omnem occuparat. De quo Liu. lib. 97. 100. et 103. Flor. lib.

3.cap.

3.cap.5.li.4.cap.12. Orof.lib.6. cap.3. Eutrop. lib.6.cap.2.Frontin. lib.2.cap.1. §14. cap 2. § 4.Fulgof.lib.9.cap.5. § 4. lib.5. cap.8. § 5. & lib.9.cap.4. § 2.Plin.lib.7.cap.26.Nat.hist.& nofter quoq; Plinius fuprà in Lucio Lucullo.

Ad deditionem.] Tigranes enim ftatim fe Pompeio dedidit,& in caftra Pompeiana ueniens,diadema fuũ(cum ad genua Pompeij fupplex procubuiffet)uictori obtulit:quod Pompeius miferatione motus repofuit,& magnificè tractauit.

Mithridatem ad uenenum compulit.] Mithridates Ponti rex,quomodo uenenum haufcrit, & mortem obire inde non potuerit, fatis dictum eft cap.76.Et hanc nimirum ob caufam Decio Iunio Syllano & L.Murena confulibus,de bello Piratico & Mithridatico triumphauit, anno 4. Olymp.179.ab Vrbe uerò condita,692. uide Plin. lib.12.cap.4.

Albanos.] oram feu litus Hircani maris occupantes.de quibus lege Strabonem li. 11. Plinium lib.3.cap.5.lib.7.cap.2.lib. 6.cap.13. Solin.cap. 25.Pomp.Mel.lib.3.cap.5. Volaterranum lib. 12. cap. 3. Geog. Quo ftratagemate autem Albanos nofter Pompeius uicerit,Frontinum libro 2.cap. 3. § 13.

Colchos.] Afiæ populos,habentes ab ortu circa Iberiam & Albaniam ad Cafpium ufque mare

iuxta

iuxta Ptolemæum. Fuerunt autem Colchi olim ueneficij maximi autores, & Iasonis memoria fabularumq; inuolucris cumprimis insignes, de quib. Strabo lib. 11. Plinius lib. 6. cap. 4. & 5. Solinus cap. 21. Pomp. Mela libro 2. cap. 22. Volaterran. lib. 12. cap. 3. Geograph.

Heniochos.] *Heniochea Scythiæ regio, quam aurigæ Castoris & Pollucis inhabitauere, de qua Strabo lib. 11. Plinius libro 6. cap. 4. 5. 11. & 16. libro 4. cap. 6. Solin. cap. 25. Mela lib. 1. cap. 21. Volat. lib. 12. cap. 3. & 5. Geograph.*

Caspios.] *ad septentrionem prope Armeniam Hircaniam & Parthiam habitantes. de quorum moribus & natura Strabo ut suprà, Plin. lib. 6. cap. 13. lib. 5. cap. 27. Solin. cap. 60. Procop. lib. 1. belli Persici, Martianus lib. 6. cap. 37. Pomp. Mel. lib. 3 cap. 5.*

Hiberos.] *Asiæ pop. à septentrione Nomades, et Caucasi montis accolas habentes, ad meridiem uerò Armeniā, ad occidentem Colchidem: quorum regio tota Caucasijs montibus cincta est. De his multa Strabo libro 11. Plin. lib. 6. cap. 10. & lib. 4. cap. 20. Volaterranus libro 12. cap. 3. Geographiæ.*

Parthos.] *Asiæ maioris pop. qui ab occasu Mediam, à septentrione Hircaniam, ab oriente Ariam, ab austro uerò desertam Carmaniam habent.*

bent. De quibus Strabo lib.15. Plin.lib.6.cap.15. 25.26.et 34. Solin.cap.69. Pomp.Mel.li.1.cap. 3. Iustin.libro 41. Volaterranus libro 12. cap.1. Geographiæ.

Arabas.] *qui sunt inter Iudæam & Aegyptũ. Arabiæ autem omnem descriptionẽ pete ex Strabone libro 1. & 16. in fine. Plin.lib.6.cap.28. & 34. præterea lib.5.cap.11. Solin.cap.46. Pomp. Mel.lib.1.cap.21. Volat.lib.12.cap.6. De Arabia doctißimè quoq; scripserunt Vranius historicus, & Iuba rex ad Claudium Cæsarem.*

Iudæos.] *Iudæa meridiem uersus continetur in regione Palestinæ, & complectitur Galileam, Samariam, ac regionem trans Iordanem, cuius latitudo ex Iordane fluuio usq; ad Ioppen est, longitudo uerò à monte Libano usq; ad lacum Tyberiadem. Huius regionis descriptionẽ pete ex Strabone lib.16. Plinio libro 5. cap.12. & 14. & lib. 6.cap.34. Pomp.Mel.lib.1.cap.11. Volaterran. lib.11.cap.2. Geographiæ.*

Magno terrore penetrauit.] *interfectis Iudæorum duodecim, uel secundum alios tredecim millibus. de qua clade uide Iosephum libro 14. cap.4.5.6.7.8. & 9. Egesippum libro 1. de Excidio Hierosol. Oros.lib.6.cap.6. Eutrop.cap.2.li. 6. in fine, secundũ quos hoc bellum gestum est anno conditæ Vrbis 689.*

Hirca-

Hircanum mare.] *Quod mare, ut apud Herodotum lib.1 legimus, secundum longitudinem quindecim dierum cursu nauis, quæ remis utitur: secundum latitudinem uerò, ubi spaciosißimum est, dierum octo interuallo emetiri potest, de quo multa Strabo libro 11. Plin. libro 6. cap 9.13.27. Pomp. Mel. lib.3. cap.5. Solinus cap.27. et 30. Volaterran. lib.12. cap.4 Geograph.*

Rubrum.] *Mare Rubrum, Græci Erythreum à rege Erythra. Herodotus autem libro 4 Sinum Persicum uocant, de quo Strabo libro 15. 16. & 17. Plin. libro 6. cap.23.29. & 42. Solinus cap. 46. Pomp. Mel. libro 3 cap.7. Volaterranus lib. 12. cap.4. Procop. lib.1. belli Persici.*

Arabicum mare.] *Hoc est Arabicum mare, cuius frequentißimis quondam in Indiam & Troglodyticen nauigationib. adeò Aegypto uectigal auctũ est, ut Auletæ, Cleopatræ parenti (quemadmodũ ultimo lib. Strabo scribit, annua talẽta duodecies millena & quinquaginta obuenerunt, longè postea populo Romano prouinciam administrante. Vide quoque Plinium lib.6. cap.28. et 24. Solin. cap.68. Diodor. Sicul. lib.4. Pomp. Mel. libro.3. cap.9.*

Diuiso orbis imperio.] *Præsentem historiam ut eo melius intelligas, lege ea quæ Appianus*

Alexan-

Alexandrinus lib. bellorum ciuilium 2. à principio memoriæ prodidit.

Syriam.] *maioris Asiæ regionem iuxta Iudæam, quæ hodie Suria uocatur, de qua Strabo libro 16. Plin. lib. 5. cap. 12. & 22. Pomp. Mel. libro 1. cap. 11. Volaterranus libro 11. cap. 1. qui uaria et diuersa nomina Syriæ recitat, & eandem suo ordine doctißimè describit.*

Cæsar Galliam] *Cisalpinam intellige, quam per decennium domuit, ut est apud Plutarchum, Suetonium Tranquillum in eius uita, Cæsarem in Commentarijs lib. 6. de bello Gallico. Oros. lib. 6. cap. 30. Eutrop. lib. 6. cap. 4. Othon. Phris. libro 2. cap. 48.*

Post cædem Craßi.] *qui dum Parthico inhiat auro, strage undecim legionum in bello Parthico interfectus est. de cuius morte Liuius libro 106. Epitomes, Appianus in Parthico, Plutarchus in uita Craßi, Florus lib. 3. cap. 11. Iustin. lib. 42. circa finem. Plinius lib. 2. cap. 56. Oros. libro 6. cap. 13. Eutrop lib. 6. cap. 4. in fine, Volaterran. libro 14. cap. 2. Anthrop.*

Cæsarem dimittere exercitum iußit.] *Vnde inter Cæsarem & Pompeium belli incendium exarsit, de quo Appian. lib. 2. bellorũ ciuil. Plutar. in uita Cæsaris et Pompeij, Augustin. lib. 3. cap. 30. ciuitat. Oros. lib. 6. cap. 15. Eutrop. lib. 6. cap. 4.*

Flor.lib.4.cap.2. Cæsar ipse tribus lib.de bello ciuili, Lucan.lib.10. Gell.lib.15.cap.18. Plin. lib.7.cap.25.et 26. Gestum est autem, iuxta Orosij supputationem, anno ab Vrbe condita 700.

In Pharsalia uictus.] Hoc est in Thessalia: ibi enim sunt Pharsalici campi, qui & Philippici dicuntur, teste Solino cap.13.et inde quoq; poeta Lucanus libros suos de bello ciuili Pharsalicos uocat, à loco denominationẽ sumens. Huius autẽ uictoriæ meminit quoq; Val. Max.lib.1.cap.5. §.5.& lib.4.cap.5.§.6.& Plin.lib.36.cap.18.

Ad Ptolemæum regem fugit.] Pompei fugam primo dubiam fuisse scribunt. dubitabat enim an ad Parthos, uel ad Iubam Mauritaniæ confugere deberet: tandem, ut Lucan. in 8.canit, in Aegyptum profectus est ad Ptolemæum regulum, qui apud Pelusium cum exercitu erat, aduersus sororem bellũ gerens, de cuius fuga leges copiosè scribentem Plutarchum,

Sub oculis uxoris.] Corneliæ scilicet, Scipionis filiæ, et uiduæ à P. Crasso Marci filio relictæ.

Et liberorum.] Duorũ scilicet filiorum, quorum alter postmodum apud Mundam, à Cæsare in Hispania: alter apud Siciliam, ab Augusto uictus est. ex quibus Sextus quoq; piraticã exercuit, cuius rei testes sunt Plutarch. Appian.li.5. bell, ciuil, et Lucan, apud Volater. lib.18, Sextus

Pp erat

erat magno proles indigna parente, &c.

A Septimio.] *Alij Pothino, alij Achilla legunt. sunt enim diuersæ authorum de Pompeij morte opiniones, quas apud Plutarchum & Appianum legere licet.*

Quod usq; ad ea tempora adoratum.] *Ita enim, & non, quod usque ad ea tempora ignoratum est (ut mendosa quædā exemplaria habent) legendum est. Constat enim, Pompeium ob insignem nominis famā, ex Asia Ponto, Armenia, Paphlagonia, Cappadotia, Syria, Scythis, Iudæis, Albanis, &c. pro deo sæpe cultum & adoratum esse.*

Iniustus & tumulatus est.] *Pompeij corpus quomodo concrematum, & humatum deinde à regijs sit ministris, scribit Plutarchus, Appian. & Plinius lib. 5. cap. 12. in fine.*

Caput ab Achilla præsentatum.] *Caput Magni Pompei non ab Achilla, sed à Photino Cæsari magno pro munere seruatū esse, Appianus ait: sed Plutarchus Achillam quoq; nominat.*

Cum annulo.] *Gnei scilicet Pompeij, in cuius gemma omnium preciosißima, ensifer leo sculptus fuisse dicitur, testante Plutarcho.*

Non cōtinens lachrymas cremandū curauit.] *C. Cæsaris humanitas, & in crudelißimum hostem pietas, quem capite truncatum, nō tantum defle-*

defleuit, ed multis & preciosissimis odoribus caput sibi oblatum cremandũ curauit, templumq́; ante Vrbem condidit. Eius autem sepulturæ meminit Plin. lib. 5. cap. 12. & Marlian. lib. 7. cap. 17. Templi uerò Plin. lib. 34. cap. 8. & P. Victor *regione undecima, de urbis Romæ regionibus.* Et *hic finis est fatorũ* Cn. Pompeij *qui hostili manu altero post natalẽ die interfectus est, cum à tertio & uigesimo, usque ad quinquagesimum octauum ætatis annum, monarchiæ præfuisset:* Anno *primo Olympiadis 183. ab Vrbe condita, 703. Ante Christi autem saluatoris nostri aduentũ, 46* Cui *sit laus, honor & gloria, in omne æuum:*

Amen.

FINIS.



Pp i RE-

RERVM ET VERBORUM, hoc libro memorabilium, Index.

antio-

camil-

cu-

dec

eu-

for•

ga-

latini

ma-

ma-

mi-

plebs

sce

Ti-

uir-

INDEX.

FINIS.

ERRATA INTER EX-
cudendum commissa.

Folio 11. linea 2. *celer* 18.12. *feriendo* 33.10. *Gegannia & Beremia* 55.11. *Veientibus* 60.5. *Politorio* 60.19. *& capite 5. pro 57. legendum* 65.14. *minorum* 65.22. *Latinis* 71.18. *Anci* 79.18. *parentem* 95.23. *Dionysium* 110.5. *inulti.* 116.1. *datis, pro doctis.* 152.27. *Dictatores.* 155.24. *sequebantur & equi, &c.* 163.27. *exercitu.* 170.23. *tributum.* 172. *quod nimirum* 173.15. *Lucium Albutium* 195.18. *reorum* 207.2. *mœnia non* 220.3 *regni* 222.2. *autores scripsisse ait* 226.15. *quarum* 238.2. *delendum est caput* 14 323.22. *in primis.* 339.9. *fides culta* 366.7. *Lorbardum* 385.5. *Salari* 393.22. *Flaminio* 398.14. *Blondi* 408.27. *tenebantur propè sup. &c.* 423.2. *adoptione* 426.26. *concessum esse* 453.21. *omnibus in cap. &c.* 455.20. *& in Cere.* 470.23. *autores uel principes forent* 475.1.4. *Ciceronem* 479.20. *regum* 487.2. *Cœlium. & linea 3. Budæum* 492.3. *rex quoque Mithridates, &c.* 507.10. *Salyibus* 517.9. *Vrbanorum commentariorum* 518.18. *Cinna* 538.3. *erat* 541.15. *partē, pro patrem.* Reliqua beneuolus lector facile emendabit.

BASILEAE, EX OFFI-
cina Ioannis Oporini, Anno salutis
humanae M. D. XLVII.
Mense Septembris.

FI.
ucis

